This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1,363,920


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN

888
CO
K96


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

888
CO
K96

888
C0
K96

STUDIA CALLIMACHEA.

888
C0
K96

STUDIA CALLIMACHEA.

STUDIA CALLIMACHEA

SCRIPSIT

K. KUIPER, 1854-

I

DE HYMNORUM I—IV DICTIONE EPICA.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD A. W. SIJTHOFF.

MDCCCXCVI.

Epigrammate quodam, Callimachi lectoribus haud incognito, Anthologiae palatinae poeta nescio quis testatur, olim Callimacho a dis concessum esse, ut per somnium ex Libyae oris in Boeotiam transportaretur, ibique in ipso considens Helicone omnes ex ordine Musas quidquid volebat interrogaret; at illae:

αἳ δέ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων
αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι.

Subridemus hodie, et indignamur fere, si quod olim di immortales Hesiodo vel Platoni largiti essent, id Callimachum tamquam aequo iure vindicantem sibi videmus, verum varia sunt variorum temporum iudicia et idem poeta, quem hodie tantum non spernimus, aequalium nonnullis atque posteris plerisque adeo videbatur praegratus musarum sacerdos, ut si Homerum solum excipias vix quemquam inter poetas Graecos invenias, qui tam diligenter ab omnibus lectus sit aut tantam admiratorum sectatorumque catervam invenerit quantam unus ille Cyrenaicus. Callimachea iterant variant illustrant Apollonius Nicander, Oppianus Dionysius, Nonnus denique et Quintus Smyrnaeus. At nobis ex tantis opibus poetae fragmentorum quidem ingens acervus, at fragmenta tantum restant praeter solos hymnos. Quibus si plane deest nativa vis ingenii, quae vatis animum abducere a terrestribus sublimemque ferre videatur, si nusquam simplex atque sancta fides deorum elucet, si frustra quaerimus animum ipsius auctoris, atque intimi pectoris cogitationes in carminibus multo sudore paratis, eo tamen nomine hymni digni semper erunt accuratissimo

339718

studio, quod sola supersunt proprii et singularis cuiusdam generis poeseos documenta. Quoniam autem Callimachus in quattuor iis hymnis, qui nunc priores ordine sunt, tamquam principia eius generis constituisse videtur, ac poetici sermonis leges novas edidisse, Homerum modo imitatus modo interpretatus, nunc consulto eius vestigia deserens, mox antiquiori epicae dictioni lyrici sermonis vel tragici frustula admiscens, quibus priscam linguam ad novam atque floridam aetatem revocare se posse speraret, ad poeticum illorum temporum sermonem cognoscendum ea carmina semper profecto proderunt. Et quamquam non ex solis hymnis sermonis epici aut poetici Callimachei principia et leges constitui poterunt, utile tamen nunc videbatur eos solos spectare, quia facilius artis Callimacheae ingenium lectoribus proponitur ex eiusmodi opere quod integrum ac perfectum ad nos pervenit quam ex truncis atque ex parte saltem incertis fragmentis. Institui igitur investigare accuratius quam adhuc factum est, undenam Callimachus epici sermonis quo in hymnis I—IV (nam V et VI quos dorica dialecto composuit alieni sunt generis) utitur, elementa collegerit, quosnam in novis vocabulis adhibendis sequatur auctores, quales dubiarum vocum et absconditarum interpretationes probet, quove consilio ductus singula quaeque mutet augeat illustret [1]). Qua investigatione id inprimis agam ut poeseos alexandrinae et ipsius Callimachi imaginem quandam lector sibi proponere possit, dum per singulos hymnos, immo versus ac voces laborantem poetam sequimur. Simul vero spero fore ut eruditionis alexandrinae quaedam specimina ex eius arte lucremur, quandoquidem in eo genere poeseos quale in hymnis exercet Callimachus iuxta cetera oblectamenta artis eruditae praebere semper student isti poetae interpretationes

---

[1]) Haud pauci fuerunt qui aut in transitu aut data opera in Callimachi sermonem inquirerent; verum si excipias ea quae editores, prae ceteris Schneiderus et Meinekius in editionibus suis adnotarunt (quae ego ne nimis opusculum crescat hic non referam) disiecta est et dispersa materies, in dissertationibus abscondita aut in programmatis, quod genus librorum saepe, etiam impensa facta, nobis parare omnino non possumus. — Veniam igitur iam nunc peto si quid inscius pro meo lectoribus offerre videbor, quod iam ab aliis occupatum erat, nec semper nomina citabo eorum qui aliter de qua re censuerunt quam mihi faciendum putavi. Nominandi tamen iam hic E. Scheer qui in progr. Rendsburgensi anni 1868 multa utilia brevi spatio contulit et F. de Ian qui in diss. Argentorati defensa anno 1893 „*de Callimacho Homeri interprete*" de nonnullis rebus ita disputavit ut saepe quae adnotata habebam in brevius contrahere aut prorsus omittere iam licuerit.

summi Epici ac tragicorum, solvunt ἀπορίας, explicant aut ἅπαξ aut σπανίως εἰρημένα, illustrant versus obscuriores. Cuius enim artis artificiosae Philetas Alexandriae tamquam pater fuerat et sedulus sectator Simmias, eam diligentissime per hymnos coluit Callimachus. Glossographica est eius Musa; ad quod eo magis attendere attinet quia ex eius saepe iudiciis suspicari possumus, quaenam de una alterave homerica quaestione (nam primum tenet locum Homerus etiamsi non neglexit ceteros poetas) Zenodoti ac Aristophanis aetate valuerit inter Alexandrinos grammaticos opinio. Et sane paucis tantum locis sententiam Zenodoti vel Aristophanis versus Callimacheus firmabit, saepius autem apparebit de locis homericis iam idem censuisse Callimachum quod Aristonico vel Didymo teste Aristarchi fuit iudicium. Neque Aristarchi gloriae obtrectare videbimur, si in tali re constituere conabimur quonam iam ante Aristarchi aetatem antiquorum poetarum, Homeri praesertim, interpretatio fuerit progressa.

Duae in hac investigatione mihi patebant viae. Poteram in varia capita poetae grammaticam distribuere atque secundum genera dissecare materiem; licebat etiam ipsius poetae tamquam vestigia sequi et per singulos carminum versus attendere ad id quod notatu dignum videretur.

Quamquam autem prior via ratione commendari primo quidem obtutu videbatur, alteram elegi: videbam enim gravissima quidem et potiora facili opera ad suum quidque genus revocari posse, at in minoribus, quae sunt multa, non sine vi materiem dividi et specie rationis cuiusdam confundi totum opus et obscurari. Accedebat quod persaepe propter plures causas idem versus laudandus erat et in inmensum mox crescebat materies lectoribus molesta neque grata scriptori.

Simplicius igitur et propter utilitatem magis commendandum videbatur, quamquam intellegebam sic fore ut omni stili commendatione et disputationis elegantia investigatio careret, ita rem agere ut feci. Exscripsi autem, quod commodius lectoribus erat, ipsos hymnos, eoque ordine tractavi quo a poeta scripti mihi videntur, de qua re propter ingentem hominum eruditorum discordiam cum accurate dicere sine longiore disputatione non possim — qualem hic evitare praestat — breviter quid sentiam indicabo.

Consentiunt fere omnes hodie, primum locum tenere hymnum I. Hymnos III et IV ante annum 274 compositos esse, et olim demonstrare conatus sum (*Mnemosyn.* XIX 63 sqq.) et nunc censeo; ter-

tium autem inter duos illos priorem fuisse vix incertum mihi videtur. Hymnum denique II serius scriptum esse plurimi iudicant, et ni fallor ipsius hymni versus nonnulli arguunt.

Tandem moneri lectorem volo, huius dissertationis rationes postulasse ut semper Homeri versus ita laudarem, quales Callimachus eos legisse videretur, non enim in antiquae epicae dialecti legibus constituendis hanc investigationem versari, verum tantummodo Callimachi et aequalium studia Homerica spectare.

I.

HYMNUS IN IOVEM.

Vs. 1. *Ζηνὸς ἔοι τί κεν ἄλλο παρὰ σπονδῇσιν ἀείδειν*
λώιον ἢ Θεὸν αὐτὸν, ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα
Πηλαγόνων ἐλατῆρα, δικασπόλον οὐρανίδῃσι;
πῶς καί μιν, Δικταῖον ἀείσομεν ἠὲ Λυκαῖον;
ἐν δοιῇ μάλα θυμὸς, ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον.

Vs. 1. Solemnis fere haec est in hymnis exordii forma ut dei nomen primam in versu occupet sedem, verbum autem in ultima sede versus collocetur. Servat Callimachus fideliter hanc formam, de qua plura dicentur infra ad III. 1. Quod ad Iovis autem nomen attinet, promiscue utitur formis ab utraque radice derivatis, quas agnoverat Homerus. Occurrit *Ζηνός* I. 1; IV. 111, 240 — *Ζηνί* IV. 58 — *Διός* I. 79, 93; III. 141, 165; IV. 38, 215, 248. — *Δί* II. 29; IV. 56. 272.

ἔοι. Non ignoravit Callimachus in epica quoque dialecto longe usitatiores fuisse vulgatas formas *εἴης*, *εἴη*. Sed proprium erat doctis illis Alexandrinis poetis hic illic consulto proferre eas formas quae non nisi perraro in Homero legerentur. Ita non dubium est hoc loco spectare Callimachum notissima verba ex Iliade (*I.* 142. 284.) *γαμβρός κέν μοι ἔοι*, (cf. Od. *τ*. 77,) ubi igitur Ionica optativi forma minime ut hodiernos editores ita et Alexandrinos offendit. Iterum eandem formam adhibuit noster fr. 108.

κέν. Nusquam discrimen factum a Callimacho inter vocabula *κὲν* et *ἄν* nec umquam dubitasse eum, quin utrumque simul in epica

dialecto recte adhiberetur non est quod multis moneam. Alexandrinos grammaticos non magis offendit ἄν et κέν simul et sine ullo discrimine in Homeri editionibus occurrens quam quod etiam a poetis posterioribus sine dubitatione promiscue Aeolicum κέν et Ionicum ἄν adhibitum videbant. Mitto enim Hesiodum, mitto hymnos homericos; at Pindarus nonne plaudente Graecia utriusque dialecti tum alias voces permiscuerat, tum ἄν et κέν? Et saepius quidem poeta Thebanus Ionicum ἄν adhibebat, κέν autem raro nisi in tali sententia, quae a relativo vel coniunctione non penderet; ut pauca adducam exempla, κέ ita habet Ol. I. 82; VI. 6; X. 20; XII. 13; Pyth. I. 46, 69; III. 1, 65, 68, 76, 111; IV. 47, 51, 298; VII. 20; X. 62; Nem. IV. 7 (ὅτι κε) 15. 30. alibi. — ἄν contra cum ὅτε, ὁπότε εὖτε, ὅς, ὡς coniungit libenter ut Ol. II. 21, 100; VI. 67; VII. 42; XIII. 80; Pyth. I. 4, 100; II. 10, 87, 88; III. 106; V. 2; VIII. 8, 96; X. 23; verum occurrit etiam in sententia quae ab alia non pendeat sicuti Ol. VIII. 62; IX. 30; XIV. 46, 103. — Securi Alexandrini igitur ferebant in epica dialecto duarum vocum usum communem, quem in Pindaro et tragicis sine offensione quivis tulerat.

παρὰ σπονδῇσιν. Licet ipse Homerus substantivo σπονδὴ non nisi bis utatur (*B.* 341. *Δ* 159) sensu paulo arctiore:

σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ᾗσ' ἐπέπιθμεν

tamen iam eandem vim quam habet apud nostrum subtantivo tribuerat Hesiodus, qui de quavis libatione (*Opp.* 336) „σπονδῇσι θύεσσί τε ἱλάσκεσθαι" dicit. Quam ille praeierat viam ingressi ceteri poetae non tantum libationem sed universa sacra eo nomine indicarunt [1]).

Vs. 2. ἀεὶ μέγαν αἰὲν ἄνακτα. Tres formae occurrunt: nam ut hic ἀεὶ et αἰὲν sic in fine versus 9 αἰεί, (quam formam Homerus quoque in ultima versus sede solet adhibere) „ἐσσὶ γὰρ αἰεί." Quo apparet Callimacho quoque in locis quales sunt *M.* 211, *Ψ.* 648, *O.* 379 non fuisse offensioni atticam formam ἀεί.

Vs. 3. Πηλαγόνων ἐλατῆρα codicum lectionem optime defendit Schneiderus contra eos qui ὀλετῆρα substituere voluerunt [2]). Ab Homerica dicendi ratione sane hic aberravit Callimachus: nihil enim ἐλατὴρ in Iliade nisi *aurigam* indicat, in hymno autem ad Merc. 14. ἐλατῆρα βοῶν dixit poeta Mercurium, quippe qui boves

---

[1]) E Maass, quem in multis rebus libenter sequi soleo, minime mihi persuasit σπονδὰς illas ad symposion hominum privatorum spectare, quibus iubentibus Callimachus hunc hymnum composuisset (*Herm.* 25, 400.)

[2]) Frustra πηλογόνων defendere conatur Chlebowsky in disp. de Call. hymno in Iovem *progr. Gymn. Rössel.* 1879. p. 6.

abigeret, et ipse Mercurius de se vs. 265 (qui versus propter verborum ordinem maxime cum nostro convenit)

„οὔτε βοῶν ἐλατῆρι, κραταίῳ φωτὶ ἔοικα"

Quod igitur noster non ut quidam de *bubulco* verum de *abactore* boum dictum esse censuit. — Ceterum magis fortasse tragicorum sermoni quam homerico hic usus convenit, nam adiectivo derivato prorsus eodem modo usus erat Aeschylus *Choeph.* 967.

ὅταν ἀφ' ἑστίας πᾶν ἐλαθῇ μῦσος
καθαρμοῖσιν ἀτᾶν ἐλατηρίοις.

Imitatus est nostrum Oppianus *Cyn.* I. 119 versu haud ineleganti

εἴαρι χρυσείῳ, κρυερῶν νεφέων ἐλατῆρι.

Nonni imitationes iam indicavit Schneiderus.

— δικασπόλον οὐρανίδῃσι cum dixit Iovem, vocem homericam latiore quam ille voluerat sensu accepit, minus spectans *A.* 238 quam obscuriorem Odysseae locum λ. 186; ubi aperte de rege accipiendum est. In qua re nostrum secutus est Apollonius Rhodius qui IV. 1178 regium sceptrum σκῆπτρον dixit δικασπόλον [1]). — Οὐρανίδας autem dicens deos eodem sensu quo Homerus Οὐρανίωνας (cf. de Ian. l. l. p. 50), eam formam praetulit quam primus adhibuerat Hesiodus *theog.* 386 et 502 de ipsa Urani progenie, postea vero de ceteris quoque caelicolis Pindarus (*Pyth.* IV. 194) „πατέρ' Οὐρανιδᾶν ἐγχεικέραυνον Ζῆνα", et post eum poetae tragici. — Eadem forma occurrit in *Hecales* frgm. nuper editis a Gomperzio.

Vs. 4. μιν. Schneidero nemo non suffragabitur neganti formam Doricam pronominis νιν, quae est in codicibus, Callimacho imputandam esse; omnino vero quamvis refragrante Schneidero restituendum videtur μιν. Pervertit enim sententiam quod proposuit vir doctus νῦν (cf. e. g. Hymn. hom. in Apoll. 528.); contra requiritur accusativus et commendatur exemplo quod ante oculos habuisse Callimachus putandus est, h. in Apoll. 29, 207.

πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω, πάντως εὔυμνον ἐόντα;

ex quo simul apertum fit illud καί, quod inprimis vexavit Schneiderum, pro homerico τε substituisse nostrum, id autem postposuisse τῷ· „πῶς" eodem modo quo haud raro fit in Homericis veluti *I.* 196 „τὼ καὶ δεικνύμενος προσέφη", et *E.* 633 τὸν καὶ Τληπτόλεμος πρότερος πρὸς μῦθον ἔειπε, praesertim vero interrogationibus, ut

[1]) *A.* 238 quoque δικασπόλον pro rege a quibusdam acceptum esse testatur Eustathius ad hunc versum.

α. 158, 389 ἦ καὶ et Θ. 584 ἦ ποὺ τις καὶ ἀνήρ. — Verbi ἀείδειν futuro activo, quamvis ab epica dialecto alieno, et hic utitur et II. 29.

Vs. 5. Quod Callimachi temporum poetae saepe inter se faciebant, ut mutuandis vel dictionibus vel versibus alius alii testarentur amorem vel admirationem, (cf. SUSEMIHL *hist. lit. Alex.* I. 380) id hoc versu Callimachum facientem videmus. Desumpsit enim poeta totum hunc versum ex elegantissimo in Amorem carmine quod Crantoris in ore posuerat Antagoras Rhodius. Qui cum amorem celebraturus ita exorsus esset

„ἐν δοιῇ μοι Θυμὸς, ἐπεὶ γένος ἀμφίσβητον,
ἦ σε Θεῶν τὸν πρῶτον ἀειγενέων, Ἔρος, εἴπω,"

sane „Θυμὸς" latiore sensu adhibuerat quam Homerus et paulo aliter illud „ἐν δοιῇ" usurpaverat quam ille *I.* 230 „ἐν δοιῇ δὲ σόας ἔμεν ἢ ἀπολέσθαι", quamquam et Grammatici versum interpretabantur ἐν δοιῇ· ἐν δισταγμῷ (cf. Hesych. „ἐν δισταγμῷ, ἐν φροντίδι") et iam Attici scriptores verbum ἐνδοιάζειν sensu dubitandi formarunt. Ceterum si haec imitando probavit Callimachus, tamen dum mutuatur versum inmutat doctissime, in extremo versu pro vocabulo minus epico — sive, quod Cobetus coniecit, scripsit ἀμφίσβητον Antagoras, sive, quod minus verisimile, ἀμφιβόητον — vocabulum vere Homericum reponens ἀμφήριστον cf. γ. 282, ubi interpretes ἀμφήριστον· ἀμφισβητήσιμον."

Vs. 6. Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι,
Ζεῦ, σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ· πότεροι πάτερ ἐψεύσαντο;
„Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται"· καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἔσσι γὰρ αἰεί.
10 ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα
ἔσκεν ὄρος Θάμνοισι περισκεπές· ἔνθεν ὁ χῶρος
ἱερὸς, οὐδέ τί μιν κεχρημένον Εἰλειθυίης
ἕρπετὸν οὐδὲ γυνὴ ἐπιμίσγεται, ἀλλά ἑ Ῥείης
ὠγύγιον καλέουσι λεχώιον Ἀπιδανῆες.

Versus 6, cuius finis natus est ex imitatione loci α. 220. σ. 128 vel Z. 205, exemplum ipse praebuit hymno homerico XXXIII (Gemoll.) 1—6. Ceterum poeta fecit his versibus quod saepius facit, ubi tamquam de suo narrationem docta auget disputatione aut quaestione, ut fere deserat epicum sermonem et ceterorum mortalium loquatur linguam. Pauca igitur in prioribus versibus adnotanda sunt: verbo tantum moneo pronominis personalis genetivum possessivi loco adhi-

beri saepissime a Callimacho, cum haud crebro in homericis ita usurpatum esset; in verbo τεκταίνεσθαι ab homerico usu non decessisse Callimachum; in verbis „ἔσσι γὰρ αἰεί" spectasse poetam θεοὺς αἰὲν ἐόντας. Levissima haec omnia, paulo fortasse maioris momenti erit observare vs. 10 „ἦχι μάλιστα" iam Callimachum, si qua fides est summae codicum concordiae, scripsisse ἦχι sine ι adscripto, quam formam ubique in Iliade sedulo tutatus est post eum Aristarchus. (Ludwich Arist. I. 201. 20; 529. 21. Herodian. I. 505. cf. De Ian. p. 82.)

Vs. 11 ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές. Novicium est περισκεπὲς ad analogiam τοῦ ἐπισκεπὴς et εὐσκεπὴς, quae apud Theophrastum et Aristotelem invenies, formatum [1]). Invenisse Callimachum, qui passiva significatione nostro loco, activa autem IV. 23 vocabulum adhibuit, pro certo demonstrari nequit; at suspicari licet. Ipsa adiectivi formatio documento est minime adstipulaturum fuisse Callimachum eorum opinioni qui cum Doederlinio (*Gloss.* 2354) homericum περίσκεπτον derivandum ἀπὸ τοῦ σκέπειν censuerunt. (cf. quoque Aristarch. ad *E.* 6, Ludw. I. 603. 10, et Callim. ep. VI. 7.) Imitatus est versum hymni IV. 23 Dionysius Per. 245

οὔρεσιν ἀμφοτέροισιν περισκεπέεσσιν ἐρυμνόν,

ubi suspicor pro ἀμφοτέροισι reponendum esse ἀμφοτέρωθι.

Vs. 12. Cum perfecti κέχρημαι usu homerico, quem neque Attici poetae neglexerunt, optime convenit illud κεχρημένον Εἰλειθυίης quocum comparari possunt homerica εὐνῆς, νόστου, γάμου κεχρημένος (*T.* 262. α. 13. χ. 50.) Minus autem vulgata captat Callimachus cum ἑρπετὸν dicit de quovis animali, quod faciens illustrat ex more suo homericum ἅπαξ εἰρημένον. Dixerat Homerus δ. 418

πάντα δὲ γιγνόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ γίγνονται καὶ ὕδωρ καὶ θεσπιδαὲς πῦρ.

Ut unicus in hac re hic Odysseae locus ita apud Atticos nihilo frequentior usus ille. Nam licet Hesychius *in voce* ἑρπετά (cf. Call. fr. 228) moneat καταχρηστικῶς ea voce indicari non solum τὰ ἄποδα verum etiam cetera animalia, quin etiam homines, in attica tamen poesi perraro huius usus exempla invenies. Plerumque subesse apparebit sensum sive serpentis sive horridi cuiusdam monstri veluti Eur. *Andr.* 269:

---

[1]) περισκεπάζειν Theophr. *h. pl.* 4. 5. 3. — περισκεπὴς ibidem 7. 1. 4 Schneideri correctioni debetur.

δεινὸν δ' ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων
ἄκη βροτοῖσι θεῶν καταστῆσαί τινα·
ὃ δ' ἔστ' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω,
οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξηύρηκέ πω
κακῆς·

Paulo magis ad eum usum, quem hic illustrat Callimachus, accedit Xenophon (*Memorab.* I. 4. 11) cum scribit „τοῖς μὲν ἄλλοις ἑρπετοῖς πόδας ἔδωκαν οἷς τὸ πορεύεσθαι μόνον παρέχουσιν· ἀνθρώπῳ δὲ καὶ χεῖρας προσέθεσαν", verumtamen ibi aperte homini opponuntur ea animalia quae prona sunt. Callimachus vero et aequales interpretationis homericae periti libenter substantivo eam significationem vindicarunt quam verbo ἕρπειν (ἑρπύζειν) saepius apud Poetam obtingere haud ignorabant, eo praesertim loco quem omnes memoria tenebant (*P.* 446)

οὐ μὲν γάρ τί ποθ' ἕστιν ὀιζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

cf. Call. Hymn. V. 8. Epigr. 41. 6. — Conferendi quoque sunt Apollonius Rhod. I. 502; IV. 1240. Nicander *Ther.* 21.

Versum 13 et superiores quicunque comparaverit cum Od. η. 243—247

Ὠγυγίη τις νῆσος ἀπόπροθεν εἰν ἁλὶ κεῖται,
ἔνθα μὲν Ἄτλαντος θυγάτηρ δολόεσσα Καλυψὼ
ναίει ἐυπλόκαμος, δεινὴ θεός· οὐδέ τις αὐτῇ
μίσγεται οὔτε θεῶν οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων,

is videbit Odysseae locum in mente habuisse nostrum cum hos versus componeret. Sunt igitur nostri versus tamquam interpretatio loci homerici et apparet Callimachum, qui, ut aliunde constat, Calypsus insulam certo destinabat loco, eandemque eam esse contendebat quae postea Γαῦλος (Γαῦδος?) dicebatur (cf. Lehrs. *Arist.* p. 248.), ipsum insulae nomen interpretatum esse παλαιάν. De antiquo rege Ogygo quid censuerit noster, id non constat, neque indicari potest quomodo de Hesiodi loco (*theog.* 106) „Στυγὸς ὕδωρ Ὠγύγιον" iudicaverit; in ipso vero nomine Ogygio audiit opinor Pindarum et tragicos Atticos, quorum ille *Nem.* VI. 44 „δασκίοις Φλιοῦντος ὑπ' ὠγυγίοι' ὄρεσσιν" prorsus eodem modo dixerat, ut Sophocles *Philoct.* 141. „σὲ δ', ὦ τέκνον, τόδ' ἐλήλυθεν πᾶν κράτος ὠγύγιον." Cf. quoque Call. IV. 160 [1]). — In extremo versu num Callimachus Arcades dixerit Ἀπιδανῆας nomen a verbo πίνειν derivans, ut

[1]) In voce ὠγύγιος secutus est nostrum Dionys. Per. 911 Ὠγυγίη Τύρος, cf. 523.

regionem aqua carentem designaret, quae Ianii est opinio (l. l. 80. 1.) vehementer dubito. Callimachus ni fallor ut Apollonius IV. 263 *Ἀπιδανῆας* eos dixit *ἀπὸ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως*, quam derivationem diserto testimonio firmat Rhianus apud Stephanum Byz. *in voce Ἀπία.*

Vs. 15. *ἔνθα σ' ἐπεὶ μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,*
αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος ᾧ κε τόκοιο
λύματα χυτλώσαιτο, τεὸν δ' ἐνὶ χρῶτα λοέσσαι.
Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔρρεεν οὐδ' Ἐρύμανθος,
λευκότατος ποταμῶν, ἔτι δ' ἄβροχος ἦεν ἅπασα
Ἀρκαδίη· μέλλεν δὲ μάλ' εὔυδρος καλέεσθαι
αὖτις· ἐπεὶ τημόσδε, Ῥέη ὅτ' ἐλύσατο μίτρην,
ἦ πολλὰς ἐφύπερθε σαρωνίδας ὑγρὸς Ἰάων
ἤειρεν, πολλὰς δὲ Μέλας ὤκχησεν ἀμάξας,
πολλὰ δὲ Καρνίωνος ἄνω διεροῦ περ ἐόντος
ἰλυοὺς ἐβάλοντο κινώπετα, νίσσετο δ' ἀνὴρ
πεζὸς ὑπὲρ Κρᾶθίν τε πολύστιόν τε Μετώπην
διψαλέος· τὸ δὲ πολλὸν ὕδωρ ὑπὸ ποσσὶν ἔκειτο.

Vs. 15. Hic sane peccavit contra solemnem homericae dictionis usum quem sedulo et innumeris locis notavit Aristarchus, monens numquam a Poeta *κόλπον* adhiberi nisi ut indicaret *τὸ κατὰ τὸ στῆθος κόλπωμα τοῦ πέπλου* [1]). Ut hic plurali numero ita singulari *τὴν γαστέρα* indicat IV. 214 ubi praegnans Latona ita adloquitur filium

„γείνεο γείνεο κοῦρε, καὶ ἥπιος ἔξιθι κόλπου."

Hymno autem tertio item uterum suo nomine indicare vitat dum Dianam de matre dicentem facit (vs. 25)

„ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο γυίων."

Et hoc loco habebat, quo referret, versum epicum, cum de Mercurio quoque hymnus Homericus dixisset vs. 20 *„μητρὸς ἀπ' ἀθανάτων θόρε γυίων"* cf. Ω 514 (*καί οἱ ἀπὸ πραπίδων ἦλθ' ἵμερος ἦδ' ἀπὸ γυίων*) quem versum Aristarchus spurium habuit ipso eo argumento ductus quod manus tantum pedesque Homerus hac voce indicasset; at nostro versu Pindari tantum aut tragicorum exemplo Callimachus vocis usum tutari poterat, et vix dubium est quin talem locum exemplo habuerit, qualis est Pind. *Ol.* VI. 31 *κρύψε δὲ παρθενίαν ὠδῖνα κόλποις*, (cf. Eurip. *Hel.* 1159 (1144) *πτανὸς γὰρ ἐν κόλποις σε Λήδας ἐτέκνωσε πατήρ*). Eadem significatione IV. 87 Apollo in matris utero vaticinatus dicitur *„ὑποκόλπιος"*, cf. quoque Anth. Pal. IX. 111.

[1]) Vide infra ad IV. 265.

Vs. 16 ᾧ κε τόκοιο λύματα χυτλώσαιτο. Verbum cum adhibet quod semel tantum habet Homerus ζ. 80

δῶκε δὲ χρυσείῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον
εἷως χυτλώσαιτο σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξί,

non tamen eam significationem tribuit verbo quam grammatici, qui solebant monere χύτλον εἶναι τὸ μεθ' ὕδατος ἔλαιον. In usurpando hoc vocabulo demta notione unguendi praeierat, quem saepissime sequitur noster, Lycophro qui *Alex.* 322 dixerat:

πρὶν ἐκ λοχείας γυῖα χυτλῶσαι δρόσῳ

et ipsos fontes vs. 701 χύτλα nominaverat, idem autem vs. 1099 de Agamemnonis balneo dixit:

ὁ μὲν γὰρ ἀμφὶ χύτλα τὰς δυσεξόδους
ζητῶν κελεύθους [1]).

Quod ad λύματα attinet, licet in animo forte habuerit noster Διὸς ἀπατὴν ubi Iuno (Ξ. 171)

λύματα πάντ' ἐκάθηρ' ἠλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ

dubium tamen mihi non videtur consulto usum esse hoc vocabulo Callimachum, ut Ἄύμακα fluvium significaret, de quo vide Paus. VIII. 41, 2.

Vs. 17 τεὸν δ' ἐνὶ χρῶτα λοέσσαι. Pronominis possessivi formam utramque et σὸς et τεὸς aeque epicae dialecto propriam iudicat Callimachus et promiscue utraque utitur. In tertia persona semel tantum ὅς (III. 25) et semel ἑός fr. 420 occurrit. Ceterum non vacavit noster eo errore quo Alexandrini haud raro ἑὸς pro „tuus" et ὅς pro „meus" atque „noster" usurparunt [2]). Cuius erroris plura exempla praebuit v. Leeuwen *Enchiridium dictionis epicae* p. 260. — Alius generis est, quod Hesiodi exemplo (*Opp.* 58.) pronomen ἑὸς adhibet pro σφός fragm. 420; quod culpatur ab Apollonio Dyscolo (de pron. 143.)

Accusativi forma χρῶτα, minus solita apud Homerum quam χρόα, quam formam noster hoc hymno vs. 32 usurpat, fere eidem verbo coniuncta occurrit in Odyssea σ. 172, 179 „χρῶτ' ἀπονιψαμένη." Operae autem pretium est attendere, quantum in his versibus, quibus Rheae partus depingit, absit Alexandrinus poeta a Pindari carmine, quod elegantissimo robore et virili gratia cantat facilem laetumque Euadnae partum, ortusque Iami Ol. VI. 39:

---

[1]) Cf. quoque Apoll. Rhod. IV. 1313 et Maass. *Aratea* p. 66 not.

[2]) Cf. infra ad III. 103; III. 229 σφέτερος pro ἑός adhibet de qua re vide ad IV. 203.

ἃ δὲ φοινικόκροκον ζώναν καταθηκαμένα
κάλπιδά τ' ἀργυρέαν λόχμας ὕπο κυανέας
τίπτε θεόφρονα κοῦρον.

quem hymnum tamen ante oculos fuisse Callimacho hosce versus scribenti, haud improbabile tum propter vs. 11. et vs. 21, tum quia iam imitantem eum videbamus eiusdem hymni vs. 31 supra vs. 15.

Versu 19 ἄβροχον cum dicit Arcadiam Callimachus, tragicorum denuo scrinia expilat. Nunc Euripidem sequitur qui Hel. 1485 Libyae sitientes campos ἄβροχα πεδία dixerat; simul autem opinor variavit Homericum πολυδίψιον, ad quod apertius spectat versu 27 ubi διψαλέος ponitur de pedite qui siccis pedibus futuri fluminis alveum pervadit. Quod ideo tantum moneo, ut inde appareat Callimachum saltem non dubitasse de significatione homerici vocabuli πολυδίψιον, eumque neque fecisse cum iis qui πολυπόθητον interpretarentur (cf. Strabo p. 370) neque ut postea Apollonius (Lex. 59. 18) δίψιον τὸ βλαβερὸν explicasse, cui suffragatur schol. Apoll. Rhod. IV. 14. Quodsi propter illa Apollonii Grammatici verba eam fuisse opinionem Alexandrinorum putandum est, absolvi hoc crimine Callimachum oportet. Ceterum, etiam propter sequentia verba „μέλλεν δὲ μάλ' εὔυδρος καλέεσθαι [1]) suspicor cogitasse poetam de antiquo versu qui Hesiodo tribuebatur

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς ποίησεν εὔυδρον.

(Cf. Eustath. ad Il. 461. 2 et Hes. fr. ed. Kinkel fr. 47).

Vs. 20 αὖτις. Parum distinxisse Callimachum inter αὖτις et αὖθι post Ammonium (p. 27. Valck.) iam multi monuerunt. Ut usum callimacheum cognoscamus operae pretium est varios locos inspicere. αὖτις (nam ubi ς adicit constanter Ionicam formam adhibet neque unquam nisi librarii vitio occurrit αὖθις, quam formam Aristarcho placuisse iniuria quidam ex schol. A ad *X.* 475 opinati sunt), αὖτις semel tantum, quantum nos scimus, usus est Callimachus ut *posthac* indicaret idque nostro loco, ubi opponitur τημόσδε; quod fecit fretus locis homericis quales sunt *A.* 140.

ἀλλ' ἤ τοι μὲν ταῦτα μεταφρασόμεσθα καὶ αὖτις

vel *I.* 440... κεῖνον δ' αὖτις ἐγώ.

Saepius vero αὖτις sive *rursus* sive *retro* indicat.

Sic IV. 99 Λητὼ δὲ μετάτροπος αὖτις ἐχώρει, ubi cum homerico usu apte convenit, nam μετάτροπος (Hom. ὑπότροπος Z. 367 „ὑπότροπος ἵξομαι αὖτις") eandem vim habet quam πάλιν, veluti *P.* 533.

[1]) De verbi μέλλειν usu callimacheo infra dicetur ad II. 14.

τοὺς ὑποταρβήσαντες ἐχώρησαν πάλιν αὖτις

quod eodem modo noster expressit IV. 320 „καὶ οὐ πάλιν αὖτις ἔβησαν" (cf. IV. 141. VI. 69.)

Tum, si *retro* indicat, ut IV. 148 „Πηνειὸς δ' οὐκ αὖτις ἐχάζετο," (item fr. 113[b]) quamquam nonnulli negabant unquam αὖτις hanc vim apud Homerum obtinere, habebat tamen multos locos quibus niti posse sibi videretur: satis erit notissum versum memorare Θ 271 de Teucro

αὐταρ ὁ αὖτις ἰὼν, πάις ὡς ὑπὸ μητέρ', ἔδυσκε
εἰς Αἴανθ'.

Verum quotiescunque metri rationes brevem ultimam quae non desinat in consonantem postulat, aequo animo pro αὖτις noster reponit αὖθι, quae nequaquam eum distinxisse merito arguit Ammonius. Et plerisque locis significatione quam maxime cum αὖτις convenit: ita I. 94. χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι, quod pro Attico αὖθις positum esse vel Aeschyli exemplo demonstratur (*Eum.* 1014) χαίρετε, χαίρετε δ' αὖθις. Non multum distat III. 241. „πρῶτα μὲν... αὖθι δὲ"; IV. 44 „οἱ μὲν ἔτ' οὐκ ἴδον αὖθι." V. 103 „τὸ μὲν οὐ παλινάγρετον αὖθι γένοιτο" cf. quoque fr. 70 „καὶ κῶς αὖθι γενησόμεθα" et id quod ab Ammonio l. l. adducitur „αὖθι τόδ' ἐκδύοιμι." Et in hoc errore iam praeierat Lycophro 732 (cf. Schneiderum ad III. 46.); cum vero locos inspicimus quales sunt III. 46. „αὖθι δὲ κύκλωπας μετεκίαθε" vel etiam I. 72 „ἀλλὰ τὰ μὲν μακάρεσσιν ὀλίζοσιν αὖθι παρῆκας", maior opinor iam videbitur culpa Callimachi. Cum enim his locis aperte αὖθι „*illico*" significet, apparet non solum putasse eum αὖθι ex αὖθις natum esse abiecto σ, sed etiam inter αὖθις, αὖθι, αὖτις plane atque omnino nihil interesse [1]).

Vs. 21. τημόσδε et forma et usu ab homerico τῆμος valde abhorrens quisnam invenerit minime constat. Formatum quidem est ex analogia τοῦ ἐνθάδε et τηνικάδε, at licet apud Alexandrinos demum occurrat nihil obstat, quin antiquius esse suspicemur, cum iam Hesiodus (*Opp.* 576) τημοῦτος habeat, quo noster III 175 usus est. Eiusdem stirpis ὁππῆμος est apud Aratum vs. 568 [2]).

Accuratius in sequentibus usum homericum observavit. Cum enim

---

[1]) Idem peccat Archias in Anth. Pal. IX. 343. 4. cf. quoque Eustath. Il. p. 1062. 50.

[2]) Observatione dignum est Od. η. 318 τῆμος δὲ occurrere quod a nonnullis uno verbo lectum esse arguit Eustath. qui interpretatur ἐστῆμος. Ceterum cf. ad IV. 106.

apud antiquiores scriptores *μίτρα* soleat indicare capitis tegumentum, cingulum autem fere dicant *ζώνην* (cf. Pind. Ol. VI. 39. Eur. Iph. 204.) quod et ipse Homerus saepe fecit, *Ξ* 181. *ε*. 213. *ι*. 245. (cf. Call. IV 209.), consulto Callimachus hoc loco reduxit *τὴν μίτρην*, profecto memor loci Iliadis *E*. 857 „*νείατον ἐς κενεῶνα ὅθι ζωννύσκετο μίτρῃ*", ad quem locum postea Aristarchus observavit „*ὅτι κατὰ τὰ κοῖλα μέρη ἐζωννύοντο τὴν μίτραν.*" Eodem modo puellas, quibus nondum virgineae sunt zonae, nymphas Oceaninas hymno III. 14 noster dicit *παῖδας ἀμίτρους*. — *ζώνην* autem et *μίτρην* non distinxit cf. hymn. IV. 209 et 222. — Callimachi exemplum secutus est Apollonius Rhodius I. 288.

De sequentibus, quae ad antiquam Arcadiae mythologiam spectant, pluribus agere in praesens consulto omitto; hoc tantum moneo Callimachum cum antiquas quercus *σαρωνίδας* dicat (Hesychius „*τὰς διὰ παλαιότητα κεχηνυίας δρύας*" de verbo *σαίρειν* itaque derivans nomen, cf. schol. ad hunc vs.) doctius egisse quam ut soli etymologiae consuleret, sed profecto simul spectasse silvam illam Arcadiae quam memorat Pausanias VIII. 23. 8 „*διαβήσει τε δὴ τὸν ποταμὸν καὶ ἀφίξει ἐπὶ δρυμὸν Σόρωνα*", quam silvam abundasse apris ursis testudinibus enarrat periegeta, id quod cum proximis Callimachi versibus optime convenit. (cf. Bursian. Geogr. II. 263. not. 1. et qui ibi laudatur Hesychius *σορωνίς· ἐλάτη παλαιά.*) [1]).

Eodem versu notandus est verbi *ἀείρειν* usus singularis et cum verbis „*ἐφύπερθεν ἤειρεν*" conferendus Hom. *ι*. 383. Homerico autem *ὀχεῖν*, cum scripsit „*πολλὰς δὲ Μέλας ὤκχησεν ἀμάξας*", praetulit poeta quamvis nulla metri ratione flagitante insolitam formam per *κ̄*, Lycophronis fortasse exemplo ductus, cf. *Alex.* vs. 64, 1094 (ubi nescio qua causa formam *ὀγχεῖν* defendat Scheer.)

Pluribus in vs. 24 sqq. epicus Callimachi sermo ab Homero distat quam quae singula indicare opus sit. *ἰλυός* enim *εἰλυός*, *ἰλυθμός* ab Homero omnia aliena sunt quamquam habet ille verbum *εἰλύειν*. *διερός* vero, vocabulum *ἀμφιμάχητον*, licet non sine proprio consilio saepius adhibuerit Callimachus (II. 23 *διερὸς λίθος*, fr. 245 *διερὴ λαίφη*) nequaquam cogitavit de Aristarchi interpretatione quam praeclare illustrat Lehrsius (Ar. p. 49); adiectivum enim secundum constantem poetarum Atticorum usum apud nostrum *τὸ ὑγρὸν* indicat. — Absconditorum vocabulorum ex

---

[1]) Nicaenetus apud Parthen. Erot. 11. 2 apertissima imitatione nostri: „*καί ῥα κατὰ στειφελοῖο σαρωνίδος αὐτίκα μίτρην ἁψαμένη διερὴν ἐνεθήκατο.*"

aequalium more captator sedulus, pro homerico *κνώδαλον* elegit *κινώπετον*, haud sine consilio fortasse distrahens nomen *κνῶψ*, quod vel ex aliis vel ex Lycophrone suo nosse poterat (*Alex.* 675. cf. Nic. *ther.* 499. 520. 751); quod si in *κινώπετον* distraxit noster, indicare fortasse volebat cum verbo *κινεῖν* ea vocabula coniuncta esse (cf. schol.) quae in homerico *κνώδαλον* postea fuit opinio Apionis teste Apollonio Soph. 101. 15. — Ad homerica quod attinet, verbo *νίσσεσθαι* non redeundi sed eundi sensum tribuisse nostrum nemo mirabitur (cf. v. Leeuw. *Ench.* p. 511.) Speciose vero *πεζὸν* dicit eum virum qui *διψαλέος* „siccus" (cf. IV. 130 et Apoll. Rhod. IV. 638) super futurum flumen transgreditur, eo sensu quo saepe Homerus *τὸν πεζὸν* opponit ei qui nave vehitur: memor igitur fuisse eius versus putandus est, qui semel atque iterum in Odyssea recurrit (ξ. 190 et alibi) *„οὐ μὲν γάρ τί σε πεζὸν ὀίομαι ἐνθάδ' ἱκέσθαι."*

πολύστιος autem plane innovatio est poetae pro magis vulgato *πολυψήφις*, quam cui debeat incertum, nam parum utilitatis affert docta adnotatio scholiastae ad Apoll. Rhod. II. 1172 *„στῖαι αἱ ψῆφοι παρὰ Σικυωνίοις"*, nisi quod ex ea quoque apparet qualibus flosculis poeticum sermonem adornare Alexandrini poetae studeant. Placuit inventum Callimachi Nicandro, *ther.* 950. *alex.* 465.

Vs. 28. *καί ῥ' ὑπ' ἀμηχανίης σχομένη φάτο πότνια Ῥείη·*
„Γαῖα φίλη, τέκε καὶ σύ· τεαὶ δ' ὠδῖνες ἐλαφραί."
30 *εἶπε καὶ ἀντανύσασα θεὴ μέγαν ὑψόθι πῆχυν*
πλῆξεν ὄρος σκήπτρῳ· τὸ δέ οἱ δίχα πουλὺ διέστη,
ἐκ δ' ἔχεεν μέγα χεῦμα· τόθι χρόα φαιδρύνασα
ὤνα τεὸν σπείρωσε· Νέδῃ δέ σε δῶκε κομίζειν
κευθμὸν ἔσω Κρηταῖον, ἵνα κρύφα παιδεύοιο,
35 *πρεσβυτάτῃ νυμφέων, αἳ μίν τοτε μαιώσαντο,*
πρωτιστῇ γενεήν τε μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε.

Vs. 28 ut aoristi *σχέσθαι* passivam vim in loquendi formulis *κηληθμῷ ἔσχοντο, ἄχεϊ σχομένη*, doceret, vertit quod activa verbi forma enarraverat Homerus *ι.* 295 *„ἀμηχανίῃ δ' ἔχε θυμόν."*

Sequens versiculus imitationis exemplum praebet apud omnes sequiores epicos frequentissimae, quae, ut Lehrsii verbis utar (*quaest. epp.* p. 287), „similium literarum consonantia per aures magis quam per mentem subnascitur." Ita illud *„γαῖα φίλη τέκε καὶ σύ"* natum est ex notissimo versu *Φ* 106 *„ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ"*. — Vox *ὠδῖνες* eodem versu de ipso partu ponitur secundum Atticorum

poetarum usum; magis ex more homerico (*Λ.* 271. h. Ap. 92 „*ὠδίνεσσι πέπαρτο*") a nostro adhibetur III. 21 „*ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες τειρόμεναι*" et IV. 61 „*τειρομένην ὠδῖσι.*" Et quoniam vocem *ὠδίς* attigi, iam hic monere licebit, quali genere imitandi, illo quem ex III° hymno laudavi loco delectetur Callimachus, et quam penitus ille Homerum suum memoria teneat. Adfore se mulieribus parturientibus, quamquam virgo, pollicetur Diana, „*ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες τειρόμεναι καλέουσι βοήθοον,*" quod faciet quia se mater *ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο γυίων.* Vides singulis verbis illustrare poetam illos versus (*Λ.* 269) ubi Homerus agit de Ilithyiis

ὡς δ' ὅτ' ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
δριμύ, τό τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,
Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι,
ὥς ὀξεῖ' ὀδύνῃ δῦνεν μένος Ἀτρεΐδαο.

Quod vs. 30 *ἀνταν ύσαι* vel *ταν ύσαι τὴν χεῖρα* minus homerice dicitur (solent enim heroes *ὀρέγειν* [1]) vel *ἀνασχεῖν*, sive *πετάσσαι* et *ἀναείρειν τὰς χεῖρας*) leve est, secundum epicae dialecti rationes enim *ἀντανύσαι* formatum est, quod iterum placuit Callimacho III. 27 „*πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας*", neque *πῆχυς* pro voce *χείρ* usurpatum peccat contra usum epicum. Solemni autem eius temporis errore peccasse Callimachum cum diceret *ὑψόθι* ubi oportebat *ὑψόσε* (cf. quoque *χ.* 467 *ὑψόσ' ἐπεντανύσας*) ingenti exemplorum copia demonstravit Schneiderus ad hunc locum; addi tantum potest iam iis temporibus *κεῖθι* (*ἐκεῖ*) et *κεῖσε* confundi coepta esse. In eiusmodi errorem facile sequiores poetas induxerunt loci qualis est Hesiodi *Op.* 202

ὣδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον
ὕψι μάλ' ἐν νεφέεσσι φέρων, ὀνύχεσσι μεμαρπώς.

Non ita mirum videtur, Alexandrinos putasse iure in tali re spectari exemplum Hesiodi. Nam in manu erat iis opus hesiodeum. Hoc et alibi apparet et nostri versu 32, quem cum scriberet haud sane inmemor fuisse videtur eiusdem libri vs. 753

μηδὲ γυναικείῳ λουτρῷ χρόα φαιδρύνεσθαι
ἀνέρα.

Nec enim constanter id egit, opinor, eruditissimus poeta ut Homeri solius vestigia premeret. Noverat neque *φαιδρὸς* neque *φαιδρύνειν* usurpata esse a Poeta qui *φαεννὸς φαείνειν* talia habet (cf. Call. II. 9), noverat *χεῦμα*, vocem praecipue tragicam eo quidem sensu, in homericis non occurrere; sed ornare eiusmodi innovationibus epicum sermonem

[1]) Call. IV. 107 *πήχεις ἀμφοτέρους ὀρέγουσα.*

studebat. Vix tamen sine consilio in epico carmine crasin eum admississe putaverim qualis est ὦνα. Videtur enim revera Callimachus, qui ut hic ὦνα, ita II. 1 τὠπόλλωνος, II. 9 ὠπόλλων, fr. 44 κἀκείνῳ scripsit, et homericae dialecto convenientem putasse talem crasin, et in editionibus suis legisse, qualem Zenodotus tolerandam putavit *B.* 1 et *K.* 1. ὦλλοι, merito ab Aristarcho reprehensus (Ludw. I. p. 202). Ceterum de hac re iam multis disputarunt Naeke de Call. Hecale p. 92. Duentzer Zenod. p. 59. Merkel. proleg. ad Ap. Rhod. p. LXXVII.

Verbo monendum videtur homericum ἅπαξ λεγόμενον τόθι et hic adhiberi a Callimacho et vs. 38; tum magis placuisse poetae σπειροῦν, quod eo sensu novum videtur, quam σπαργανίζειν, quod iam ab Hesiodo Theog. 485 dictum erat. Substantivum σπάργανον haud uno loco in hymno homerico ad Mercurium recurrit, atque in hymno ad Apollinem, quem crebro respicit Callimachus, vs. 121 de deo recens nato memoratur „σπάρξαν δ' ἐν φάρεϊ λευκῷ". Etymologicae interpretationis rationes in hac re viam poetae fortasse monstrarunt. Ut ergo moneret σπάργανα, σπάργειν cett. a σπεῖρα et σπειροῦν deducenda videri, consulto verbum σπειροῦν et hic adhibuit, et IV. 56.

Versu 33 videtur obversari poetae ν. 68 „ἅμ' ὅπασσε κομίζειν". Si autem codicibus fides est scripsit σὲ δῶκε neque σ' ἔδωκε; de qua quaestione tota solita cura disseruit Schneiderus p. 316. 309. 226. 239. Parum vero in ea quidem re constantiae videtur fuisse Callimacho, neque statui potest quid de augmento homerico ille iudicaverit. Contra qua diligentia ad homerica vocabula, praesertim ad σπανίως εἰρημένα attenderit semper, videmus denuo sequenti versu, ubi vulgato κευθμὼν praetulit cum Lycophrone (vs. 317) κευθμός, quo ostenderet, quid de loco *N.* 28 „πάντοθεν ἐκ κευθμῶν" iudicaret [1]).

Versum 35, quem haud dubie corruptum varii variis modis sanare conati sunt, ita scribendum puto ut quam proxime accedat ad homericum locum quem illustraturus est. Haud enim obscurum est spectari versum ubi eadem adiectivi πρεσβύτατος erat singularis significatio quam nunc obtinet. Versum dico *Δ.* 59

καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλόμητις
ἀμφότερον, γενεῇ τε καὶ οὔνεκα σὴ παράκοιτις.

Apertum opinor est, qua causa in Callimachi imitatione, si quidem recte suspicatus sum de emendando versu, particula τε

[1]) Eustath. ad hunc locum „τοὺς δὲ εἰπόντας αὐτὸ σωγκεκόφθαι ἐκ τοῦ κευθμώνων εὖ ποιοῦντες οὐκ ἀποδέχονται οἱ παλαιοί. Cf. de Ian. p. 55. — Vide quoque infra ad h. IV. 54.

minus solitum obtineat locum. Ceterum ita quoque nostro loco Hesiodi de Oceaninis mythologumena observari (*Theog.* 346) ideo tantum moneo ne quis assentiatur Schneidero, qui *πρωτίστη γενεὴ* coniciens temeritatem in novanda mythologia imputat poetae nostro, cui raro obnoxius est, neque in hoc hymno indulsisse videtur. Si quid video, Callimachus cum ceteris Oceaninis praestare tum honore cum annis Nedam diceret meminerat, ab Hesiodo Stygem quae maior natu esset ceteris nymphis praeponi: „*ἥ δή σφεων προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων*" (vs. 361), eaque fuit causa ei ut adiceret „*μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε*". — Obiter notandum est *παιδεύσασθαι* quod significationem *τοῦ θρέψασθαι* habet aeque longe ab antiqua epica dictione abesse ac sequens *μαιώσασθαι*.

Vs. 37. *οὐδ' ἀλίην ἀπέτισε θεὴ χάριν, ἀλλὰ τὸ χεῦμα*
κεῖνο Νέδην ὀνόμηνε. τὸ μὲν τόθι πουλὺ κατ' αὐτὸ
Καυκώνων πτολίεθρον, ὃ Λέπρειον πεφάτισται,
40 *συμφέρεται Νηρῆι, παλαιότατον δέ μιν ὕδωρ*
οἰωνοὶ πίνουσι Λυκαονίης ἄρκτοιο.

Si modo *ἅλιος* (eodem versus loco positum quo *E.* 715) et aoristum *ἀπέτισε* exceperis, plura in his versibus insunt quae ab Homeri dicendi ratione recedunt quam quae conveniunt. De forma *θεὴ* iam disseruit Schneider; *χάρις* significatione ab Homeri aliena adhibetur (cf. IV. 152). *Ὀνόμηνε* quod, si formam verbi spectas, optime cum usu Homeri congruit, sensu nominandi nusquam ab Homero usurpatur qui *καλέειν* dicit ut noster I. 45; nunc autem Hesiodus Callimacho exemplum praebuit *Opp.* 80 „*ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα | Πανδώρην*" [1]). Longius aberravit poeta cum iterum nominandi verbo ei opus esset in iisdem versibus agenti de ea urbe „*ὃ Λέπρειον πεφάτισται*" (ubi obiter moneo eum formam *Λέπρειον* praetulisse ut apertius conditoris nomen *Λεπρεύς* indicaret); nam *φατίζομαι* nominandi vim apud nullum antiquiorem scriptorem obtinet, Parmenidis enim versus 94 (*Karst.*) iniuria huc trahitur, neque ipsum nomen *φάτις* in antiqua epica dialecto talem sensum praebet [2]). De tragicis dubitari potest, et fortasse in tali versu, qualis est Aeschyli fr. *Aetn.* 5: „*ἦ καὶ Παλίκων εὐλόγως μένει φάτις*" idem valere *φάτις* quod *ὄνομα* Alexandrinis videbatur. Id quidem constat, cum semel praeiisset Callimachus, libenter secutos esse ceteros eius aetatis poetas: cf. Apoll. Rhod. I. 1019 et IV. 658. et Nicand fr. II. 30 Schn.

---

[1]) Saepius *ὀνομῆναι* apud Apollonium Rhodium eodem sensu; is autem ni fallor *ὀνομάζειν* non adhibet.

[2]) Herod. V. 58 Schweigh. iniuria *ἐφάτισαν* interpretatur „nominarunt".

Quantum *πουλὺς* nostro placuerit, licet neque *πολλὸν* spreverit, non est quod multis dicam, neque diiudicabo utrum iure necne graviter castigentur Alexandrini qui talia probarint. Ut *οὔνομα* (II. 70 „*πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ*"), *Οὔλυμπος* IV. 20; *οὔρεα* III. 18, ita *πουλὺς* scribit quotiescunque metrum cogit. Quod ad normam homericam facere et ipse sibi videbatur, et Aristarcho, cui formam *πουλὺν* in homericis non suspectam fuisse diple ad *K.* 27 declarat. Verumenimvero „*πουλὺ συμφέρεται*" neque cum epico sermone neque cum aliorum poetarum dicendi ratione convenit, et audacius ad imitandum notum illud „*πολὺς ῥεῖν*" dictum est sive memor fuit noster versus aeschylei (*Sept.* 80) „*ῥεῖ πολὺς ὅδε λεώς*", sive Euripidis Hippolytum spectavit (vs. 543) „*Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς ἦν πολλὴ ῥυῇ*" (cf. supra vs. 18 *Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔρρεεν*). Quod sequitur, *συμφέρεται Νηρῆι* (cuius versus memor fuisse videtur Apollonius Rhodius cum IV. 134 scriberet „*<Λυκὸς> Φάσιδι συμφέρεται ἱερὸν ῥόον*") ideo dignum est observatione quod morem in aliis deorum nominibus (*Ἀίδης, Ἥφαιστος*) usitatum secutus, nomen *Νηρεὺς* (quo nomine *γέρων* ille *ἅλιος* neque in Iliade diserte appellatur neque in Odyssea, cum semel in hymno ad Apoll. 141 Thetis *Νηρῆος θυγάτηρ* audit) ad ipsum mare indicandum usurpat, quod Lycophro vs. 164 dixerat „*Νηρέως δόμους*".

Verum si in ipsis verbis minus hic quidem id egit poeta, ut Homeri exemplum acuratissime sequeretur non tamen homericam interpretationem prorsus neglexit. Quid enim attinebat in Iovis nataliciis enarrare quorsum Neda flumen cursum verteret? Edocere volebat opinor doctus poeta, Caucones ubi habitarent, de quibus Homerus *γ.* 366

ἀτὰρ ἠῶθεν μετὰ Καύκωνας μεγαθύμους
ἐλθ' ἔνθα χρεῖός μοι ὀφείλεται.

Servant scholia ad hunc locum eruditionis Alexandrinae exemplum: *Νῦν τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ μέμνηται..... Μεταξὺ τῆς Ἠλείας καὶ Πύλου οἱ Καύκωνες οἰκοῦσιν ἐν τῇ Τριφυλίᾳ ἀπὸ Καύκωνος τοῦ Ἀρκάδος ὠνομασμένοι· εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι ἐν Παφλαγονίᾳ οἱ τοῖς Τρωσὶ συμμαχίαν πέμψαντες· „Καὶ Λέλεγες καὶ Καύκωνες"* (*K.* 429). Accuratius autem de Cauconibus Caucone Lepreo ipse Callimachus disseruit *ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν* quae exerpsit Zenodotus. Testis est Athenaeus X. 412 A: *Ζηνόδοτος δ' ἐν δευτέρῳ Ἐπιτομῶν Καύκωνός φησι τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀστυδαμείας τῆς Φόρβαντος γενέσθαι τὸν Λεπρέα, ὃν τὸν Ἡρακλέα κελεῦσαι δεθῆναι ὅτε Αὐγέαν τὸν μισθὸν ἀπῄτει κ. τ. λ.* (de Zenodoti hypomnemasi cf. Susemihl *Hist. Lit.*

Alex. I. p. 334. not. 26.). — et sive in eo libro sive in *Arcadia* sua uberius quoque de Caucone Arcade, Callistone et Lycaone Callimachum egisse (quas res sequenti versu tangit) testatur fragm. 385. — Quod autem attinet ad dicendi rationem, versu 41 haud obscure imitatur versus Homericos *B* 825 ubi alterius illius Lycaonis ex quo Pandarus natus erat milites dicuntur

ἀφνειοὶ πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο

cuius versus alibi quoque meminit Callimachus, vide fr. 290. Incredibile est quantum sequioribus poetis haec dicendi ratio placuerit: meminimus omnes illud „Rhodani potor" Horatii (Od. II. 20), et eiusdem „extremum Tanain si biberes Lyce" (Od. III. 10). Quibus addam tantum Senecae versum ex Hippolyto: „petitur telis fera quae gelidum potat Araxen".

Vs. 42. *εὖτε Θενὰς ἀπέλειπεν ἀπὸ Κνωσσοῖο φέρουσα*
Ζεῦ πάτερ, ἡ νύμφη σε (Θεναὶ δ' ἔσαν ἐγγύθι Κνωσσοῦ)
τουτάκι τοι πέσε δαῖμον ἄπ' ὀμφαλός· ἔνθεν ἐκεῖνο
45 *Ὀμφάλιον μετέπειτα πέδον καλέουσι Κύδωνες.*

Versus sane inelegantes et verborum ordine contorto turbati; quibus tam subito ab Arcadia in Cretam transit narratio ut merito lacunam inter vss. 41 et 42 statuisse videatur Meinekius. Equidem silentio versus praeterire poteram et verbo tantum monere ingrata Homeri imitatione praepositionem *ἀπὸ* vs. 44 per tmesin locum mutasse (cf. *λ.* 84; *E.* 308); tum *Κνωσσὸν* nostrum per unum *σ* scripsisse quod idem iussit Aristarchus teste Didymo ad *τ.* 179, *τουτάκι* autem, quod bis a Pindaro semel a Theognide adhibetur, Callimachum fortasse a Lycophrone (vs. 891) sumsisse; postremo *πέδον* (cf. II. 38. IV. 62) non Homero deberi verum tragicis [1]). Verum operae fortasse pretium est attendere ad *Κύδωνας*. Eruditissimus enim poeta, haud profecto inmemor Homeri, alio loco (III. 197) Cydones dicit eos qui circa Cydoniam habitant, de quibus Homerus *γ.* 292 „*ἦχι Κύδωνες ἔναιον, Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα*"; nostro vero loco *Cnosi* accolas eo nomine indicat, item Cydones longe maioribus finibus circumscribit III. 81 et fr. 214, *τόξον Κυδώνιον* enim ita ut *ἄεμμα Λύκτιον* II. 33, et Cnosia spicula apud Latinos poetas universe arma Cretensia indicant. Nec sine causa Callimachus tantam Cretae partem Cydonum nomine complexus est. Videbantur ei profecto antiquitus inter illas Cretae gentes quas Homerus memorat *τ.* 175 (versu gram-

[1]) De voce *πέδον* cf. infra ad IV. 62.

maticis notissimo) haud ultimum locum tenere Cydones, eosque ab Iardano flumine orsos septentrionalis Cretae et orientalis haud minimam partem imperio suo olim adiecisse (cf. Strabo X. 375). Quin etiam, si tenemus quanto amore Callimachus Arcadiae historias antiquas semper coluerit, non possumus quin suspicemur eum illi quoque historiae favisse, quam tradit Pausanias VIII. 53. 4 (Cretenses autem vehementer hanc traditionem oppugnasse facile credimus periegetae): „*λέγουσι δὲ καὶ ὅσοι Τεγεάτου τῶν παίδων ἐλείποντο μετοικίσαι σφᾶς ἑκουσίως ἐς Κρήτην, Κύδωνα καὶ Ἀρχήδιον καὶ Γόρτυνα· καὶ ἀπὸ τούτων φασὶν ὀνομασθῆναι τὰς πόλεις Κυδωνίαν καὶ Γόρτυνα καὶ Κατρέα*". Quae apertissime certant cum eorum opinione qui Cydoniam a Cnosi incolis conditam esse contendebant.

Vs. 46. *Ζεῦ, σὲ δὲ Κυρβάντων ἑτάραι προσεπηχύναντο,*
Δικταῖαι μελίαι, σὲ δ' ἐκόλμισεν Ἀδρήστεια
λίκνῳ ἔνι χρυσέῳ, σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζὸν
αἰγὸς Ἀμαλθείης, ἐπὶ δὲ γλυκὺ κηρίον ἔβρως·
50 *γέντο γὰρ ἐξαπίναια Πανακρίδος ἔργα μελίσσης*
Ἰδαίοις ἐν ὄρεσσι, τά τε κλείουσι Πάνακρα.
οὖλα δὲ Κούρητές σε πέρι πρύλιν ὠρχήσαντο
τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν
ἀσπίδος εἰσαΐοι καὶ μή σεο κουρίζοντος.

Cum imitatione et interpretatione antiquorum poetarum arctissime in his versibus coniuncta est eruditissimum novandi studium. Licet enim Hesiodum ceterosque „*δηναιοὺς ἀοιδοὺς*" qui Cretae insulae natalicia Iovis vindicant impugnare non desinat, memoria tamen antiquum vatem penitus tenet. Quis enim, cum „Dictaeas nymphas" — quas *Melias* vocat nomine a Melia Oceanine derivato (cf. Schol. ad Apoll. Rhod. II. 4) — *Κυρβάντων ἑτάρας* dicit, non meminit illorum ex Catalogo versuum quibus cum Curetibus nymphas Cretenses coniunxerat Hesiodus (apud Strab. X. 471 = fr. 42 *Kink.*)

ἐξ ὧν οὔρειαι Νύμφαι Θεαὶ ἐξεγένοντο
καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν
Κούρητές τε θεοὶ φιλοπαίγμονες, ὀρχηστῆρες.

De eorum Curetum et Corybantum genere atque origine quid censuerit Callimachus, nunc disquirere consulto omitto: satis erit observasse duobus nominibus indicatum ei videri unum idemque genus, nam qui hic *Κύρβαντες*, iidem vs. 52 *Κούρητες* audiunt. Neque nimiae erit audaciae suspicari, Callimachum vocis spectasse etymologiam cum Lycrophronis exemplum secutus (*Alex.* 71) *Κύρ-*

βαντας vocat eos qui vulgo *Κορύβαντες* dicebantur. Vs. enim 52 enarrat *Κούρητας* scuta hastis percussisse „*ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν ἀσπίδος εἰσαΐοι καὶ μή σεο κουρίζοντος*" ad lusum etymologicum sensum verbi *κουρίζειν* detorquens [1]); nunc autem, quoniam minus solitam vocis formam praeferens *Κύρβαντας* eos dicit, haud improbabile videtur eum iam cogitasse de ea etymologia quam servat Herodianus (ed. Lentz II. 286. 9.) „*παρὰ τὸ κρύβειν Κρύβαντες καὶ Κύρβαντες*".

Quod in eodem versu occurrit *προσεπηχύναντο* id novum esse videtur et formatum ex more Alexandrinorum qui eiusmodi compositis delectabantur. In quo verbo si noster exornat Atticorum *προσάγεσθαι, προσέλκεσθαι* (nam revocat in memoriam Euripidis Hippolytum (1432) „*λαβὲ σὸν παῖδ' ἐν ἀγκάλαισι καὶ προσέλκυσαι*") haud tamen scio an interpretari et ornare quoque sibi visus sit Homericum *προσπτύξασθαι* [2]). — Callimachi exemplum secutus est Oppianus in Anth. Pal. XII. 121.

κοιμίζειν autem et *κοιμᾶν* promiscue utitur Callimachus (cf. IV. 110. E. 11. E. 64 in quo epigrammate utramque simul adhibet formam). Et quamquam illud fortasse debet tragicis, quibus solemne est *τὸ κοιμίζειν*, hoc Homero, tamen dubitari licet, an forte utramque formam in suis Homeri exemplaribus invenerit, quia *κοίμισον* et *κοίμισσον* in quibusdam editionibus Iliadis occurrisse constat cf. *M.* 524 et Eustath. ad *γ*. 397: „*διὰ τὸ η̄ γράφεται ἐν τοῖς ἀκριβεστέροις τῶν ἀντιγράφων.*" — Certius vero est in sequentibus „*σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζὸν αἰγὸς Ἀμαλθείης*" Homerum spectari, in quo versu obiter moneo, addito nomine „*αἰγός*" poetam oppugnare eorum opinionem qui Amaltheam non capram sed feminam fuisse putarent; Homeri autem versum spectat *Ω*. 58

Ἕκτωρ μὲν θνητός τε γυναικά τε θήσατο μαζόν,

de quo propter nostrum versum iure suspiceris Callimachum iam idem censuisse quod teste Aristonico post eum censuit Aristarchus: „*ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ γυναικὸς μαζόν.*" Versari enim ante oculos poetae illum Homeri versum vel inde efficies, quod praeter solitudinem caprae uber non *οὖθαρ* verum *μαζὸν* dixit, observat enim vocis solitum usum III. 214; IV. 274. — In sequenti vero versu

---

[1]) De vocabulis *κοῦρος κούρη κουρίζειν* vide infra ad III. 5 et IV. 2.

[2]) *προσπτύσσομαι* enim, licet in antiqua Graecitate nihil nisi *amplecti aliquem, adhaerere alicui* significet, ita ut praepositio *πρὸς* ad eum spectet quem amplectimur, tamen ab Hesychio explicatur „*προσάγεσθαι προσέλκεσθαι*", i. e. *πρὸς ἑαυτὸν ἄγειν.*

quamquam verbis „ἐπὶ δὲ γλυκὺ κηρίον ἔβρως" aperte imitatur hymni homerici versum de Apolline recens nato (vs. 127)

αὐτὰρ ἐπειδὴ Φοῖβε κατέβρως ἄμβροτον εἶδαρ,

non tamen occulta est causa cur pro ambrosia mel substituerit. Explicanda enim origo egregii mellis Cretensis, quod sequentibus versibus enarrat in Iovis usum subito natum esse.

Versu 50 formam syncopatam *γέντο* pro *γένετο* adhibens, quamquam non convenit cum usu homerico, aut Hesiodum (*Theog.* 199. 283.) aut lyricos secutus esse videtur neque graviter peccasse contra morem sermonis epici qui in aliis verbis syncopen tulit (cf. *I.* 171. *φέρτε.*) [1]). Alterum illud *γέντο* „prehendit" non nisi in hymno Dorica dialecto conscripto adhibuit (VI. 44, cf. scholl. ad *N.* 15. „*γέντο· ἔλαβε. Δωρικὸν καὶ Αἰολικόν*"). —

In sequenti versu quamquam imitatus *γ.* 338

ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε τά τε κλείουσιν ἀοιδοί,

non tamen verbum *κλείειν* eodem sensu quo Homerus adhibet; utitur enim eo verbo quasi sit *καλεῖν* quod idem iam dudum in verbo *κλήζειν* fecerant poetae Attici [2]).

Plures de vocabuli *οὖλος* usu callimacheo opiniones protulerunt interpretes, quam ut omnes hic referam; paucis itaque exponam quid mihi in hac re statuendum videatur, id quod eo brevius facere licebit quia accurate, et si quid video plerumque recte, de hac quaestione egit de Ian. ll. p. 11. — Quanta fuerit de vocabulo *οὖλος* inter doctos Alexandrinos dissensio, nemo melius ostendit quam schol. ad *ζ.* 231: „*τὸ οὖλος πολλαχῶς λέγεται. δηλοῖ δὲ καὶ τὸ ὁλόκληρον καὶ τὴν τῶν τριχῶν διαστροφήν. αἰνίττεται δὲ καὶ τὸ ὀλέθριον ὡς ἐν Ἰλιάδι* (*B.* 5) *φησὶν .... οὖλον ὄνειρον ἤγουν τὸν ἐπ' ὀλέθρῳ πεμπόμενον. σημαίνει δὲ καὶ τὸν ὑγιῆ, ὥσπερ λέγεται οὖλα τραύματα* (l. *οὐλὴ τραύματος*), *σημαίνει δὲ καὶ τὸ ὑγίαινε ὡς ἐν ἐκείνῳ· „οὖλέ τε καὶ μάλα χαῖρε"* (*ω.* 402). Adiciendum est schol. *A.* ad *B.* 5, unde apparet ab Aristarcho oppugnatos fuisse qui censerent *οὖλον ὄνειρον* esse *τὸν μαλακόν*, et Herodiani epitome (Lentz II. 273. 29.) ex qua videmus accuratius ab eo distincta esse tria vocabula *οὖλος*: *σημαίνει τὸν ὅλον· „ἄρτον τε οὖλον ἑλών"* (*δ.* 343).... *σημαίνει καὶ τὸ μαλακόν· „οὖλας ἦκε κόμας"* (*ζ.* 231) *καὶ „οὖλων τε ταπήτων"* (*Π.* 224) *παρὰ τὸ εἰλῶ τὸ συστρέφω, ἔνθεν καὶ τὸ*

[1]) Eadem forma *ἴγεντο* occurrit IV. 147, in parte carminis ubi hoplopoeiae versus 474 sqq. imitatus aut recordatus est: ibi autem (*Σ.* 476. 477) bis occurrit „*γέντο*" = „*ἴλαβε*".

[2]) Eodem sensu *κλεο* IV. 38; at secundum usum Homeri II. 18, ubi vide.

ἑλίσσω· ... σημαίνει καὶ τὸ ὀλέθριον παρὰ τὸ ὄλω τὸ ὄλλυμι κ. τ. λ. Convenit cum hac varietate Callimachus. Is enim homericum οὔλας κόμας imitatur IV. 302 „οὖλος ἐθείραις Ἕσπερος" quod parum feliciter suspicatus est de Ian. significare *nigricomam*, poetam versum imitari α. 423 contendens

τοῖσι δὲ τερπομένοισι μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθεν.

Imitationem equidem hic nullam video; contra mihi verum vidisse videtur scholiasta, qui interpretatur „ὁλόκληρος ταῖς θριξί, τουτέστι λαμπρὸς ταῖς ἀκτῖσιν". Non enim sibi finxit Callimachus Hesperum *crispis* crinibus, neque *nigris*, verum ni fallor tali caesarie ornatum quali Helion ἀκερσεκόμην illum ornabant eius aetatis artifices, qualemque videmus in notissimo Rhodiorum nummo de quo vide RAPP. in Roscheri Lex. I. 2003. 50; eam autem crinium abundantiam adiectivo οὖλος recte indicari putabat.

Haud multum interest inter illam vocis significationem et eam quam nostro versu habet, ubi *crebro* significat. Ceterum omittere nolo iniuria, ut mihi quidem videtur, plerosque interpretes οὖλα hic coniungere cum verbo ὠρχήσαντο; pertinere enim ad πεπλήγοντες (vs. 53) non sensus solum monet sed praecipue ille versus Homeri arguit quem exemplum praebuisse nostro non dubium est: *P.* 756 „οὖλον κεκλήγοντες." Non enim crebra pedum pulsatione Curetes vagientis Iovis celabant singultus, verum οὖλα i. e. πυκνὰ τὰς ἀσπίδας πλήττοντες. — Prorsus idem valet οὖλα versu III. 247

αἳ δὲ πόδεσσιν
οὖλα κατεκροτάλιζον, ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι.

Cum vero sensus satis constare videatur, dubitari tamen potest, utrum his locis Callimachus Homericum οὖλος a verbo εἰλεῖν derivaverit an interpretatus sit tanquam ὅλος. Non dubium est in hymno II. 76, ubi de Batto

ἐκ δέ σε Θήρης
οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ.

Cui loco iam adici licet Hecales fragmentum nuper repertum et editum a Gomperzio (col. I. vs. 8) siquidem evanida verba coniectura ingeniosa recte restituit HIPOLAK:

Θησεὺς οὐχ ἑκὰς οὖλος ἀπ' εὐύδρου Μαραθῶνος [1])

Eodem pertinet fr. 140.

Tandem usus est vocabulo οὖλος a verbo ὀλλύναι derivato fr. 507.

Ceterum, ut iam ad ipsum hymnum redeamus, Corybantum

[1]) Cf. *Verslagen en Mededeelingen der K. Akad.*, 3e reeks, deel X. p. 142

saltationem πρύλιν cum dicit vocem sane Homero incognitam adhibet; cum vero ex ipsa Aristarchi adnotatione ad *M.* 77; *Λ.* 49; *E.* 744 liqueat de vi vocabuli πρυλῆς dissensisse Alexandrinos Grammaticos, credidisse Callimachum, apud Cretenses eo nomine indicari ὁπλίτας, quod idem putat schol. V. ad *M.* 77, haud levis est suspicio [1]). Tum illud quod iam attigimus τεύχεα πεπλήγοντες docet, quam facile poeta, levi immutatione locum Homericum secutus, inducatur ut statim ad aliam eiusdem loci immutationem transeat. Dixerat Homerus (*P.* 756) „οὖλον κεκλήγοντες"; sonorum similitudine incitatur Callimachus ut ad normam homerici κεκλήγοντες, nunc πεπλήγοντες scribat. Quo apparet iam idem de iis formis iudicasse Callimachum, quod post eum opinatus est Aristarchus, qui ad *M.* 125 „κεκλήγοντες· ὡς ἀρήγοντες· οὐ γὰρ τὸ κεκληγότες ἐπλεόνασε τῷ ν̄, οὐδὲ παρὰ τὸ „ὀξέα κεκληγὼς" ἐκλίθη, ἀλλὰ παρὰ τὸ κέκληγα γέγονεν ὁ ἐνεστὼς κεκλήγω, ὡς παρὰ τὸ ἄνωγα ἀνώγω, πέπληγα πεπλήγω, ἔνθεν τὸ „ἐπέπληγον πόδες ἵππων." (Ludw. I. 340). — Eodem redit forma τετύποντες III. 61 et imperativus ἄνωγε fr. 440.

At ne nunc quidem versus illos homericos *P.* 756 sqq. mittere possumus. Curetes enim qui in saltando pyrrhichio clipeos hastis percutiunt dicuntur τεύχεα πλήττειν quod cum solito usu eius vocabuli in homericis non accuratissime convenit, quoniam Homerus τεύχεα solet appellare sive totam heroum armaturam sive ea tantum arma quae induuntur. Cuius rei exempla abundant, notissima autem fere sunt ἀρήια τεύχεα δῦναι καταδῦναι φορέειν de armis quibus induuntur bellatores; contra τεύχεα ἀμείβεσθαι (*Z.* 230; *Ξ.* 381) et de Rhesi armatura *K.* 439 „τεύχεα δὲ χρύσεια πελώρια" de panoplia. Eo vero loco quem proximis versibus imitatus erat noster, *P.* 760, statim post versum quem indicavimus legitur

πολλὰ δὲ τεύχεα καλὰ πέσον περί τ' ἀμφί τε τάφρον
φευγόντων Δανάων,

quod neque de panoplia accipi potest neque de loricis et tantummodo ea arma indicat quae bellatores fugientes possunt abicere, hastas fortasse gladiosque atque clipeos [2]). De clipeis inprimis accipiebant Grammatici Alexandrini; schol. enim *A.* „πεφεισμένως οὐκ εἶπεν ὅτι οἱ Ἕλληνες ἀπέβαλον τὰ ὅπλα ἵνα μὴ ῥιψάσπιδας εἴπῃ." Hanc Callimachi quoque opinionem fuisse, equidem non pro certo affirma-

[1]) Cf III. 240. — Idem fere monet de Ian. p. 28. Cui tamen non concedo Callimachum (quod postea Eustathius atque Hesychius fecerunt) πρυλέες a nominativo πρύλις duxisse. Utroque enim loco πρύλις saltationem, non ipsos saltatores, indicat.

[2]) Conferendus quoque ξ. 474 ὑπὸ τεύχεσι πεπτηῶτες.

verim; usum saltem minus solitum versu suo illustrat. — Eodem versu in *οὔασιν* recte normam homericam servat, item II. 105; III. 63; IV. 320, et fr. 320 *οὐατόεις*, quam ob rem eandem formam fortasse licebit restituere fr. anon. 102. *μύρσον ἐς οὐατόεντα* pro *ὠτώεντα*. — Neque minus accurate in *εἰσᾰΐοι*, quamquam composita forma in epicis non occurrit, *α* quod corripit Homerus, breve habet, cum in compositis Attici producerent. Ipsum compositum *εἰσαΐειν* pro *εἰσακούειν* primus invenit fortasse Callimachus; imitatus autem Apollonius (I. 1023; II. 195.) minus recte *εἰσᾰ́σειν* scripsit.

Vs. 55. *καλὰ μὲν ἠέξευ, καλὰ δ' ἔτραφες οὐράνιε Ζεῦ,*
ὀξὺ δ' ἀνήβησας, ταχινοὶ δέ τοι ἦλθον ἴουλοι·
ἀλλ' ἔτι παιδνὸς ἐὼν ἐφράσσαο πάντα τέλεια·
τῷ τοι καὶ γνωτοὶ προτερηγενέες περ ἐόντες
οὐρανὸν οὐκ ἐμέγηραν ἔχειν ἐπιδαίσιον οἶκον.

Cum ita quantitatis varietate (*κᾰ̄λὸς κᾰ́λός*) versum ornaret poeta (quod copiosa doctrina Schneiderus defendit) epicas fortasse rationes sequebatur. Neque vero his versibus ipsius Homeri exemplum sequitur. Non enim Homerum tantum, verum Hesiodum quoque etiam atque etiam imitandum sibi proposuit. Ita in hac carminis parte spectabat Hesiodea (*Theog.* 492)

καρπαλίμως δ' ἄρ' ἔπειτα μένος καὶ φαίδιμα γυῖα
ἠύξετο τοῖο ἄνακτος·

et iure quidem iamdudum observatum est cum Homeri usu non convenire Callimachum si *καλὸς* correpta littera *α* adhibeat; at iam Hesiodus ad Atticorum correptionem accessit duobus locis (*Opp.* 63. et *Theog.* 585.) quem secutus noster usum hesiodeum cum homerico coniunxit. Hunc enim statim post spectat cum forma utitur *ἔτραφες*. Quam formam consulto hic introducit poeta, quo moneat aoristum *ἔτραφον* intransitiva apud Homerum uti potestate, melius profecto de ea re iudicans quam postea Herodianus, qui ad *Φ*. 279 „*ὃς ἐνθάδε γ' ἔτραφ' ἄριστος*" putabat *ὅτι τὸ ἐτράφη συναλοιφὴν πέπονθε διὰ τοῦ η̄*. (Herod. ed. Lentz II. 346. 39.)

Versu 55 semel atque iterum ab homerico usu recedit. Iovem cum adloquatur epitheto nec homerico et fortasse satis otioso „*Οὐράνιε Ζεῦ*" nescio an forte eum induxerit Hesiodus, qui in ea parte carminis quam saepius hic noster imitatur, vs. 486, de Saturno dixerat

Οὐρανίδῃ μέγ' ἄνακτι, θεῶν προτέρῳ βασιλῆι,

quam suspicionem, levem sane, non memorarem, nisi apud Atticos

poetas de dis in universum saepe diceretur *θεοὶ οὐράνιοι*, at de uno Iove ante Alexandrinorum tempus id dici non solitum esset, (cf. Call. Ep. 53. et imitatorem nostri Nonnum XXI. 4; XXV. 348.). — Aliter de hac re iudicat de Ian. pag. 50.

ὀξὺ ἀνηβῆσαι, vs. 56, nobis magis ex Alexandrinorum loquendi more dictum videtur quam ex usu homerico. Verum, quamquam haud dubie *ὀξὺ προϊδεῖν*, *ὀξὺ δέρκεσθαι*, tum *ὀξὺ βοᾶν*, *ὀξὺ κωκύειν* de *acri* visu et clamoris sono *acuto* a Poeta dictum recte accipiebant eius aetatis grammatici, erat tamen, ubi dubitarent, veluti cum *P.* 256 legerent

ὣς ἔφατ', ὀξὺ δ' ἄκουσεν Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας.

Quodsi iam eo versu adiectum *ὀξύ* de celeritate observationis accipere poterant, facilius eo adducebantur in locutione „*εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε*" (v. c. *Γ.* 374; *E.* 680) quod quomodo acceperint grammaticorum nonnulli videbis ex schol. D. ad *Γ.* 374 „*ὀξέως καὶ ταχέως ἐθεάσατο.*" Vocabulum *ὀξυβουλία*, quo utitur schol. Ven. ad *K.* 204 et Psalmorum versio in LXX. Ps. 44. 2 („*ἡ γλῶσσά μου κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφου.*") exemplo docent quo modo *ὀξὺ* a sequioribus Graecis saepe adhiberetur; Callimachum autem eodem modo interpretatum esse *ὀξὺ νοεῖν*, vix dubium videtur. — In verbo *ἀνηβᾶν* non solum ab Homero decedit qui eo composito prorsus non utitur, sed etiam a ceteris poetis antiquioribus. Ii enim (cf. Theogn. vs. 1005.) sensum repuerascendi illi verbo tribuere solent. Aeque ignotum Homero vocabulum *ταχινός*, quod formatum est ad normam *τοῦ πυκινός*, et talium inprimis adiectivorum quae tempus indicent *ἑσπερινός*, *ὀπωρινός*. — *ἴουλοι* vero spectat Od. *λ.* 319

πρὶν σφωϊν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους
ἀνθῆσαι πυκάσαι τε γένυς εὐανθέι λάχνῃ.

Eodem modo quo *ταχινός* indicat apud nostrum id quod fit *ταχέως*, ita *παιδνὸς* accipiendum ei videtur de tempore: *παιδνὸς ἐὼν* interpretandum est „cum esses puerili aetate". Sectatur in hisce et explicat Od. *φ.* 21.

τῶν ἕνεκ' ἐξεσίην πολλὴν ὁδὸν ἦλθεν Ὀδυσσεὺς
παιδνὸς ἐών. — (cf. *ω.* 338).

τέλεια autem accipi debere de iis, „quae adulto viro digna sunt," ex ipsa oppositione (*παιδνὸς ἐὼν ἐφράσσαο πάντα τέλεια*) discimus. Stabat igitur poeta ab eorum partibus qui *A.* 66 „*ἀρνῶν τε τελείων*" interpretabantur de aetate. Ceterum ex nostro loco apertum quoque fit Callimachum cum *Θ.* 247 Iovis alitem dictum inveniret „*τελειότατον πετεηνῶν*" repudiasse eorum interpretationem, qui

explicarent „ἐντελῆ σημεῖα φέροντα." Ipse aquilam vs. 68 „οἰωνῶν μέγ' ὑπείροχον" dicit.

Brevissime mihi de versibus 58 et 59 agendum est, nam multi iam copiose dixerunt de Οὐρανῷ ab Olympo non diverso et de insolita voce ἐπιδαίσιος, (conf. Schneid. ad hos versus et de Ian. l. l. 50) [1]). Et primum quidem moneo, consulto vocabulum γνωτοὺς adhiberi a poeta ut interpretetur locos quales sunt Ξ. 485; O. 336, ubi Aristarchus quoque adnotavit ἀδελφοὺς indicari; tum προτερηγενής, ad rationem Homerici παλαιγενής iam ab Antimacho (fr. 43) usurpatum esse; in constructione autem verbi μεγαίρειν imitatum esse Callimachum versus Homeri γ. 55.

μηδὲ μεγήρῃς
ἡμῖν ἐπευχομένοισι τελευτῆσαι τάδε ἔργα [2]).

Multa quoque multi disputarunt de eo loco qui sequitur:

Vs. 60 δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί·
φάντο πάλον Κρονίδῃσι διὰ τρίχα δώματα νεῖμαι.
τίς δέ κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἄιδι κλῆρον ἔρυσσαι,
ὃς μάλα μὴ νενίηλος; ἐπ' ἰσαίῃ γὰρ ἔοικε
πήλασθαι· τὰ δὲ τόσσον ὅσον διὰ πλεῖστον ἔχουσι.

Quinque versus uno tenore exscripsi, non enim cum Schneidero post vs. 62 lacunam statuendam esse putaverim. Videbit autem lector poetam, cum aut antiquiores oppugnet, aut nova ac diversa exponat, magis iam ipso sermone quoque suo discedere ab antiqua epica dialecto, nec tamen interpretationem homericam missam facere. Pristini temporis poetas δηναιοὺς dicens summo quidem iure offensioni fuit omnibus, neque satis defenditur iis locis quos ex Odyssea attulit Schneiderus. Nec tamen equidem neglegentia peccasse poetam aut ideo solum usurpasse eam vocem puto, ut recondita et profanis obscura venditando eruditorum hominum gra-

[1]) De adiectivo ἐπιδαίσιος varias opiniones congessit F. Bredau in dissertatione *de Callimacho verborum inventore* (Vratisl. 1892) p. 19. — Summopere displicebat hoc adiectivum Valckenaerio, qui ἀποδάσμιον proponit in schedis. Asservantur enim in Bibliotheca Lugduno-batava Schedae Valckenaerianae quae tum alia multa cum critica in Callimachum continent. Haec cum per otium inspicerem, quod ut facere possem debui magnae benevolentiae Virorum quibus bibliothecae manuscriptorumque cura mandata est, videbam multa quidem inesse quae data occasione aut ipse Valckenaerius publici iuris fecit aut Luzacius in libro de Callimachi elegiarum fragmentis, nec deesse, de quibus scribenti ipsi nondum constaret (sunt enim inter legendum adnotata), inveniri quoque suspiciones aliquot in quas postea alii inciderunt, restare tamen pauca quaedam, quae si notarem, manes tanti Viri non offenderem.

[2]) Plura de huius verbi usu callimacheo dicentur infra ad IV. 168.

tiam captaret. Versum *E.* 407, quo solo Homerus eam vocem adhibet,

ὅττι μάλ' οὐ δηναιὸς ὃς ἀθανάτοισι μάχηται,

obversatum esse nostro vel imitatio ordinis verborum arguit, qua scripsit vs. 63 „ὃς μάλα μὴ νενίηλος", censebat autem latiorem sensum esse adiectivi *δηναιός* (nam in interpretatione loci homerici errare vix potuit) cum tragicos inspiceret. Aeschylus enim cum *Prom.* 794 dixisset Phorcidas *δηναιὰς κόρας*, non tam *grandaevas* voluit quam *ἀρχαίας*, idem propius etiam ad nostri loci sensum accessit *Prom.* 910

πατρὸς δ' ἀρὰ
Κρόνου τότ' ἤδη παντελῶς κρανθήσεται,
ἣν ἐκπίτνων ἠρᾶτο δηναιῶν θρόνων

„e sedibus antiquis", quas iam non possidet. Addi potest Callimachi ipsius fr. 105 *τεθμῷ δηναιῷ*. i. e. *ἀρχαίῳ*, at repudiandum cum Polakio *δηναιὸν* in Hecales fr. nuper reperto Col. II. 4. (cf. *Verslagen* enz. p. 149).

Vs. 61 *διάτριχα* coniunctim scribi iubet Schneiderus, frustra, ni fallor, Lobeckio obsecutus. Nam non solum *διανέμειν* melius quam *νέμειν* convenit nostro loco, et eo versu *O.* 187, cuius sententiam docte impugnat noster, Homerus usus est *τρίχθα* (*τρίχθα δὲ πάντα δέδασται*, unde natum quoque videtur „*ἐπιδαίσιος οἶκος*"), sed, si dubium locum hymni *in Cer.* 86, ut oportet, omittimus, constat in Homero Alexandrinos ubi *διὰ δίχα* occurreret *διά* ad verbum traxisse, veluti *B* 665:

οἳ Ῥόδον ἀμφενέμοντο διὰ τρίχα κοσμηθέντες

Minus recte autem *διάνδιχα* comparari quivis concedet. Accedit quod neque Herodianus cum huiuscemodi adverbia enumerat (Herod. ed. Lentz II 287. 9.) vocis *διάτριχα* mentionem facit. Quo admodum dubium videtur an Apoll. Rhod. II. 997 quamvis reclamante codice Mediceo reponi oporteat

κεκριμέναι κατὰ φῦλα διὰ τρίχα ναιετάασκον [1]).

De vocabulo *νενίηλος* nihil constat. Neque pro certo affirmari licet formam *ἰσαίη* iam in antiquioris scriptoris libro a Callimacho lectam esse, nomen enim proprium *Ἰσαῖος* in hac re nihil probat. Si ipse invenit adduci potuit comparativi forma *ἰσαίτεροι*, cum videret extare *ἤσυχος* et *ἡσυχαῖος*, ut secundum eandem normam iuxta breviorem formam fingeret *ἰσαῖος*. In qua forma *ī* epice productum servavit et

[1]) Obiter moneo ad versum 62, Callimachum numquam dubitasse quin aequo iure et *Ἄϊς* et *Ἀΐδης* tam de Plutone quam de Orco dici posset. Ut hic ita III. 222 de loco. IV. 277 *Ἀΐδης* deus est (ita Ep. 2. et 42.). Epigr. 5, et 15 *εἰν Ἀΐδη*. epigr. 25 *ἤλατο εἰς Ἀΐδην*. epigr. 12 *ἐν Ἄϊδος*. Quod notatione dignum est propter *Ψ*. 244.

ita substantivi loco adiectivum adhibuit, ut viderat ἴση ab Homero adhiberi (cf. *M.* 423.) Non enim, cum dicuntur di „ἐπ' ἴσῃ πήλασθαι (in quo verbo iterum Homeri locum quem oppugnat spectavit, *O.* 191) addendum est δίκῃ, quod in solita formula ἐπ' ἴσῃ (Herod. IX. 7. Thuc. I. 27 alibi) subauditur, verum μοίρᾳ more homerico.

At plura dicenda erunt de verbis „τὰ δὲ τόσσον ὅσον διὰ πλεῖστον ἔχουσι." Cum enim compluribus locis Callimachus et τόσ(σ)ον et ὅσ(σ)ον adhibuit solito apud Homerum Atticosque more, duo sunt loci de quibus accuratius disputandum est. Et nostro quidem loco non Homerum exemplum sibi proposuit, sed, ut taceamus de verborum ordine ineleganter turbato, pluribus verbis dixit „τόσσον ὅσον πλεῖστον" quod Herodotus I. 14; VI. 44 brevius ὅσα πλεῖστα, alii „ἄφθονοι ὅσοι", „ὑπερφυὴς ὅσος" similia, et recentiores πλεῖστα ὅσα, ὀλίγα ὅσα. Hoc itaque non prorsus insolitum. Alia vero ratio est versus quem propter rei similitudinem hic statim subiungam, II. 36

οὔποτε Φοίβου
θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς·

ubi de significatione nemo dubitabit nam poetam dicere voluisse videmus omnes„ *ne tantillum quidem*" De origine dictionis si quaerimus observandum est non primum hoc ausum esse Callimachum at praeiisse PHILETAN (Stob. 104. 12).

ἦ μὲν δὴ πολέεσσι πεφύρησαι χαλεποῖσι,
θυμὲ, γαληναίῃ δ' ἐπιμίσγεαι οὐδ' ὅσον ὅσσον,

id est, „*ne tantum quidem quantum est quantulumcunque*". Multos qui eam rationem secuti sunt adducit Schneiderus. Ortus vero usus videtur ex neglecto adverbio οὖν vel δή; nam sensus convenit cum significatione adiectivi ὅσος οὖν qualem praebet, ut unum adducam exemplum, Herodotus II. 22. „εἰ τοίνυν ἐχιόνιζε καὶ ὅσον ὦν ταύτην τὴν χώρην κ. τ. λ." Neque in recentiore sermone Graeco talis abectio insolita. Cum enim Herodotus III. 159 dixisset „γυναῖκας ὅσας δὴ ἐπιτάσσων", Arrianus I. 5 scripsit „ἀναλαβόντα τῶν ἱππέων ὅσους ἐς προφυλακήν". Eodem modo Callimachi aetate etiam ὅσον positum esse ubi ὅσον οὖν dicturi fuerant antiquiores arguit quoque Manethonis locus II. 159 „μηδ' ὅσσον ἑῶν κτεάνων ὀρέγοντες", et diserto grammaticorum testimonio constat [1]). Et fortasse — nam Aristoph. *Vesp.* 213 minus huc pertinet — Homeri auctoritate

[1]) Cf. PHRYNICH. in Bekkeri Anecd. I. 3. 27. „ἀργύριον ἴχει οὐδ' ὅσον· οἷον οὐδὲ τὸ βραχύτατον. παντα χοῦ χρῶ.

tueri posse sibi visi sunt, quamquam iniuria, cum videretur ille ὅσον adverbii loco usurpasse ut *tantum modo* indicaret *I.* 354.

Cum enim Apollonius Rhodius hunc locum imitatus II. 112 scripsit

ἀλλά μιν οὐ κατέπεφνεν, ὅσον δ' ἐπὶ δέρματι μοῦνον
νηδυίων ἄψαυστος ὑπὸ ζώνην θόρε χαλκός,

idemque I. 113

οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας ἀλλ' ὅσον ἄκροις
ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πέφορητο κελευθῷ·

ultimo quidem loco vere Homerum expressit; priore dubium forsitan videatur, quid voluerit: scholiasta saltem aliter iudicavit de eo loco; adnotavit enim *ὅσον ἀντὶ τοῦ ὀλίγον.*

Apertissime autem Callimachi versum imitatus est III. 519

οὐδέ περ ὅσσον ἐπανθιόωντας ἰούλους | ἀντέλλων.

Tandem moneo Callimachum in epico sermone τόσσον relativo quoque sensu adhibuisse II. 84 et 94, et secundum homeri cum usum relatium ὅσσον causalem vim obtinere III. 255.

Vs. 65. *ψευδοίμην ἀίοντος ἃ κεν πεπίθοιεν ἀκουήν.*
οὔ σε θεῶν ἐσσῆνα πάλοι θέσαν, ἔργα δὲ χειρῶν,
σή τε βίη τό τε κάρτος, ὃ καὶ πέλας εἶσαο δίφρου.
θήκαο δ' οἰωνῶν μέγ' ὑπείροχον ἀγγελιώτην
σῶν τεράων, ἅτ' ἐμοῖσι φίλοις ἐνδέξια φαίνοις.

Nova solito more cum antiquis miscens, homerica quidem plerumque vocabula in hisce adhibet nec tamen sensu semper homerico. ἀκουὴ enim quod in Iliade uno loco occurrit (*Π.* 634 „ἔκαθεν δέ τε γίγνετ' ἀκουὴ" ubi Aristophanes „ἀυτὴ" legebat) semel atque iterum in Odyssea in constanti loquendi formula „μετὰ πατρὸς ἀκουήν", Callimachus semper usurpat Atticorum more ut sensum audiendi ipsasque aures indicat (cf. IV. 180 et fr. 106.). ἐσσσὴν quam novum esset ne ipse quidem nesciebat [1]); πάλον vero, licet non in Homero obvium, adhibuit Pindarum et tragicorum morem secutus, rectius profecto voce Homero ignota usus quam cum sortiendi morem homericis temporibus adhibitum neglegens modo vs. 62 dixerat „κλῆρον ἐρύσσαι"; versu autem 67 merito Bentlei mutationem „ἥ τε Βίη τό τε Κάρτος" repudiavit Schneiderus. Nam spectat quidem, quod nemo negabit, Hesiodi *Theog.* 385 „καὶ Κράτος ἠδὲ Βίην" et vs. 388

ἀλλ' αἰεὶ παρ' Ζηνὶ βαροκτύπῳ ἑδριόωνται

at Hesiodi versus ideo tantum sequitur ut „δηναίου ἀοιδοῦ" theologu-

[1]) Conferri poterunt quae de ea voce congesta sunt a Bredavio l. l. 88.

mena oppugnet. Licet enim, quod multi viderunt et ipse olim monui (*Mnem.* XIX. 66), et alibi saepe et his ipsis versibus ita de dis agat Callimachus ut subtecte simul regi suo aduletur eumque efferat laude sua, summopere tamen cavendum est ne temere putemus pro Iovis nomine Ptolemaei nomen sine damno semper substitui posse. Mire sane miscet sui temporis historiam cum mythologia; attamen qui contendunt nostro hymno semper et ubique Iovis nomine Ptolemaeum regem indicari videant quo modo cum tali iudicio concilient vs. 79 „*ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες*" vel vs. 85 „*ἔοικε δὲ τεκμήρασθαι ἡμετέρῳ βασιλῆι.*" Miscet cum mythologia historiam nec tamen nihili pendit ipsos mythos aut antiquorum poetarum theologumena neglegit. Ita nostro loco hesiodeos deos, quorum partes in Aeschyli tragoedia bene meminit, propterea solum advocat ut demonstret, antiqui poetae numina quomodo accipienda sint: ipsius enim Iovis virtutes ab antiquissimis vatibus proprio numine indutas ad ipsum summum deum esse referendas, atque ideo iure a mythologis prope Iovis regale solium Robur atque Vim collocari solere atque ab artificibus in statuis iuxta Iovem poni.

Cum autem propriis viribus Iovem imperio potitum esse praecedentibus diserte declaret mire secum pugnantem facit poetam coniectura Bentlei. More homerico componi *βίην* et *κάρτος* monent loci *ζ.* 197; *δ.* 415; *ν.* 143; simul sonus verborum simillimus revocat versum *Γ.* 431 „*σῇ τε βίῃ καὶ χερσί.*"

Verba *ὃ καὶ* quae recte interpretatus est Valckenaerius *ad Phoen.* 157 „*διὸ καί*", ex tragicorum more adhibita esse ipsa exempla quae attulit vir clarissimus, demonstrant. Homerus ipse non nisi dativo *ᾧ* (*τῷ*) eam vim tribuerat.

— *εἶσαο.* Quid de verbo *ἵζειν* sibi statuendum videretur pluribus locis Callimachus ostendit, quos hic coniunctim tractabo.

Praesentis forma activa significatione *sedendi* utitur: *ἵζει* et imperf. *ἵζε* (IV. 230. 228); nullo discrimine poeta medium adhibet I. 81 *ἵζεο* et IV. 232 *ἵζετο.*

Aoristum habet fr. 237, neglecto, ut in imperfecto, augmento (cf. *Ω.* 553) *τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάντα κάθισεν* et fr. 494 *ἐπασσοτέρω καθίσασα πὰρ πυρί*, et duplicata littera sigma III. 233 genere medio *ἣ μέν τοι Προῖτός γε δύω ἐκαθίσσατο νηούς.*

At brevioris stirpis formae occurrunt: aor. *εἷσαο* nostro loco, *εἷσατο* IV. 308 *τήν ποτε Θησεὺς εἷσατο* (cf. fr. 76), et III. 75 *ἐφεσσαμένου*:

Βρόντεώ σε στιβαροῖσιν ἐφεσσαμένου γονάτεσσι

aperta imitatione Homeri *π.* 443

πολλάκι γούνασιν οἷσιν ἐφεσσάμενος κ. τ. λ.

Restant ἕζετο IV. 206, *καθέζετο* fr. 469 et *ἐφεζομένη* III. 4.

ἄρχμενοι ὡς ποτε πατρὸς ἐφεζομένη γονάτεσσι

quo loco imitari Callimachum *Φ* 506

δακρυόεσσα δὲ πατρὸς ἐφέζετο γούνασι κούρη,

mihi quidem non dubium est. Illas formas (item, nisi corruptum est fr. 385 *ἑξέσθαι*) aoristo tribuit Callimachus, necdum incidit in eam opinionem quam protulit Didymus apud Herodianum (II. 586. 10. Lentz.) *τὸ σώζω χωρὶς τοῦ ι λέγει ὁ Δίδυμος. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ τοῦ ἕω τὸ κάθημαι γίνεται ἕζω, οὕτως ἀπὸ τοῦ σώω τὸ ὑγιαίνω σώζω πλεονασμῷ τοῦ ζ.*

Vs. 68 voce homerica haud admodum vulgata at notissima *ὑπείροχος* interpretari nostrum aliam vocem homericam „*τελειότατον*" iam vidimus (plura de hac re de Ian. l. l. p. 13) [1]). Id ipsum autem argumento est, rectissime olim, id quod negat Schneiderus, Stephanum codicum lectionem „*οἰωνὸν*" correxisse in „*οἰωνῶν*", non solum quia magis placet genitivus additus *τῷ* „*ὑπείροχος*" sed etiam ut magis „*τελειότατον πετεηνῶν*" conspiret cum „*οἰωνῶν μεγ' ὑπείροχον*". (Cf. supra p. 28). [1])

In aoristi forma *θήκαο* morem homericum observavit Callimachus cum compluribus aliis quos enumerat v. Leeuwen *Ench. dict. ep.* p. 381.

At Iovis alitem *ἀγγελιώτην Διὸς τεράων* salutans eruditione parum cauta peccat doctissimus poetarum. Quotus enim quisque ex eruditis auditoribus Alexandrinis in Homero suo bene versatus ἅπαξ illud *εἰρημένον* a Callimacho adhiberi audiebat cui non in mentem veniret versiculi scurrilis sane et Ptolemaeorum aula atque Museo parum digni (hymn. in Merc. 295)

οἰωνὸν προέηκεν, ἀειρόμενος μετὰ χερσὶν,
τλήμονα γαστρὸς ἕριθον, ἀτάσθαλον ἀγγελιώτην.

Et hoc fortasse parum curavit; at imprudenti excidit „*τεράων ἀγγελιώτην*". Non enim *ἀγγέλλει Διὸς τέρατα* aquila, sed missa ave ipse Iuppiter *τέρας φαίνει*, adventus ipse aquilae *τέρας* est [2]). Si igitur rectissime *Διὸς ἄγγελος* ab Homero nuncupatur (cf. Ω. 293—297) minus tamen convenit eum dicere *ἄγγελον σῶν τεράων*. Neque fortasse hoc accidisset docto poetae nisi adicere vellet, id

---

[1]) De forma *ὑπείροχος* vide infra ad III. 60 et IV. 3.

[2]) Id ipsum obstare videtur eleganti Valckenaerii coniecturae *φαίνοι* (cf. *I.* 236 *Ζεὺς ... ἐνδέξια σήματα φαίνων*).

quod recte convenit dictioni homericae, „ἅτ' ἐμοῖσι φίλοις ἐνδέξια φαίνοις", quales preces saepius inserit narrationis ordini velut II. 10.

ὅς μιν ἴδῃ μέγας οὗτος· ὅς οὐκ ἴδε λιτὸς ἐκεῖνος·
ὀψόμεθ' ὦ Ἑκάεργε καὶ ἐσσόμεθ' οὔποτε λιτοί.

Vs. 70 εἵλεο δ' αἰζηῶν ὅτι φέρτατον, οὐ σύ γε νηῶν
ἐμπεράμους, οὐκ ἄνδρα σακέσπαλον, οὐ μὲν ἀοιδὸν,
ἀλλὰ τὰ μὲν μακάρεσσιν ὀλίζοσιν αὖθι παρῆκας
ἄλλα μέλειν ἑτέροισι· σὺ δ' ἐξέλεο πτολιάρχους
αὐτοὺς, ὧν ὑπὸ χεῖρα γεωμόρος, ὧν ἴδρις αἰχμῆς,
75 ὧν ἐρέτης, ὧν πάντα· τί δ' οὐ κρατέοντος ὑπ' ἰσχύν;

αἱρεῖσθαι et ἐξαιρεῖσθαι (quamquam compositi activum magis in usu est) sensu τοῦ προκρίνειν in homericis occurrunt pluribus locis quam quos necesse sit enumerare. αἰζηοὶ autem, et insequenti versu ἀνὴρ σακέσπαλος, id quod recentiorum poetarum fert usus, latiore sensu adhibita sunt quam antiquitus proprius erat iis vocabulis. αἰζηοὶ enim, quo nomine Callimachus, et post eum permulti quos laudat Schneider, omnes viros indicat (nam αἰζηῶν ὅτι φέρτατον plane idem est atque homericum φέρτατος ἀνδρῶν) apud Homerum adolescentes indicabat inventutis flore vigentes; id quod senserunt grammatici, qui solent interpretari αἰζηοί· οἱ ἀκμάζοντες. At iam deflexit paululum ab eo arctiore usu vocis Hesiodus a quo quadragenarius *Op.* 440 αἰζηὸς dicitur (cf. *Theog.* 863 τέχνῃ ὑπ' αἰζηῶν). Quem forsitan spectaverit; etenim cum constanter Homerus η̄ huius vocis in arsi collocat [1]), in versu hesiodeo eandem sedem obtinet ea vocalis quam habet in hymno callimacheo. Ceterum num Callimachi iam aetate de vocabuli forma atque origine id fuerit certamen quod rettulit Herodianus (I. 115. 9.), non apparet.

Vs. 71 adiectivum ἐμπέραμος (cuius adverbio in *Lavacro Palladis* usus est vs. 25) Lycophroni debere videtur, qui — incertum cuius exemplo obtemperans — dixerat vs. 1196 de Rhea „πάλης ἐμπείραμος." Metri rationes cogebant Callimachum diphthongum εῑ corripere, in qua re rarum Homeri exemplum fortasse sequi voluit et illustrare. Is enim cum etiam nulla vocali sequente η̄ et ω̄ haud ita raro in thesi corriperet, admodum paucis locis diphthongum corripuit, veluti *B.* 506 *Ποσειδήιον*. Ceterum et ipsa quoque vocabula ἔμπειρος ἐμπειρία cett. ab homerico sermone aliena sunt, et praesto fortasse erant exempla quae moverunt Callimachum ut in hoc adiectivo ceteroquin dac-

[1]) Cf. Ludwich *Stellung des Molossus im homerischen Hexameter* (Aristarch. II. p. 247).

tylico versui haud apto correptionis licentia uteretur, qua et alii fuerant usi veluti Sophocles. Cf. Hesychius *i. v.*: „*ἐμπερής· ἔμπειρος Σοφοκλῆς Ὀδυσσεῖ μαινομένῳ* = fr. 412 D.

Quod dictum est de vocibus *αἰζηὸς* et *σακέσπαλος* (quod Homerus semel adhibuit *E.* 125 *σακέσπαλος ἵπποτα Τυδεύς*) aeque valet de sequentibus. Vi substantivi, omissa voce *θεὸς* semel tantum adiectivum *μάκαρ* ab Homero adhibitum invenimus, Od. *κ.* 299 „*μακάρων μέγαν ὅρκον*", nec tamen ita plane pro substantivo hic accipias ut adiectivum adici posse putes. Noster vero addito adiectivo *ὀλίζοσιν* prorsus idem valere voluit *μάκαρ* atque *θεός* [1]). Ad quem usum duxerunt eum cum hymnorum homericorum et alii loci, et praesertim hymn. *in Ven.* 195, tum Pindari et Atticorum tragicorum, ut saepe factum est, exempla. Nihil enim cum hisce *μακάρεσσιν ὀλίζοσιν* aptius componitur quam aeschyleum illud *μάκαρες χθόνιοι* (*Choëph.* 476) vel Euripidis *μάκαρων οὐρανίων* (*Herc. fur.* 758). Argumento autem versus noster esse potest, iam agnovisse Callimachum *Σ.* 519 legendum esse „*λαοὶ δ' ὑπ' ὀλίζονες ἦσαν*" (quod *ἅπαξ λεγόμενον* est) neque fecisse cum iis qui contra normam homerici sermonis legerunt *ὑπολίζονες*, aut etiam comparativum esse non viderunt; de qua re num idem iudicaverit Aristarchus ex Aristonici adnotatione non satis liquet.

De sequentibus „*ἀλλὰ τὰ μὲν μακάρεσσιν ὀλίζοσιν αὖθι παρῆκας ἄλλα μέλειν ἑτέροισι*" aliter iudicandum mihi videtur quam iudicavit de Ian. qui p. 52—54 argumentis evincere conatur hoc loco Callimachum simul imitari Homeri versus *N* 730 sqq.

ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα,
ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν,
ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
ἐσθλόν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι·

simul oppugnare prisci poetae sententiam. Addam ipsa Ianii verba: „Manifesto hic recedit poeta doctus ab Homero; Callimachus enim dicit: Iuppiter non curat nautas vel milites vel poetas, sed hos concessit minoribus dis, ipse solos reges sibi delegit; contra Homerus: deus, i. e. nimirum Iuppiter (?) hunc fecit militem, illum saltatorem illum poetam, illum consiliorum auctorem." Multis equidem haec non refellam, nam ut mittam cetera, pendet viri docti sententia ex iudicio quod ferendum putes de versu 731. Quodsi fatendum erit versum illum importunissimum, qui pervertit sententiam, deberi Zeno-

[1]) Cf. III. 65 *μακάρων θύγατρες* et II. 25.

doto Malotae multis post annis nato quam scripsit Callimachus, prorsus aliud inerit in reliquis versibus et evanescet cum imitatio — quam etiam nunc inesse nego — tum oppugnatio Callimachi. Neque hoc fugit Ianium. Vellem vero non talia excogitasset ut sententiam semel susceptam defenderet qualia nunc promit p. 54. Contendit enim iam Callimacho versum 731 notum fuisse, at ignorasse eum Aristarchum; Cratetis deinde discipulum Zenodotum Maloten hausisse versum istum ex fonte quodam ignoto, quem tamen iam novisset Callimachus. Rem admodum improbabilem iudicabit quicumque secum reputat quantam curam in Homeri editionibus parandis, versibusque spuriis notandis ante Aristarchum quoque iam antiquiores Alexandrini adhibuerint. Versum autem *N.* 731 a Callimacho in suis exemplaribus sive lectum sive de suo adiectum ideo sibi persuasit Ianius quod in verbis „*ἄλλα μέλειν ἑτέροισι*" consulto a Callimacho, secundum morem homericum „*τὸ ἄλλο πρὸς τὸ ἕτερον συγκεχύσθαι*" videbat. Et profecto grave de hac re bellum fuit inter grammaticos Alexandrinos, aliis, quorum fuit Aristarchus, simpliciter notantibus discrimen a poeta neglectum, aliis mirum quantum se torquentibus ut a tali neglegentia Homerum vindicarent (cf. Scholl. ad *I.* 313; 472). Quid de ea re Callimachus statuerit id sane, ut recte monet Ianius, liquet ex ipsius versibus de quibus agimus; et licet ulterius ipse progressus sit quam Homerus, habuit quo se defenderet unum alterumve locum. Verum neque versus *N.* 730 sqq. huc pertinere puto neque locos, qualis est *I.* 313 „*ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ*", ibi enim de duabus tantum rebus sermo est et *ἄλλο* posuit poeta ubi proprie *ἕτερον* poni oportuit; at firmius erat Callimacho subsidium in versibus Odysseae *η.* 123 (quos versus eius aetatis criticis genuinos et antiquos visos esse nemo negabit):

τῆς ἕτερον μέν θ' εἰλόπεδον λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
τέρσεται ἠελίῳ, ἑτέρας δ' ἅρα τε τρυγόωσι,
ἄλλας δὲ τραπέουσι, πάροιθε δέ τ' ὄμφακές εἰσι
ἄνθος ἀφιεῖσαι, ἕτεραι δ' ὑποπερκάζουσι.

Et in hac quoque re praeceptorem imitatus est Apollonius Rhodius cum I. 250 scriberet „*ἄλλη δ' εἰς ἕτερον ὀλοφύρεται*".

— *παρῆκας* Callimachus non ex homerica dictione sumsit verum ex tragicis; apud Homerum enim, qui neque *παραδιδόναι* usurpat neque *παριέναι* eo sensu quem nunc obtinet, rariora composita sunt cum praepositione *παρὰ* ea significatione. Contra apud tragicos satis frequens usus; non solum dicitur *παρεῖναι κράτος τινὶ* (veluti

Aesch. *Ag.* 943), sed etiam sententiae structura ad quam proxime accedit noster, Euripides (*Phoen.* 514) dixerat:

εἰ Μυκηναίου δορὸς
φόβῳ παρείην σκῆπτρα τἀμὰ τῷδ' ἔχειν.

Haec ab epica dialecto discedunt, verum illud quoque a tragicorum more quod agricolas γεωμόρους dicit, quos cum „ὑπὸ χεῖρα" τῶν πτολιάρχων esse diceret, magis quoque Atticorum illud et Herodoti εἶναι τετάχθαι ὑπὸ βασιλέα spectabat, quam homericum huius praepositionis usum (cf. λασίην ὑπὸ γαστέρ' ἐλυσθείς et similia).

Quid vero Callimachum movit ut quos ceteri poetae ἀροτῆρας dicebant is voce ab omni poetico sermone remota γεωμόρους nominaret more insuper insolito non *divites* agris homines cum Platone Thucydide Herodoto eo nomine appellans, aut agrorum *possessores* sive locupletes sive inopes, secundum priscum Atheniensium morem? Id ipsum, quod negabat γεωμόρον cum verbo μείρεσθαι cohaerere. Quos antiqui illi γεωμόρους eos noster γαιοδάτας nominat (cf. fr. 158 a Bentleio emendatum). At γεωμόρους (sive, cum postulat metrum γειομόρους) quosnam intellegat, videmus ex fragm. 491[b]. Etym. Magn. p. 229. 43. „γειομόρος ὁ γεωργὸς καλεῖται· τέμνοντα σπορίμην αὔλακα γειομόρον" (ubi merito post Heckerum pro καλεῖται legitur Καλλίμαχος)· „εἴρηται ἀπὸ τοῦ τὴν γῆν μορεῖν, ὅ ἐστι πονεῖν, γειομόρος οὖν ὁ γεωπόνος." Hac derivatione, inepta sane, ab ipsius Callimachi sententia non longe aberrat: agnoverant enim antiquiores etiam grammatici verbum μορεῖν = πονεῖν. Et quandoquidem ita adhibuit noster substantivum γειομόρος, admodum fit probabile idem iudicasse eum de significatione substantivi μόρος et adiectivi μορόεις quod Aristarcho postea videbatur qui item Ξ. 183 „τρίγληνα μορόεντα" eo modo accepit: „πεπονημένα τῇ κατασκευῇ· ἀπὸ τοῦ μορῆσαι ὅ ἐστι κακοπαθῆσαι [1]). Vocem autem γειομόρος, Callimachum imitatus adhibuit Apollonius Rhodius III. 1387, et IV. 1453 (γειομόροι μύρμηκες), item de aratro Dionys. Per. 190.

Vs. 76. αὐτίκα χαλκῆας μὲν ὑδείομεν Ἡφαίστοιο,
τευχηστὰς δ' ἄρ' Ἄρηος, ἐπακτῆρας δὲ Χιτώνης
Ἀρτέμιδος, Φοίβου δὲ λύρης εὖ εἰδότας οἴμους,
ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆας, ἐπεὶ Διὸς· οὐδὲν ἀνάκτων

[1]) Propter id ipsum vereor ne minus recte in Dosiadae *Ara* vs. 7 codicis Ambrosiani lectionem praetulerit HAEBERLINUS (*Carm. fig. Graec.* p. 71) „ὃν ὠπάτωρ δίσευνος μόγησε ματρόριπτος;" ipsa enim obscuritas erudita in eiusmodi carmine commendat quod Palatinus exhibet „μόρησε".

80 *θειότερον, τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν,*
δῶκας δὲ πτολίεθρα φυλασσέμεν· ἶζεο δ' αὐτὸς
ἄκρῃς ἐν πολίεσσιν, ἐπόψιος οἵ τε δίκῃσι
λαὸν ὑπὸ σκολιῇς, οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν.

Exscripsi versus ita ut eos edidit Schneiderus, sed antequam ad interpretationem veniam, paucis disputandum est de versibus 79/80, quos corruptos esse consentiunt omnes. Codd. et veteres editiones habent: „*ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων θειότερον.*" Quae ut vix sana videntur ita displicent variae coniecturae *ὑπαὶ Διὸς*, *ἔχει Διὸς*, multae aliae, quas refert Schneiderus; omnium vero infelicissima videtur ipsius Schneideri interpretatio. *βασιλῆες* enim quod minime moveri oportuit, quia solemnis formulae instar est illud „*ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες*" (Hes. *Theog.* 96), in *βασιλῆας* mutans et interpunctione nova versum distinguens ita locum intellegit: „*nos reges appellabamus Iove natos, quoniam revera Iovis sunt*, i. e. *maximi Dei.*" Quae mihi videtur *ταὐτολογία* vix ferenda. Equidem in versu 79 nihil corruptum putaverim, at suspicionem movet *θειότερον*. Primum enim offendit haec comparativi forma, quoniam Callimachus qui in multis rebus culpae obnoxius, neglegentia tamen non solet peccare, homericum *θεώτερον* (*v.* 111) et noverat et adhibuit (II. 93; III. 249) perinde atque imitator eius sedulus Dionysius Perieg. vs. 257; delectabantur enim istiusmodi formis poetae Alexandrini (Call. IV. 252 *ἀοιδότατος*, Arat. 798 *πυρώτερα*). Accedit autem quod aliud quam illud „*magis divinum*" sententia postulat. Causam adiecisse poetam necesse est qua sibi iure viderentur Reges genus ab Iove ducere. Neque alia causa fuit nisi haec, quod inter omnes homines nemo magis quam Reges deo summo similes erant et affines. Et quoniam olim ab Aeschylo *οἱ θεοὶ ἀγχίσποροι* dicti erant *Ζηνὸς ἔγγυς* (Plat. *rep.* III. p. 391 *E.*), suspicor eodem dicendi ratione usum Callimachum, cum vellet indicare *nihil magis Iovi affine esse et simile quam reges*: nihil „*Διὶ ὁμοιότερον*", scripsisse exquisitius „*Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων ἀσσότερον*, quod facile librariorum neglegentia abiit in *θειότερον*. Comparativum autem *ἀσσότερον* epicae dialecto propriam duxisse Callimachum arguit fr. 494: „*ἐπασσοτέρω καθίσασα πὰρ πυρί*", ubi imitatur Od. *ρ*. 572.

Nunc si ad ipsum verborum usum attendimus, primum observandum est, hic fecisse nostrum quod vitare solet, exemplum enim adducturus utitur voce *αὐτίκα* eo sensu, quo post Platonem saepissime alii qui soluta utebantur oratione id vocabulum adhibebant (exempla indicat Ruhnken. ad Tim. p. 56) at non poetae quibus hac

significatione neque *αὐτίκα* neque *εὐθύς* usui est. — De verbo *ὑδείομεν* non multum constat. In antiqua graecitate non occurrit, quamquam propter substantivum *ὕθλος* suspicari licet non ignotum fuisse; postquam autem nescio quo, fortasse Arato (vs. 257), praeeunte, Callimachus verbum *ὑδεῖν* adhibuit, semel atque iterum alii secuti sunt veluti Apollonius Rhodius II. 528, IV. 264; Nicander Alex. 47, 525; (*ὕδω*, *ὕδης*, *ὕδη* explicant Suidas Hesychius). Alliciebat verbi novitas. Simul vero indicare fortasse volebant docti Alexandrini *ὕθλος*, *ὑθλεῖν* cum stirpe eadem coniuncta esse a qua verbum *ὑμνεῖν* originem duceret. Id autem si volebant, alia tamen, ut spero, ratione coniuncta ea esse credebant quam qua putat grammaticus ille quem Bastius laudat (ad Gregor. p. 241 ed. Lips.) „*ὕδειν σημαίνει τὸ ὑμνεῖν, ἔστι παρὰ τὸ ὑμνῶ ἀποβολῇ τοῦ* $\bar{\nu}$ *ὑμῶ, καὶ τροπῇ τοῦ* $\bar{\mu}$ *εις* $\bar{\delta}$ *γίγνεται ὕδω κατὰ ἀναβιβασμὸν τοῦ τόνου*"!

— Bellatores, *θεράποντας Ἄρηος*, in sequentibus non cum Homero *αἰχμητὰς* verum cum Aeschylo *τευχηστὰς* dixit ut variaret orationem, cum vs. 74 militem iam *ἔδριν αἰχμῆς* nominasset. Sed vox *ἐπακτῆρες* ad homericam interpretationem reducit. Callimachus enim cum ita *τοὺς κυνηγοὺς* (*ἀπὸ τοῦ ἐπάγειν τὰς κύνας*) dixit, Homericum *σπανίως εἰρημένον* explicat, idque accuratius quam Apollonius Rhodius, qui I. 625 eo nomine piscatores indicasse videtur. Operae pretium fortasse erit memorare, locum *P.* 135, ubi occurrunt *ἄνδρες ἐπακτῆρες* offensioni fuisse Zenodoto, qui cum editione Chia versus 134—136 omittit, cuius tamen argumenta merito refellit Aristarchus (cf. Ludwich I. 418). Si vero vocabuli sedem in versu respicis potius suspiceris cogitasse nostrum de Odysseae versu *τ.* 435; quae tota pars Odysseae, quidquid nostrum de eius authentia hodie est iudicium, certe Callimacho Zenodoto Aristarcho omnino suspecta non fuit.

Ad *Χιτώνης Ἀρτέμιδος* nomen explicandum breviter mihi agendum est de mythologicis. Etenim vel hic locus sufficit ut demonstretur Callimachum non favere eorum opinioni qui *χιτώνην* (sive *ἐν χιτῶνι*) dictam fuisse perhibeant *τὴν λοχείαν Ἄρτεμιν*, quia mulieres *ἀρτίτοκοι* cingula tunicasque Dianae vovere solerent. Consuetudo constat, testanturque eam elegantissima epigrammata Anth. Pal. VI. 59, 201 sqq. 271—73; num vero cum Diana Chitonia quidquam commune habeat perquam dubium. Chitoniam illam cuius religionem enarrat scholiasta ad nostrum locum, memoratque Callimachus III. 225, non ab *ἀρτιτόκοις* cultam esse, id profecto discimus ex historia quam de Pieria virgine Plutarchus exponit in libro *de Mulierum vir-*

tutibus s. n. *Pieria*. Nam videmus Dianae illius (Chitoniae) de qua sermo est apud Plutarchum sacra tam virgines adire quam mulieres. Chitoniam autem cuius Syracusis ὄρχησις τις ἴδιος καὶ αὔλησις erat (Ath. XIV. p. 629) λοχείαν fuisse nihil arguit (cf. quoque Epicharm. apud Steph. Byz. *i. v.* Χιτώνη). Ipse vero Callimachus duobus locis epitheto χιτώνη Dianam ornat, altero III. 225 cum de Diana Hegemone quam colunt Milesii agit, altero (nostro loco) cum dicit de Venatrice. Quorum locorum neuter tangit λοχείαν. Haud temere igitur agemus, si contendemus Callimachum Chitoniam dictam Dianam putasse quia illi deae ut est in hymno III. 11. placeret „ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα ζώννυσθαι λεγνωτόν."

Vs. 78. λύρης οἴμους. Οἶμος et οἴμη, quamquam ab una stirpe derivari Callimachus haud profecto ignorabat, non tamen sine docto quodam discrimine adhibet. οἶμον enim intellegit cantilenae modos, nam nostro loco spectat homerici hymni in Mercurium vs. 451:

τῇσι χοροί τε μέλουσι καὶ ἀγλαὸς οἶμος ἀοιδῆς

quod minus recte ex margine corrigens mutavit Gemollius qui „ὕμνος ἀοιδῆς" edidit. Praeierat autem Callimachum Philetas item locum eundem imitatus in παιγνίοις (Stob. tit. 81. 4.) „μύθων παντοίων οἶμον ἐπιστάμενος". Contra οἴμην adhibet pro ipsa narratione, ipso carmine, haud inmemor enim celeberrimi versus Θ. 74 οἴμης τῆς τότ' ἄρα κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανε", noster, ipsum hymnum quem cantaturus erat intellegens, IV. 9 dixit: „Δήλῳ νῦν οἴμης ἀποδάσσομαι", quod optime convenit cum schol. ad locum Homericum qui ab οἴμης derivari προοίμιον monet. Obiter moneo neglectum esse hoc discrimen, nescio an consulto, ab Apollonio Rhodio, qui IV. 150 de incantatione „οἴμῃ θελγόμενος" dixit.

De forma medii ἐκρίναο pro activo, de voce λάξις quam frustra quaero unde in epicum sermonem intulerit noster, post Meinekium et Schneiderum nihil est quod addere possim. In sequentibus autem significari a poeta Iovem Ἀκραῖον et ἐπόψιον iam ostendit copiosa ut solet doctrina Spanhemius idemque cum poetae verbis componit *Π.* 385 sqq. et Hesiod. *Opp.* 219. Itaque superest tantum ut notemus „ἔμπαλιν ἰθύνουσιν". Ἔμπαλιν nostro loco sensum obtinet τοῦ ἐναντίως, quod apud Atticos scriptores haud insolitum, at IV. 209 „ἀπὸ δ' ἐκλίθη ἔμπαλιν ὤμοις" ad antiquiorem sermonem magis accedit (hymn. hom. in Merc. 75 „κατὰ δ' ἔμπαλιν αὐτὸς ἔβαινε") quod operae pretium videtur observari propter Iliadis versum *I.* 56. „οὐδὲ πάλιν ἐρέει", ubi Aristonici est interpretatio: „οὐκ

ἔστιν ἐκ δευτέρου ὡς ἡμεῖς, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ἔμπαλιν, ἐναντίως" [1]). Postremum, in verbo ἰθύνειν magis tragicorum metaphoras sectatus esse videtur, quam Homeri dictionem nisi putavit exemplo uti se posse *P.* 632. ubi de deorum rege dicitur „Ζεὺς πάντ' ἰθύνει" quamquam ibi quoque ex praecedentibus rectius βέλεα addes [2]).

Vs. 84 ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλές σφισιν, ἐν δ' ἄλις ὄλβον,
πᾶσι μὲν, οὐ μάλα δ' ἶσον· ἔοικε δὲ τεκμήρασθαι
ἡμετέρῳ μεδέοντι· περὶ πρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν·
ἐσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ·
ἐσπέριος τὰ μέγιστα, τὰ μείονα δ' εὖτε νοήσῃ·
οἳ δὲ τὰ μὲν πλειῶνι, τὰ δ' οὐχ ἑνί, τῶν δ' ἀπὸ πάμπαν
90 αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας, ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν.

Hos versus Cobetus (*Mnem.* ant. ser. X. 326), simul contra Meinekii interpretationem poetae sententiam exponens, ita perstrinxit ut frustra Schneiderus iacenti poetae opem ferre conatus sit. Unum tamen fuit quod non iniuria in Cobeti verbis Schneiderum offenderat; ita Cobetus vs. 86 interpretatus erat quasi poeta suo regi „crura longa tribuisset quibus vastam ditionem quaquaversus patentem (περιπρὸ) occupat et velut ἀμφιβέβηκεν". Neque aliud tamen medicamen laboranti poetae afferre potuit Schneiderus, nisi ut εὐρὺ inmutaret, et εὐθὺ legi iuberet. Mihi quidem tmesis insolita admodum obvia fuisse videtur rectae interpretationi; περὶ enim nihil nisi περισσῶς est, et hoc voluit poeta: „περισσῶς εὐρὺ προβέβηκε τῶν ἄλλων".

In ceteris primum offendit ῥυηφενίη vox satis insolita, quam cum legis primo propter formam in εὐηφενίην mutare velis idque eo magis si vides in duobus Homeri versibus Aristophanem cum Rhiano merito id praetulisse vulgato εὐηγενής (ψ. 81 Τρώων εὐηφενέων, Λ. 427 εὐηφενέος Σώκοιο. cf. NAUCK *Aristi. Byz.* 50 not. 64.) At lectio vulgata ῥυηφενίη apud nostrum satis firmatur tum loco ex Etymol. Flor. p. 262 quem affert Schneider, cum versu Dionys. Perieg. 337

Ταρτησσὸς χαρίεσσα, ῥυηφενέων πέδον ἀνδρῶν.

Ceterum lectio quam in Iliade tutantur Aristophanes et Rhianus nostro profecto non incognita fuit, nam ipsa forma εὐηφενίη exemplum innovandi praebuit aut poetae ipsi aut alii quem imitatur,

[1]) De adverbii πάλιν usu callimacheo cf. infra ad III. 87.

[2]) Alio fere sensu Solon fr. 4. vs. 37: „εὐθύνει δὲ δίκας σκολιάς", quae verba noster dum imitatur immutat.

scilicet ut novo vocabulo id explicaret quod simplicius dixerat Homerus Od. ο. 426

κούρη δ' εἶμ' Ἀρύβαντος ἐγὼ ῥυδὸν ἀφνειοῖο.

Vs. 86 in vocabulo μεδέοντι paulo neglegentius usum Homeri observavit. Mitto quod Homerus non nisi deos μεδέοντας dicere solet, nam Ptolemaeus Callimacho dei loco erat, verum semper addidit Homerus genetivum qui a participio μεδέων penderet, Δωδώνης; aut plerumque Ἰδηθεν. Huic formae autem cum ablativi vim tribuerent nonnulli — cf. Arist. ad Γ. 276 — apparet eorum opinionem non secutum esse Callimachum, nam IV. 5. Apollinem Musageten ἀοιδάων μεδέοντα dicit, cf. fr. 95. ubi phiale vovetur Apolllini „μεδεῦντι Νείλεω δήμου". At nostro loco ex usu homerico μέδοντι dici oportuit, nam id solum vocabulum substantivi vice fungitur.

De sequentibus pauca dicam. Etenim iam monuit Schneiderus οὐ μάλα posuisse nostrum pro μαλ' οὐ, idem illustravit ἦρι quod olim recte pro ἠοῖ coniectura reductum est in textum. Callimachus autem per hosce versus homerica hesiodea tragica permiscere non desinit. Vocem πλειῶνι pro ἐνιαυτῷ, quam ex Hesiodo (*Opp.* 615.) reduxerat Lycophro (vs. 201. 1039), ex Lycophrone sumsit noster. Quo consilio verbo κολούειν et ἐνικλᾶν hic adhibuerit, quaeri iam non opus est; nam de ea re quae dicenda habui optime iam exposuit de Ian. p. 93. qui iure monuit nostrum (fortasse cum Zenodoto) Θ. 408. legisse „ἐνικλᾶν ὅττι νοήσω". Adiciam tantum voce ἄνη (= ἄνυσις) ex Aeschylo (*Sept.* 712) fortasse desumpta, et vocabulo novicio μενοινὴ quod post Callimachum alii quoque Alexandrini adhibuerunt, epicum sermonem hoc loco a poeta ditari videri.

Vs. 91. χαῖρε μέγα Κρονίδη πανυπέρτατε, δῶτορ ἐάων,
δῶτορ ἀπημονίης. τεὰ δ' ἔργματα τίς κεν ἀείδοι;
οὐ γένετ' οὐκ ἔσται· τίς κεν Διὸς ἔργματ' ἀείδοι;
χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι, δίδου δ' ἀρετήν τ' ἄφενός τε.
95 οὔτ' ἀρετης ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο. δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.

Versus iteratione languidos quibus poeta finem hymno imponit exscripsi tantummodo nequid deesset. Pauca enim admodum insunt quibus lectorem detinere ausim. Videbit ultro quivis non minus quam in exordio servasse poetam antiquam formam τῶν κλητικῶν ὕμνων, iteratae salutationi preces pro salute felicitate dotibus ingenii subicientem; cf. hymn hom. VII. 15. IX. 5. (δός δ' ἱμερόεσσαν

ἀοιδήν) X. 5 (δὸς δ' ἄμμι τύχην εὐδαιμονίην τε). Ex nostro fluxisse autem videtur hymnus homericus XIV (ad Herculem) vs. 9 „δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον". — Ne lectorum patientia minimas quoque nugas notando abutar, hoc tantum moneo in verbis δῶτορ ἐάων spectari ἅπαξ εἰρημένον θ. 335, ἀπημονίη apud antiquiores non legi) habet Theognis vs. 736 ἀπημοσύνη), ἔργμα hymnis proprium esse et Hesiodo, et tandem (nam de voce αὖθι iam dictum est supra ad vs. 21.) ἐπίστασθαι eam vim quam nunc obtinet, non habere in homericis. Exemplum dedit tragoedia, sive Aeschyli, sive Euripidis qui *Herc. fur.* 506 dixit „ἐλπίδας μὲν ὁ χρόνος οὐκ ἐπίσταται σῴζειν."

II.

HYMNUS IN DIANAM.

(Hymnus III.)

Ordine aetatis secundum locum in IV hymnis obtinere mihi videtur hymnus in Dianam, multo maiore cura quam primus hymnus compositus, cuius carminis exordium, antiquiorum hymnorum introitum ut fecerat I. 1 imitatus, ita tamen composuit ut duorum simul hymnorum initia aemularetur. Ita enim incipit:

Vs. 1. *Ἄρτεμιν (οὐ γὰρ ἐλαφρὸν ἀειδόντεσσι λαθέσθαι)*
ὑμνέομεν, τῇ τόξα λαγωβολίαι τε μέλονται
καὶ χορὸς ἀμφιλαφὴς καὶ ἐν οὔρεσιν ἐψιάασθαι,
ἄρχμενοι ὥς ποτε πατρὸς ἐφεζομένη γονάτεσσι
5 *παῖς ἔτι κουρίζουσα τάδε προσεείπε γονῆα·*
„δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν,
καὶ πολυωνυμίην ἵνα μή μοι Φοῖβος ἐρίζῃ."

Servat in his versibus primam sedem numen ipsum, ut par est in hymno; cf. hymn. hom. in Cer., et praeterea X. XII. XV. XXI. XXV. XXVII, item ipsum Callimachum I. 1 et IV. 1 (utrobique finem facit in *ἀείδειν*). Verum nostro hymno praeterea poeta innectit notissimae formulae aliud exordium. Nam inter verba *Ἄρτεμιν ὕμνεομεν"* interponens *„οὐ γὰρ ἐλαφρὸν ἀειδόντεσσι λαθέσθαι"* notissimum illud exordium hymni homerici in Apollinem in suum usum convertit:

„ἄρξομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

In ea imitatione tamen adiectivo *„ἐλαφρὸν"* pro *ῥᾴδιον* magis ad Pindarum quam ad Homerum accedit (licet haud procul

absit ἐλαφρότερος πόλεμος Φ. 287). Melius opinor Homeri dictionem observavit hymni VI[1] (VII) poeta qui utrum nostro iam cognitus an ipse Callimacho minor fuerit, dubito; is enim vs. 59

χαῖρε τέκος Σεμέλης εὐώπιδος· οὐδέ πῃ ἔστι
σεῖό γε ληθόμενον γλυκερὴν κοσμῆσαι ἀοιδήν.

— Vs. 2. μέλονται. Inter activi et medii formas in hoc verbo discrimen plane nullum fecit Callimachus; ut medium hoc loco, V. 138 (τῶργος ὅσαις μέλεται), IV. 98 (εὐαγέεσσι μελοίμην), fr. 169 μέμβλετο δ' εἰσπλήναις) ita significatione prorsus eadem I. 73 (ἄλλα μέλειν ἑτέροισι), IV. 90 (οὔ πω μοι Πυθῶνι μέλει τριποδήιος ἕδρη) activum adhibuit. In qua re quamquam frequentior medii usus proprius est tragicis non tamen profecto fugit Callimachum praeiisse ipsum Homerum *A.* 523. κ. 505. Gravior autem quaestio, quae vix dirimatur restat de forma μέμβλετο, quam semel tantum idque ita adhibuit noster, ut non appareat utrum imperfecto, an aoristo, an plusquamperfecto tribuerit. Vix tamen putaverim Callimachum, qui reduplicati aoristi formis perraro usus est (ἐκέκλετο occurrit IV. 150) ab aequalibus in hac re dissensisse. Quorum Apollonius Rhodius II. 217 μέμβλεσθε praesenti forma, et aliquanto post Oppianus *Hal.* IV. 77 μέμβλονται scribere non dubitarunt. Veri simillimum igitur est Callimachum quoque de versu *T.* 343 „ἦ νυ τοι οὐκέτι πάγχυ μετὰ φρεσὶ μέμβλετ' Ἀχιλλεὺς idem iudicium tulisse quod recentiores grammatici de hoc loco deque forma μέμβλεται tulerunt (cf. Eustath. 1722. 63. quem reddere verba Herodiani censet Lentz II. 294.); praesenti autem μέμβλω has formas adsignant.

Glossam homericam simul scribit cum interpretatione aeschylea Callimachus cum vs. 3 verbis „χόρος ἀμφιλαφὴς" significat virginum coetum cui libet „ἐν οὔρεσιν ἐψιάασθαι"; nam sonus ipse verborum arguit in voce ἀμφιλαφὴς quae homerica non est, at vario sensu a scriptoribus adhibetur, cogitasse eum de Aeschyli versu *Choeph.* 368 „γόος ἀμφιλαφὴς ταραχθείς", quae verba recte, opinor, ita noster accepit ut γόος ἀμφιλαμβάνων sit. Ceteris quoque locis quibus vocem licet non raram, tamen sensu dubiam, usurpat cum verbo ἀμφιλαβεῖν coniungi debere lucide demonstrat, sive activa vi, ut et hic et II. 42 (τέχνῃ ἀμφιλαφὴς) sive passiva ut VI. 27 (ἄλσος δένδρεσιν ἀμφιλαφὲς quod imitatus Nonnus *Dionys.* X. 300 „ἀμφιλαφὴς φολίδεσσι δράκων). Homerum autem haud inelegante interpretatus est in extremo versu. Obversari enim poetae nostro loco nemo non videt venustissimam Dianae descriptionem

τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
ἀγρονόμοι παίζουσι

at pro verbo *παίζειν* aliam vocem homericam mavult, de qua certabant grammatici. Fuisse autem tale certamen de verbo *ἐψιάασθαι* testantur scholia quamvis confusa ad Od. *ρ*. 530. *φ*. 429. ubi ad procos id verbum refertur. Consulto igitur *ἐψιᾶσθαι* pro *παίζειν* nostro loco ponens homericae vocis interpretationem profert. Eam Apollonius Rhodius quoque secutus est, qui III. 117, 950, et I. 458; II. 811 eodem verbo utitur, posterioribus autem locis duobus ita ut fere in dubio poneret utrum significationem *τοῦ παίζειν* an *τοῦ λέγειν* (utraque enim interpretatio vulgata erat) magis probaret (cf. Merkel, prol. ad Apollon. Rhod. CLXXVIII).

Versu 4 Schneiderus proposuit „*ὡς ἅτε*" (codd. *ὡς ὅτε*). Rectius vero opinor Hermanno obtemperabimus qui scribi iubet „*ἄρχμενοι ὥς ποτε*". Formam autem *ἄρχμενοι* non tantum codicum nonnulli sed fr. 113 quoque satis defendit. Ab homerica dictione haec quidem forma aliena. At componi potest, (nam praesenti adscribendum censuit Callimachus qui *ἄρχμενος* scripsit neque cum Herodoto *ἄργμενος*) cum forma syncopata *φέρτε*. (cf. supra p. 24). Num vero huc duxerit noster quoque formam *ποτιδέγμενος* sive *δέχμενος* (Il. *B*. 137, *I*. 191) vehementer dubito. Posteri sane ut testis est Herodianus ex *δεχόμενος* per syncopen *δέχμενος* et per reduplicationem *δεδέχμενος* natum esse censuerunt (cf. Lentz. ad Herodian. CXX.); Aristarcho de hac re consilium non constitit (Ludwich. I. p. 289); at Callimachus *δέχθαι* pro aoristo utitur (III. 63) item *ἔδεκτο* (III. 109) [1]).

In hac voce novanda si quodammodo homericum usum non excessisse sibi videbatur, vix fieri potest quin noverit in sequentibus „*ἐφεζομένη γονάτεσσι*" formam a se adhiberi Homero incognitam. Ille enim cum non nisi formis *γούνασι* et *γούνεσσι* usus esset (Ludw. Arist. I. p. 307) Callimachus, quamquam, ut ex sequentibus quoque apparet, spectat locum Iliadis *Φ* 506 „*δακρυόεσσα δὲ πατρὸς ἐφέζετο γούνασι κούρη*", in hac voce idem sibi licere arbitratus quod Homerus fecisset in *χείρεσσι*, *πόδεσσι*, indulsit amori longiorum formarum quo ardebat *ἡ κοινή* (cf. Kühner-Blass I. 417)

Versu insequenti ubi „*παῖς ἔτι κουρίζουσα*" ei audit Diana, quae quam parvula adhuc a poeta fingatur satis ostendunt sequentia, peccat errore cuius originem in lusu etymologico sitam vidimus

---

[1]) De formis *δειδέχαται* et *δειδέγμενος* fr. 32 et fr. 138 abstinere satius videtur.

supra pag. 23. Melius homericum vocis usum, qui patet ex χ. 185. „σάκος Λαέρτεω ἥρωος ὃ κουρίζων φορέεσκε", tenuit Apollonius Rhodius I. 195, III. 666 praeceptorem ut corrigeret ita κουρίζειν adhibens, ut non τὸ „παῖδα εἶναι" verum τὸ ἀκμάζειν indicaret [1]). Tum in extremo versu „τάδε προσέειπε γουνῆα" ita homericum „ὃ δὲ προσέειπεν ἄνακτα" (*E.* 26) imitatur ut tamen formam adhibeat minus homericam; γονεὺς enim numero singulari, quod sedulo imitati sunt poetae Latini, antiquiori epicae dictioni incognitum.

Cum deinde puella a patre precatur, ut perpetuam sibi liceat servare castitatem (δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν) verbis non admodum homericis munus petit homericae Dianae vix proprium. Quod si Homero in hac dea non plane incognitum fuit, non tamen antiquo poetae adeo propria Dianae ac perpetua castitatis virtus videbatur, ut posteris. Non enim Nausicaam modo (ζ. 151.) sed Penelopen quoque (ϱ. 37 τ. 54) quin etiam venustissimis versibus Helenen ipsam huic deae comparavit (δ. 121). Neque vero cum usu Homeri satis convenit Callimachus cum castitatem παρθενίην dicit. Spectabat fortasse eos versus, quos in praecedentibus quoque secutus erat (ζ. 109) ubi Nausicaa Dianae simillima dicitur παρθένος ἀδμής; at non id viderat virginalem castitatem solo adiectivo ἀδμὴς contineri; vocem autem παρθένος (nam παρθενία vocabulum Homero incognitum tragoediam sonat et lyricos) per se incorruptam castitatem in Iliade et Odyssea non indicare. Verumenimvero iure fortasse opinatus est Callimachus non prorsus eam notionem ab esse ab adiectivo παρθένιος. Versum λ. 245 (λῦσε δε παρθενίην ζώνην) ab Aristarcho reiectum, a Zenodoto ne lectum quidem, utrum noster noverit necne incertum; ἅπαξ εἰρημένον autem παρθένιος de Eudoro (*Π.* 180) quem peperit χορῷ καλῇ Πολυμήλῃ, probabile est a Callimacho eodem modo acceptum esse atque ab Aristarcho „ὁ ἐξ ἔτι παρθένου νομιζομένης (quam *castam* putabant) γεννώμενος" (Lehrs. Ar. p. 132); quamquam rectius Homeri usum cepit Apollonius Sophistes, qui (*Lex. hom. i. v.* παρθένιος) παρθένιον dici a Poeta contendit eum, qui ab *innupta* (ἀνέκδοτος) in lucem editus esset (quales filios recte Callimachus fr. 170 σκοτίους dixit). Atque eo facilius Callimachus adducebatur ut putaret, voce παρθένῳ castam inprimis virginem indicari ab Homero, cum observaretur ei — id quod vs. 4 et 26 arguunt — hymnus homericus in Venerem ubi vs. 26 legebat:

---

[1]) Cf. infra ad IV. 2.

ὤμοσε δὲ μέγαν ὅρκον (ὃ δὴ τετελεσμένον ἐστίν)
ἁψαμένη κεφαλῆς πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
παρθένος ἔσσεσθαι πάντ' ἤματα δῖα θεάων.

Hanc virginalem castitatem, quam tragici omnes, at nemo Euripide crebrius celebrat, Callimachus, leviter tantum hymni homerici versum immutans *αἰώνιον* dixit, voce usus neque homerica neque omnino poetica (cf. IV. 130 „*αἰώνιον ἔρρειν*"). Adicit insolitam vocativi formam *ἄππα* quae ut hodie nonnullis editoribus offensioni est, olim quoque a lectoribus non sine dubitatione accepta esse videtur; abiit enim in compluribus codicibus in *ἄπτα* vel *ἄττα*. At iusta causa non est dubitandi num scripserit Callimachus *ἄππα*. Etenim in singularium *προσφωνήσεων* vi illustranda iam ante Aristarchum elaborasse grammaticos Alexandrinos Eustathius testatur ad Iliad. p. 1118. 8: „*ὁ γραμματικὸς Ἀριστοφάνης γράψας ὡς εἰσὶ προσφωνήσεις διάφοροι παιγνιωδέστεραί τινες καὶ ὑποκοριστικαὶ, ἐπάγει οἷον ἄππα, πάππα, μάμμα, μάμμη, μαμμία, τέττα, ἄττα*". In qua re non tantum homerica respexisse Aristophanem ipsa quae enumerantur nomina arguunt. At usus homericus illustratur in schol. ad *I.* 601 „*τὸ ἄττα λέξις προσφωνητικὴ ἐκ τινὸς νεωτέρου πρὸς τροφέα*", cf. Eustath. ad Iliad. p. 659. 2: „*ἔστι δὲ τὸ μὲν τέττα φίλου, τὸ δὲ ἄττα τροφέως, τὸ δὲ πάππα πατρὸς, τὸ δὲ ἠθεῖε ἀδελφοῦ*", quae omnia ex Aristophane fluxisse non temere contendit Naùckius (*Ar. Byz.* p. 155). Cum autem formam *ἄππα* ab Aristophane quoque acceptam esse videmus, atque simul memoria tenemus verbis huic Callimachi versui simillimis Homerum Nausicaam ad patrem fecisse locutam ζ. 56

ἡ δὲ μάλ' ἄγχι στᾶσα φίλον πατέρα προσέειπε·
πάππα φίλ' ἦ κεν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην;

suspicio oritur haud levissima iam Callimachi et aequalium de hac re tale fuisse iudicium quale refert Etym. Magn. 134. 53: „*ἀπφῦς ὁ πατὴρ* [cf. Theocr. XV. 14] *εἴρηται ὑποκοριστικῶς, ἀπὸ τοῦ πάππα ὃ σημαίνει τὸν πατέρα ἀφαιρέσει τοῦ π̄ ἄππα ἀππῦς, καὶ τροπῇ τοῦ π̄ εἰς φ̄ ἀπφῦς ὡς Διονῦς ὁ Διόνυσος.*

Pergit parvula virgo precando „*δὸς πολυωνυμίην ἵνα μή μοι Φοῖβος ἐρίζῃ.*" Quoniam vero omnino non solius Apollinis solet celebrari *πολυωνυμία*, nam et ipse Iuppiter et Pluto et Ceres *πολυώνυμοι* sunt atque dicuntur, merito rogabis num certa quaedam Apollinis *πολυωνυμία* hic respiciatur, qua optet dea ut Apollo se ne superet contendendo (ita enim recte *ἐρίζειν* secundum usum epicum adhibet cf. *I.* 389 *Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι*). Et profecto prae ceteris Deliacus *πολυώνυμος* celebrari potuit cum semel poeta hymni home-

rici *in Apoll.* vs. 79 Delum insulam hisce allocutam finxisset Latonam:

ἀλλ' εἴ μοι τλαίης γε θεὰ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
ἐνθάδε μιν πρῶτον τεύξειν περικαλλέα νηὸν
ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον, αὐτὰρ ἔπειτα
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, ἐπεὶ ἦ πολυώνυμος ἔσται·

Quem locum et hic respicit Callimachus et apertius etiam exprimit II. 70 *πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ.* i. e. *πάντη πολυώνυμος εἶ* [1]).

Vs. 8. *δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα — ἔα πάτερ, οὐ σὲ φαρέτρην,*
οὔ σ' αἰτέω μέγα τόξον (ἐμοὶ Κύκλωπες ὀιστοὺς
10 *αὐτίκα τεχνήσονται, ἐμοὶ δ' εὐκαμπὲς ἄεμμα),*
ἀλλὰ φαεσφορίην τε καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα
ζώννυσθαι λεγνωτὸν, ἵν' ἄγρια θηρία καίνω.
δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας Ὠκεανίνας,
πάσας εἰνετέας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

Ita Schneiderus hos versus edidit, recte, ni fallor, nisi quod recipienda videtur Blomfieldii correctio, pro *οὔ σε, οὐ σὲ* legentis; tum leni mutatione pro *οὐδ' αἰτέω* scribendum puto *οὔ σ' αἰτέω*, quo magis cum Callimachi dicendi ratione conveniat *„οὐ σὲ φαρέτρην, οὔ σ' αἰτέω μέγα τόξον*, iterato pronomine ut in sequentibus *ἐμοὶ Κύκλωπες ... ἐμοὶ δ' εὐκαμπές.* Et postulat id quodammodo sententia ut in pronomen *σὲ* omnis animus lectoris arcessatur, nam hoc profecto docere voluit suos poeta antiquae religionis observantissimus, *τοξοσύνην* fortasse recte peti a Rege deorum, at non ipsum arcum et sagittas; nec enim talia Homerum voluisse cum *Φ.* 480 Iunonem hisce in Dianam finxisset invectam:

πῶς δὲ σὺ νῦν μέμονας κύον ἀδδεὲς ἀντ' ἐμεῖο
στήσασθαι; χαλεπή τοι ἐγὼ μένος ἀντιφέρεσθαι
τοξοφόρῳ περ ἐούσῃ, ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶ
Ζεὺς θῆκεν καὶ ἔδωκε κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλῃσθα.

Non igitur arcum dedit Pater Dianae at artem sagittariam. Neque semper mehercle antiquissimi poetae id curarunt ut unde deorum sua cuique insignia venirent, continuo diligentissime nota-

---

[1]) Non igitur facio cum Ianio, qui l. l. p. 102 aliter de his verbis disputans contendit *πάντη* non *ubique* sed *omnino* significare. Recte autem Schneideri opinionem de adiectivi *πολὺς* significatione („a multis celebraris") impugnavit idem. Ceterum cf. ad II. 70.

rent. Recens natus Apollo *δέσματα* abiciens et *πείρατα* exclamat (*hymn. in Apoll.* vs. 131):

„*εἴη μοι κίθαρίς τε φίλη καὶ καμπύλα τόξα*"

et ecce adest cum cithara arcus. Meminerat noster praeclarum versum et hoc loco in usum suum convertit, simul epitheton notissimum *καμπύλον* illustrans adiectivo minus vulgato, licet ab homericis non alieno *εὐκαμπὴς* [1]) et voce rarissima arcum dicens *ἄεμμα*, de qua non habeo quod dicam nisi quod propter II. 33. „*τό τ' ἄεμμα τὸ Λύκτιον*" fortasse suspicari possis vocem Creticam fuisse. Ceterum quamquam quaestiones mythologicae ab hoc loco alienae sunt, non tamen possum facere quin verbo moneam quanta diligentia in hac quoque re Callimachus minimum quidque in Homero curet. Noli enim putare, inconsulte egisse poetam cum Cyclopes fabricatores dicat deorum armaturae, cum apud Homerum Vulcanus arma deorum fabricari fingatur (*O.* 310 *Σ.* 369). Ipsius Vulcani officinas cum posterioribus poetis ab Olympo removens Callimachus addit deo operas Cyclopes, cf. vs. 46.

Obiter tantum moneo *τεχνᾶσθαι* eo sensu quo hic usurpatum est in Iliade numquam occurrere (nam *Φ.* 415 metaphorice adhibitum) in Odyssea *ε.* 259 de velis ratis „*ὃ δ' εὖ τεχνήσατο καὶ τά*" (cf. *λ.* 613. quem versum Aristarchus damnavit); vs. 11 *φαεσφόρῃ* ut ipsa res in dea Diana nova ita nomen ab Homero alienum; a tragicis vero plus quam semel adhibitum est neque cum epicae dictionis legibus forma pugnat. Parvula quoque res est quam tamen omitti non oportet, collocatione vocis *μέχρι* („*ἐς γόνυ μέχρι*" (cf. VI. 130 *ποτὶ τὰν θεὸν ἄχρις*) indicari quid censuerit Callimachus de homerico versu *Π.* 324

δρύψ' ἀπὸ μυιώνων, ἀπὸ δ' ὀστέον ἄχρις ἄραξε,

nempe *ἄχρι* non tantum adverbii vicem apud Homerum obtinere sed interdum quoque accipiendum esse tamquam *ἕως*, cf. Schol. B L V „*τὸ δὲ ἄχρις ἀντὶ τοῦ ἕως ὀστέου*". *μέχρις* autem et *μέχρι* sine discrimine adhibet noster. — Eodem versu verbo *καίνω* usus est quod a tragicis poetis desumsit.

Non suppeditabat dictio epica nomen quo Dianei thiasi socias appellaret. Itaque aut sumpsit aliunde aut ipse sibi formavit vocem *χορίτιδας* (vs. 13), quae recte a substantivo formata, non ut *χορευτὴς* saltatorem sed sociam chori indicat. Et quamquam forma

---

[1]) *εὐκαμπία τόξα* habet poeta hymni XXVI. in Dianam vs. 12, Callimacho fortasse paulo antiquior.

usuque admodum vulgata sunt eiusmodi substantiva quae in *ίτης, ῖτις* desinentia et a substantivo derivata adiectivorum saepe vice funguntur, delectari tamen praesertim dixeris poetas Alexandrinos harum vocum rhythmo numeroso: placuit enim iis novas formare, ita Apollonius (III. 1219) „*νύμφαι ἑλειονόμοι ποταμίτιδες*" et noster (II. 48) „*ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους*," quos equos ex vulgato usu Euripides ut alios omittam *ζυγηφόρους* (*Herc. f.* 120) *ζυγίους* (*Iph. Aul.* 221) dixerat, Homerus autem — opinor quia vix unquam equi ei indicandi sunt qui singuli curru alligantur itaque omnes equi ei sunt *ζευγίτιδες* — proprio nomine non indicavit. — De voce *ἄμιτρος* (vs. 14) iam dixi ad I. 21.

Vs. 15. „*δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας,*
αἵ τε μοι ἐνδρομίδας τε καὶ, ὁππότε μηκέτι λύγκας
μηδ' ἐλάφους βάλλοιμι, θοοὺς κύνας εὖ κομέοιεν.
δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα· πόλιν δέ μοι ἥντινα νεῖμον
ἥντινα λῇς· σπαρνὸν γὰρ, ὅτ' Ἄρτεμις ἄστυ κάτεισιν."

Hic ipsa modorum constructio, quae adeo Thierschio displicuit ut vs. 17 *βάλλωμι* legere mallet, indicio esse potest Alexandrinis vix satis constitisse quales de ea re leges in antiquo epico sermone valerent nec offensioni fuisse iis si in sententia quae a verbi praesenti forma penderet pro finali coniunctivo optativus legeretur aut in optativi forma particula *ἄν* sive *κὲν* temere omitteretur. Ad quam rem attendere operae pretium est quia nonnullis versibus homericis codicum varietas dubitationem grammaticorum arguit. Ita *μ.* 156 in codicibus nonnullis

ἀλλ' ἐρέω μὲν ἐγὼ ἵνα εἰδότες ἠὲ θάνωμεν
ἢ καὶ ἀλευάμενοι θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν

legitur; *φύγωμεν* autem quod hodie a plerisque editur, in paucis tantum codicibus invenitur et correctioni debetur. Eadem codicum discrepantia saepius occurrens testatur vix quidquam pro certo in hac re constituisse Alexandrinos, ita quoque, ne plures locos adducam, *X.* 243

μηδέ τι δούρων
ἕστω φειδωλὴ ἵνα εἴδομεν εἴ κεν Ἀχιλλεὺς
νῶι κατακτείνας ἔναρα βροτόεντα φέρηται
νῆας ἐπὶ γλαφυρὰς, ἦ κεν σῷ δουρὶ δαμήῃ,

legisse sine offensione multos *δαμείη* codicum varietas declarat.

Eodem versu 17 *κομέειν* adhibet Callimachus de canibus plane ut de Ulixis cane Homerus, ad cuius verba *ρ.* 319 „*τόνδε γυναῖκες*

ἀκηδέες οὐ κομέουσι" more suo alludit, in eadem versus sede ponens *εὖ κομέοιεν*. — *Ἐνδρομίδες* vero illae (vs. 16), quas subridebat Cobetus, non minus ab Homero alienae sunt quam *λύγκες*. Verum, quamquam in exteris terris lynces saepius inveniri solebant quam in ipsa Graecia, paulatim poetae minus antiquae aetatis et cum Dianae cultu et cum Pane lynces coniungere coeperant. Quod idem fecit poeta hymni in Panem (XIX. 24) „*λαῖφος δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινὸν λυγκὸς ἔχει*". Veneris autem sociam cinctam „maculosae tegmine lyncis" quis non meminit?

De singulari usu vocis *ἥντινα* (vs. 18) pro *ἥντινα οὖν* (nam ingeniose sane sed praeter necessitatem Stephanus coniecit *πόλιν δὲ μίην τινά*) conferenda sunt quae scripsi de voce *ὅσσον* ad I. 64. At plura dicenda sunt de verbo *λῇς*, vs. 19. Raro enim Dorica in dictione epica admiscet noster neque temere, et nunc quoque consulto, ni fallor, insolita forma *λῇς* usus est pro qua facile *ἢν ἐθέλεις* vel *ἤν κε θέλῃς* scribere potuit. Causam si quaerimus, oritur suspicio Callimacho hanc verbi formam non visam esse Doricam et apud nostrum atque eius aequales de homerico verbo *λιλαίομαι* et de participio *λελιημένος* iam eam viguisse opinionem, quae servatur in schol. ad *Γ*. 399: „*λῶ· τὸ ἐθέλω, ἀναδιπλασιασμὸς λιλῶ· ὡς κερῶ κεραίω οὕτω λιλῶ λιλαίω*" (cf. Herodian. in Lentzii praefatione p. XXII). Cum longiore igitur forma aeque recte ferri breviorem formam *λῶ* iudicavit Callimachus.

Graviter autem castigavit Cobetus verba „*σπαρνὸν γὰρ ὅτ' Ἄρτεμις ἅστυ κάτεισι*", quae nescio an parum apte Schneiderus defendat homerico versu *N*. 817 „*σοὶ δ' αὐτῷ φημὶ σχεδὸν ἔμμεναι ὁππότε φεύγων ἀρήσῃ*". Atticorum potius *ἔσθ' ὅτε*, tragicorumque *νῦν ὅτε*, *μεθύστερον ὅτε* componetur, quod si quodammodo culpa liberabit Callimachum, tragicorum quoque exemplo *σπαρνὸν* suum tamquam exquisitius pro *σπάνιον* (et ne id quidem homericum est) ille defendet. Ipsius vero Homeri exemplum fortasse sibi videbatur sequi cum neglecto suffixo *δε* dixit „*ἅστυ κάτεισι*". Nam dixerat Homerus o. 505 „*εἰς ἅστυ κάτειμι* at idem neglexerat suffixum o. 82 *ἅστεα δ' ἀνθρώπων ἠγήσομαι*.

Vs. 20. „*οὔρεσιν οἰκήσω, πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν*
μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες
τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον, ἧσί με Μοῖραι
γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν,
ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα

25 μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο γυίων."

Primum est ut paucis verbis moneam his versibus illustrari imitationis genus quo maximopere delectantur poetae Alexandrini, miscendo enim duos inter se locos homericos eruditionem suam simul ostentant et doctam auditorum voluptatem augere student. Versu enim 20 alludi ad homerica verba ζ. 205 „οὐδέ τις ἄμμι βροτῶν ἐπιμίσγεται ἄλλος, parvum est [1]). Sed vide quam simile sit quod sequitur vs. 23 (nam de vss. 21 et 22 iam dixi ad I. 29) duobus locis Homericis ubi illud γείνομαι usurpatur, quod inde a Bekkero diligenter omnes proscribentes γίγνομαι facili opera reponunt, at quod contra Alexandrinis tamquam forma liquidata recte adhiberi videbatur (cf. Herodian. I. 450, II. 486. — Call. IV. 214, 260 alibi); Homerus autem γεινόμενος adhibuit δ. 208

ᾧ τε Κρονίων
ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε.

Eum versum ita sequitur noster ut pro ἐπικλώσῃ reponat ἐπεκλήρωσαν. Nec tamen minus tenuit η. 198

πείσεται ἅσσα οἱ αἶσα κατὰ κλῶθές τε βαρεῖαι
γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ.

Quos versus eo etiam consilio laudavi, ut appareret Κλῶθας atque Μοίρας easdem Callimacho fuisse deas, neque dubitasse nostrum plures dicere Parcas, licet semel tantum plurali numero apud Poetam occurrant Λ. 49, (cf. infra ad IV. 165).

Proprio autem consilio atque eruditione se vocat βοηθόον Diana, neque βοηθὸν ut solent dici adiutores ipseque se dicit vs. 153 huius hymni Hercules. Cogitavit enim poeta de ipsa vocis etymologia, et licet Homerus non soleat vocem adhibere nisi de iis qui „ad clamorem *pugnantium* accurrant" nam id profecto est βοή, summo tamen iure nunc ea dea βοηθόος dicitur quae accurrat ad parturientium βοάς. — Vocabulum ab Homero semel tantum adhibitum ἀμογητὶ (Λ. 637) ut hic usurparet, causa fuerunt versus quos imitari poetam supra monui (p. 17.) ubi memorantur μογοστόκοι Εἰλείθυιαι quibus igitur Artemis λοχεία opponitur quae felicem facilemque partum affert. Ad cultum Dianae Deliacum haec spectare mihi non dubium est. — φέρειν autem (vs. 24) de gravidis mulieribus ipse Homerus semel dixerat Z. 59. De vocis γυῖα usu conferri potest pag. 11.

---

[1]) Cf. p. 10 et infra ad IV. 39.

Vs. 26. ὣς ἡ παῖς εἰποῦσα γενειάδος ἥθελε πατρὸς
ἅψασθαι, πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας,
μέχρις ἵνα ψαύσειε. πατὴρ δ' ἐπένευσε γελάσσας,
φῇ δὲ καταρρέξων· „ὅτε μοι τοιαῦτα θέαιναι
30 τίκτοιεν, τυτθόν κεν ἐγὼ ζηλήμονος Ἥρης
χωομένης ἀλέγοιμι."

Quae imagines Olympiae vitae in his conscribendis obversatae sunt Callimacho, eas, cum sponte lectoribus veniant in mentem, verbo indicare satis erit. Verum more suo miscet eos versus quos illustrat. Nam ut memor fuerit Thetidis cum Iove colloquii, quoniam tangit ea quoque supplex Patris mentum „ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα", mutat tamen simul dictionem Callimachus cui placet vocabulum γενειὰς adhibere. Cuius rei causa in aperto; constat enim inter antiquos criticos certamen fuisse de versu π. 176 nonnullis legentibus

κυάνεαι δ' ἐγένοντο ἐθειράδες ἀμφὶ γένειον,

aliis, id quod merito hodie plerique editores probant, γενειάδες scribi iubentibus. Fuit inter huius vocabuli fautores Aristarchus, si quidem recte Lehrsius eius nomen pro Aristotelis nomine reduxit in *Schol. Ambros. ad Theocr.* I. 34. [1]). Callimachus autem vocem homericae dictioni vindicasse videtur eamque eo libentius hoc loco arripuisse quia proprie Dianam non tam barbam patris quam mentum attingere fingebat, sicut Euryclea τ. 473 ἀψαμένη δὲ γενείου Ὀδυσσῆα προσέειπε. Nec tamen crediderim Callimachum iam, ex more tragicorum, ipsum mentum γενειάδα dixisse, Pan enim deus barbatus γενειήτης infra vs. 90 vocatur, quod vocabulum ex homerico γενειᾶν haud absurde finxisse videtur [2]).

Thetidis precibus olim „ἐπένευσε Κρονίων", ita quoque filiolae precanti, huic vero ἐπένευσε γελάσσας. Nec mirum nam statim post versus quos imitari nostrum vidimus ad vss. 3 et 6 (Φ. 506) exposuerat Homerus vs. 508, quibus Iuppiter flentem Dianam allocutus esset „ἠδὺ γελάσσας". Et nunc altera ex altera imago Olympia in mentem poetae venit: ut enim Dione mater Aphroditen blande demulcet dum alloquitur (*E.* 370 χειρί τέ μιν κατέρεξε) ita nunc Iuppiter φῇ δὲ καταρρέξων, tum maiora ausus quam in colloquio cum Thetide (*A.* 518) Iuppiter homericus, callimacheus Pater deorum laetus exclamat „τυτθόν κεν ἐγὼ ζηλήμονος Ἥρης χωομένης ἀλέγοιμι". Et ne

[1]) Quod adfirmare dubitat A. Ludwich. Arist. I. 615; cf. tamen adnotationem ad vs. 176 in Ludwichii Odyssea.

[2]) Cf. quoque infra ad IV. 110.

haec quidem exclamat verbis non homericis at pro doctrina poetae sui erudite coniungit duos versus quibus olim suam increpuerat uxorem, Θ. 477 *σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω χωομένης* et Θ. 482 *οὐ σέ' ἔγωγε σκυζομένης ἀλέγω*. Hoc genus imitationis ut nobis taedium affert ita impense eius aetatis eruditos delectabat. Neque tamen Callimachus imitatione erat contentus quae interpretationem omnino nullam contineret. Ita vs. 27 *πολλὰς ... ἐτάνυσσατο χεῖρας* non sine consilio dixit. Ipse enim sonus verborum cogit afferre β. 151, quo loco eadem ratione de motu iterato iam Callimachi temporibus lectum fuisse „*ἐτιναξάσθην πτερὰ πολλά*" (quam lectionem merito reiectam hodie Cod. Pal. servat) ex versu nostro fit verisimile. Nec improbabile est Od. ε. 118 ipsum Callimachum legisse „*σχέτλιοί ἐστε θεοί, ζηλήμονες ἔξοχον ἄλλων*" (quod adiectivum alibi apud Homerum non occurrit), nec favisse lectioni *δηλήμονες* aut de interpretatione dubitasse, cum ita significet eam deam cuius *δυσζηλίαν* cum saepe castigasset in Iliade deorum Rex, numquam tamen magis vividis coloribus eam depinxit ipse Poeta quam istis versibus quorum memoriam in hac hymni parte fere nusquam deposuit Callimachus: Φ. 480—512 [1]).

Vs. 31. „*φέρευ τέκος ὅσσ' ἐθελημὸς*
αἰτίζεις, καί τ' ἄλλα πατὴρ ἔτι μείζονα δώσει.
τρὶς δέκα τοι πτολίεθρα καὶ οὐχ ἕνα πύργον ὀπάσσω,
τρὶς δέκα τοι πτολίεθρα, τὰ μὴ θεὸν ἄλλον ἀέξειν
35 *εἴσεται, ἀλλὰ μόνην σὲ, καὶ Ἀρτέμιδος καλέεσθαι,*
πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι [2])
μεσσόγεως νήσους τε· καὶ ἐν πάσῃσιν ἔσονται
Ἀρτέμιδος βωμοί τε καὶ ἄλσεα. καὶ μὲν ἀγυιαῖς
ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος."

Deserit, quod interdum facit, vestigia Homeri, idque nunc coactus, nam ei imagini quam reddere vult, Patris virgini filiae cumulate donantis ea munera quibus inter homines deinde Diana inclaruit, colores non praebebat Homerus. Et plerumque eum suis verbis uti

---

[1]) De verbis *μέχρις ἵνα* post Schneiderum vix quidquam adiciendum nisi conferri posse Atticorum *μέχρι τούτου, τοσούτου — ἕως ἄν*). De ceteris cf. Scheer p. 7, de Ian p. 95.

[2]) Duram et ineleganter contortam sententiam duriorem reddidit Schneiderus *διαμετρήσασθαι* coniciens. Contra habet quo se commendet id quod Valckenaerius in schedis proponit vs. 31 et 32:

φέρευ τέκος ὅσσ' ἐθελημῶς
αἰτίζεις καί ξ' ἄλλα πατὴρ ἐπὶ μείζονα δώσω.

in hisce versibus videbis, nam serpit humi oratio nisi quod mirum in modum contortus est verborum nexus. Attamen hic illic recurrunt in docti hominis memoriam tamquam glossae antiquorum; veluti vs. 31 cum adhibet adiectivum ἐθελημός, quod diceres aut consulto usurpasse poetam ut in errorem induceret lectores, aut prorsus inepte adhibuisse nisi meminisses versus hesiodei *Opp.* 117

καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἱ δ' ἐθελημοὶ
ἥσυχοι ἔργα νέμοντο.

De his enim versibus disputasse grammaticos quaerentes quid vellet ἐθελημοί, facile credimus, testaturque Etym. Magn. 318. 42 „ἐκ παραλλήλου τὸ αὐτό, θελημοί, ἥσυχοί", et Hesychius „ἐθελημοί· πρόθυμοι". Et haec callimacheam fere interpretationem reddunt [1]). Item, ut est insolitarum dictionum amator sedulusque interpres, insequenti versu αἰτίζεις dixit sensu precandi; quod cum in Odyssea *mendicandi* vim habere soleat (ut ipse quoque Callimachus probe meminit qui VI. 116 αἰτίζων ἀκόλως ex ρ. 222 sibi desumpsit) uno tamen loco ita Homerus dixerat (δ. 651)

ὁππότ' ἀνὴρ τοιοῦτος ἔχων μελεδήματα θυμῷ
αἰτίζοι,

ut magis precandi quam mendicandi sensum haberet. Arripuit locum noster et dedit operam ut in eadem qua Homerus versus sede verbum collocaret. — Iterum minus solitam dicendi rationem in Odyssea occurrentem illustrando notare voluit cum versu 35 scripsit „τὰ μὴ θεὸν ἄλλον ἀέξειν ἔσεται κ. τ. λ". Nam ut vulgatum est illud

οὐδ' ἐπὶ δεξιὰ, οὐδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βοῦν
ἀζαλέην

sensu τοῦ ἐπίστασθαι (*H.* 238), alia ratio est versus ω. 506 „τόδε γ' εἴσεαι... μήτι καταισχύνειν πατέρων γένος", ubi recte convenit interpretatio Eustathii (1968. 52) „γνώσῃ, νοήσεις." Cui loco haud dissimilis noster. Ceterum tragicorum sermoni magis quam Homeri haec dictio convenit, atque e tragicis nonnulla sibi desumpsit hisce versibus Callimachus. Non enim Homerus sensu *celebrandi* dicere solet ἀέξειν (vs. 34) — quamquam habet κῦδος ἀέξειν — at Sophocles, Pindari fortasse exemplum secutus, *Oed. reg.* 1091 „Κιθαιρῶνα αὔξειν", dixerat. De ipsa urbe πύργον non dixit Homerus; at haud ignotus est ille ex tragoedia nescio qua desumptus versus (Plut. Mor.

[1]) θελήμων adhibuit Apollonius Rhodius II. 357.

p. 600) „ἅπας μοι πύργος Ἑλλήνων πατρίς", et profecto optime Cratetis illud decantatum noverat Callimachus (Diog. Laert. VI. 98)

οὐχ εἷς πάτρας μοι πύργος, οὐ μία στέγη.

Postremo ξυνῇ (vs. 36) tragicum est nec Homericum, et ita quoque ἄλσεα (vs. 38), siquidem vix dubium quin nostro loco minus indicaverit „τόπον σύνδενδρον ὕδωρ ἔχοντα" (cf. Schol. D ad *B.* 506) quam τέμενος, ut vocabulum adhibuit Eur. *Troad.* 15

ἔρημα δ' ἄλση καὶ θεῶν ἀνάκτορα.

Vs. 39. ὣς ὁ μὲν εἰπὼν
μῦθον ἐπεκρήηνε καρήατι. βαῖνε δὲ κούρη
λευκὸν ἐπὶ Κρηταῖον ὄρος κεκομημένον ὕλῃ,
ἔνθεν ἐπ' Ὠκεανόν· πολέας δ' ἐπελέξατο νύμφας
[πάσας εἰνετέας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους].
χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα, χαῖρε δὲ Τηθύς,
45 οὕνεκα θυγατέρας Λητωίδι πέμπον ἀμορβούς [1]).

Redit cum narratione ad epicum genus ipsa dictio; at iam primis verbis licentia quadam utitur noster in voce ἐπεκρήηνε. Nam verbum ἐπικραίνειν, quod in Iliade et Odyssea semper eam vim obtinet ut, quod ad sensum pertinet, ferat interpretationem Grammaticorum „κεφαλὴν ἐπιθεῖναι πράγματι" (cf. v. Leeuwen *Ench.* p. 494), Callimachus cum stirpe κρατ cohaerere quidem ipse quoque vidit et aperte significavit („ἐπεκρήηνε καρήατι") nec tamen interpretatur ἐπιτελέσαι sed potius κρατὶ βεβαιῶσαι, κυρῶσαι, Iuppiter enim capitis nutu non ad finem promissa perducit, sed firmat. Et ni fallor latet quodammodo talis interpretatio in Schol. ad *B.* 419 (οὐ δ' ἄρα πώ οἱ ἐπεκραίαινε Κρονίων) ubi legitur adnotatum: „διὰ τοῦ πω ἐλπίδα ὑπολείπει τῆς εὐχῆς· ἐπὶ δὲ Θεανοῦς ἀνένευσε Κρονίων". Eodem igitur fere redire scholiastae videtur τὸ ἐπικρῆναι τῷ ἐπινεῦσαι. Idem censuit Callimachus, cum haec scriberet bene memor eorum quae ad Thetim Iuppiter dixit *A.* 526:

οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον οὐδ' ἀπατηλὸν
οὐδ' ἀτελεύτητον ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Cum vero „ἐπικρήηνε καρήατι" eodem redire poetae visum sit atque κεφαλῇ ἐπινεῦσαι (cf. III. 28) oritur suspicio, quamvis levis, placuisse

---

[1]) Lacunam statuit post vs. 41 Schneiderus, versum intercidisse opinatus quo narrabatur in Creta insula Amnisides a Diana accipi, talem autem versum versu 43 tantum non postulari iudicabat. Equidem putaverim melius loco consuli, si versum 43, hoc loco male iteratum, totum deleamus. Quare uncinis inclusi.

ei *Δ*. 524 cum Phileta *ἐπινεύσομαι* quod reiecit Aristarchus (Ludw. I. 199.) [1]).

Versu sequenti *λευκὸν ὄρος* non spectare *τὰ Λευκὰ ὄρη* probabile fecit Schneiderus; indicat poeta eo adiectivo Cretensium montes in universum quos dixerat Homerus (τ. 338) „*Κρήτης ὄρεα νιφόεντα*". Cum vero in extremo versu elegantiae studens dictum homericum *καταειμένον ὕλῃ* (τ. 431. *ν*. 351. hymn. Merc. 228) leviter immutat, ut quam proxime se applicet ad exemplum suum formam passivi sumit quamvis insolitam *κεκομημένον ὕλῃ*: passiva enim sensu intransitivo haud semel occurrere non ignorat noster qui consulto in tali re insolita sectatur [2]) ut in sequenti „*πολέας νύμφας*" quocum conferri potest notum illud *πουλὺν ἐφ' ὑγρήν K*. 27; *δ*. 709.

De voce *ἀμορβός*, quae, postquam Antimachus adhibuit in Thebaide (Steph. Byz. s. v. *Δύμη*) Alexandrinis pergrata fuit, nihil novi afferam, neque enim aut hic locus aut fr. 46 (*βοῶν ἀμορβοί*, ubi apertius antimacheum *ἐπίκουρος ἀμορβῶν* imitatur) documento esse possunt vocem (quam in Iliadem intulit Nauckii coniectura ad *N*. 793) Callimacho visam esse homericam.

Diana postquam Oceaninas (*Τηθύος ἔκγονα*) accepit *ἀμορβοὺς* (*ἀμορβάδας* dicturus fuit Apollonius, cf. III. 881)

Vs. 46. *αὖθι δὲ Κύκλωπας μετεκίαθε· τοὺς μὲν ἔτετμε*
νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ,

ita rem exponit noster, neque Homeri inmemor qui narravit *α*. 22 „*ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε*", et sescenties in prima sede versus *νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ* taliaque ponere assueverat, neque Philetae. Etenim eruditius quam elegantius adicit vs. 47.

(*Λιπάρη νέον ἀλλὰ τότ' ἔσκεν*
οὔνομά οἱ Μελιγουνίς)

quam notitiam praeceptori Callimachus debet (cf. Parthenius *π. ἐρ. παθ*. II.) Ceterum cum describit Cyclopas ut mythos antiquissimos cum recentioribus miscet ita verba quoque sua non ex Homero tantum sumit; pergit enim vs. 48 (*τοὺς μὲν ἔτετμε*)

ἐπ' ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο
ἑσταότας περὶ μύδρον· ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον·
ἵππειήν τετύκοντο Ποσειδάωνι ποτίστρην.

---

[1]) Substantivi *κάρη* formas epicas in hymnis fideliter servavit (cf. IV. 134, 236; II. 60).

[2]) Activam formam ad exemplum hymni in Cer. 454 adhibet IV. 262.

Rem Homero ignotam verbis enarrat satis homericis (nam *ἐπείγειν* sensu haud ita diverso adhibitum videmus o. 445) si modo exceperis *μύδρος* et *ποτίστρη*. Quorum alteri haud procul quaerenda origo, cuivis enim, cum Aetneae officinae memorantur occurrit aeschyleum illud ex *Prometheo* (vs. 366)

„κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις ἥμενος μυδροκτυπεῖ
Ἥφαιστος".

Alterum autem *ποτίστρη* unde venerit poetae vix quisquam indicare posse videtur, causam vero quae ad vocem usurpandam eum adduxerit in etymologico lusu ad nomen *Ποσειδάων* sitam esse suspicor [1]). Atque ut iam Hesiodus versibus notissimis de Cyclopibus egerat (*Theog.* 141)

οἳ Ζηνὶ βρόντην τ' ἔδοσαν, τεῦξάν τε κεραυνόν,

alius quidam fortasse poeta Neptuno tridentem fabricantes Cyclopes finxerat, noster vero merito honore celebrare non omisit *τὸν Ἵππιον* quem tota Arcadia, Cyrenaico poetae cara, at prae ceteris civitatibus Mantinea colebat [2]).

Vs. 51. *αἱ νύμφαι δ' ἔδδεισαν ὅπως ἴδον αἰνὰ πέλωρα*
πρηόσιν Ὀσσαίοισιν ἐοικότα — πᾶσι δ' ὑπ' ὀφρὺν
φάεα μουνόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ,
δεινὸν ὑπογλαύσσοντα — καὶ ὁππότε δοῦπον ἄκουσαν
55 *ἄκμονος ἠχήσαντος ἐπὶ μέγα, πουλύ τ' ἄημα*
φυσάων, αὐτῶν τε βαρὺν στόνον.

Tales imitationes cum plausu accepisse Alexandrinos vix hodie credimus. Quis nostrum non succenset Callimacho secum illos versus reputans, quos hic illustrat (*ι.* 190)

καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον οὐδὲ ἐῴκει
ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
ὑψηλῶν ὀρέων, ὅ τε φαίνεται οἷον ἀπ' ἄλλων.

Quae enim comparatio de uno illo Polyphemo immanem quandam et tristem dignitatem induto, ipsa gravitate affectat lectorem, risum movebit cum (tamquam alios montes mons ille peperisset) omnes Cyclopes indicat! Verum de hisce rebus nunc disputari non licet, verba ipsa Callimachi spectemus oportet. In quibus primum *ὅπως* observatione dignum est. Quod sensu temporali pro *ὡς* adhibitum (ut *ὁππότε* — cf. vs. 54 — pro *ὅτε* *A.* 399) invenit

---

[1]) Cf. Schol. *o.* 189 et *hymn. hom. in Nept* (XXI. Gemoll. vs. 4).
[2]) Cf. Immerwahr. *Arkad. Kult.* etc. p. 40 sqq.

in codicibus suis *A.* 459; *M.* 208; *γ.* 373; *χ.* 21, quibus locis hodie nonnulli editores *ἐπεὶ* (cf. Eustath. ad *γ.* 373) reponunt, *ὅπως* „ad hiatum" (neglecto digammate ortum) „invectum" censentes. Cui opinioni minus fortasse favet Hesiodus *Theog.* 156 (*ὅπως τις πρῶτα γένοιτο*) ubi nullo hiatu cogente idem *ὅπως* temporali sensu adhibetur. Et mihi quidem eis locis Homeri quos enumeravi *ὅπως* (= *ὡς*: ubi, simulac) melius quam *ἐπεὶ* convenire videtur. Callimachum autem haud improbabile est eo quoque loco quem hic imitatur, *κ.* 219, legisse in exemplaribus suis

τοὶ δ' ἔδδεισαν ὅπως ἴδον αἰνὰ πέλωρα,

licet nunc summa concordia codices *ἐπεὶ* praebeant.

Forma *πρηόσιν* ab epico dialecto aliena est, quae *πρὼν* et *πρώονες* tantum agnoscit (in *Scuto Herculis* vs. 437 *πρηῶνος* occurrit). Et cum Attici quoque poetae adhibere soleant *πρὼν* et *πρῶνες*, non sine consilio nova usus esse forma poeta censendus est, quem secuti sunt aequales et posteri (Nicand. *Alex.* 104; Anth. Pal. VII. 214). Etymologiae vocis fortasse consuluit; non enim suffragaturus erat opinioni quam servavit Apollonius *Lex.* 136. 30 „*ὄρους ἐξοχὴ ἀπὸ τοῦ προῶσθαι*", at cum adiectivo *πρηνὴς* cohaerere fortasse vocem iudicabat, cuius derivationis restant quoque vestigia apud Herodianum (*περὶ παθῶν* Lentz II. 363. 30). — Verum quare Siculos Cyclopes *πρηόσιν Ὀσσαλοισιν*" comparavit? Causam frustra quaeres; parum apta sane comparatio, nisi forte cum Oeto atque Ephialte Cyclopes confudit doctus poeta. Mihi vero in lectionum discrepantia (nam *ὀσσείῃσιν* traditur et *ὀσσείοισιν*, *Ὀσσαίοισιν* Meinekio debetur) subnascitur suspicio scripsisse poetam *πρηόσιν οὐρείοισιν* (cf. *Soph. Trach.* 788).

φάεα illa *μουνόγληνα* quibus vs. 53 illustrat noster versum hesiodeum *Theog.* 143

μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ,

frustra contra Cobeti irrisionem defendere conatus est Schneiderus. Et profecto ita insulse dictum est ut eam absurditatem superari posse negares nisi statim post oculus ille compararetur cum scuto „*τετραβοείῳ*" cui comparationi facile quivis palmam concedet ineptiae. Quae igitur causa ad talia Callimachum induxit? Clipeo illo quadruplici imitari opinor voluit eorum epithetorum usum homericum quae hodie „ornantia" dicuntur; at cum *φάεα μουνόγληνα* diceret, tragicorum *σπείρας πολυπλόκους, ἀχὰν πολύστονον, πύλας ἑπταστόμους* aemulari sibi videbatur, ipsum autem adiectivum, quod Lycophroni debuit, qui vs. 659 rectius sane „*μονογλήνου στέγας χάρωνος*" memoravit, eo consilio arripuit ut vocis *γλήνη* indicaret etymologiam. *φάεα*

enim *μουνογλήνα δεινὸν ὑπογλαύσσοντα* dixit („lumina ex unica pupilla horride spectantia") ut indicaret *γλήνην*, quod teste Schol. BL in Ξ. 494 nonnulli derivabant *παρὰ τὸ αἰγλήεσσαν εἶναι*, melius dervari a stirpe verbi *γλαύσσειν* (cf. Schol. in Apollon. Rhod. 1280). Ceterum neque omittendum est *φάεα* longa antepenultima secundum usum homericum (*π.* 15; *ρ.* 39; *τ.* 414) adhibuisse nostrum, et correxisse quodammodo Callimachum verba Homeri. Qui cum de Cyclope locutus *ι.* 389 „*ὀφρύας εὖσεν ἀυτμὴ γλήνης καιομένης*" minus accurate plurali numero usus esse videretur, de unico supercilio singularem noster adhibuit numerum! Postremo verbis „*πουλύ τ' ἄημα φυσάων*" alludi ad Vulcani officinas quas Homerus descripsit libro *Σ* ubi sunt *φῦσαι* „*παντοίην εὔπρηστον ἀυτμὴν ἐξανιεῖσαι*" (vs. 470) vix est quod moneam.

Vs. 56.

αὖε γὰρ Αἴτνη,
αὖε δὲ Τρινακίη, Σικανῶν ἕδος, αὖε δὲ γείτων
Ἰταλίη, μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἀύτει,
εὖθ' οἵ γε ῥαιστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων
60 *ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν ἠὲ σίδηρον*
ἀμβολαδὶς τετύποντες ἐπὶ μέγα μοχθήσειαν.

Iterati, ut in his versibus, verbi semper amator (cf. vs. 44) nunc quidem habebat quem sequeretur: imitatus enim est nobilissimos versus ex Theomachia (*Υ.* 48)

αὖε δ' Ἀθήνη
στᾶσ' ὀτὲ μὲν παρὰ τάφρον ὀρυκτὴν τείχεος ἐκτὸς,
ἄλλοτ' ἐπ' ἀκτάων ἐριδούπων μακρὸν ἀύτει,
αὖε δ' Ἄρης ἐτέρωθεν,

et hic quidem culpa vacat, qua turpiter peccavit II. 102 a praesenti forma *ἀυτεῖν* aoristum fingens plane novum „*ἐπηύτησε δὲ λαός.*" Ceterum ut assolet imitationi interpretationem addit; nam secutus eos versus quos exscripsi simul tamen indicat verbum *αὔειν* alium quoque sensum apud Homerum obtinere quam *vocandi*. *Resonandi* enim ei vim tribuit haud immemor versus *N.* 441

δὴ τότε γ' αὖον ἄυσεν ἐρεικόμενος περὶ δουρί.

Saepissime Homerus huic verbo adiecit *μέγα μακρὸν* talia. Quod autem noster substantivum addit (*βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἀύτει*) id tragicis debuit qui ea adamant veluti Euripides *Hecub.* 1092 *βοὰν βοὰν ἀυτῶ* (cf. *Ion.* 1146).

Sequitur versu 61 *ἀμφιμάχητον* illud *ἀμβολαδὶς τετύποντες* de quo adverbio multa dixerunt multi. Duas adhibuit formas Homerus: *ἀμβλήδην X.* 476

ἀμβλήδην γοόωσα μετὰ Τρῳῇσιν ἔειπεν

et ἀμβολάδην Φ. 364

ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον, ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
κνίσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο,
πάντοθεν ἀμβολάδην,

tertiam formam adiecit noster. Verumenimvero non hoc solum memorabile. Contendunt nonnulli Callimachum id ἀμβολάδην homericum interpretatum esse quasi esset ἐκ διαδοχῆς, idque solum nostro versui convenire et in homericis quoque locis (quibus addas *hymn. Merc.* 425) eam solam interpretationem valere. Multis hanc opinionem, quam olim Spanhemius copiose illustravit, firmare conatus est de Ian. p. 15 sqq. orsus ex interpretatione Etym. Magn. „ἢ ἐξ ὑποβολῆς". Multum tamen abest ut mihi persuaserit vir doctus eodem redire ἀναβλήδην et ἐξ ὑποβολῆς, atque quae offendit eum ταὐτολογία si vulgato sensu interpretemur ἀμβολαδὶς, eam equidem non video. Cyclopes enim malleos super humeros tollunt, *brachiisque alte elatis* ferrum feriunt: ἀναβαλόντες τοὺς ῥαιστῆρας τύπτουσι, ἀναβάλλειν autem ῥαιστῆρα plus est quam ἀείρειν. Ceterum ut hoc loco imitatio Vergiliana (VIII. 453 *illi inter sese multa vi bracchia tollunt in numerum*) inducere lectorem possit ut Callimachum ita quoque vocem ἀμβολαδὶς accipere opinetur, minime favet huic opinioni quod Aratus, quem haud semel noster in usu vocabulorum respicit, scripsit vs. 1070

ὁππότ' ἀναστρωφῶσιν ὀχῆς, τὰ δέ γ' ἄρσεσι πάντα
δεξάμεναι πάλιν αὖτις ἀναβλήδην ὀχέωνται,

ibi enim interpretatio ἐκ διαδοχῆς subridicula foret.

Vs. 62. τῷ σφέας οὐκ ἐτάλασσαν ἀκηδέες Ὠκεανῖναι
οὔτ' ἄντην ἰδέειν οὔτε κτύπον οὖασι δέχθαι·
οὐ νέμεσις· κείνους γε καὶ αἱ μάλα μηκέτι τυτθαὶ
οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες.

Verbo primum indicandae imitationes homericae, quarum priores indicia sunt eius artis qua delectari nostrum saepe iam vidimus, qui versu quodam Homeri usus, saepe ex alio eiusdem poetae loco admiscet formam sive vocem memorabilem. Ita cum legeret *T.* 14 „οὐδέ τις ἔτλη | ἄντην εἰσιδέειν, versum quidem imitatus est sed pro magis solito ἔτλη legi meminerat *P.* 166

ἀλλὰ σύ γ' Αἴαντος μεγαλήτορος οὐκ ἐτάλασσας
στήμεναι ἄντα,

paululum itaque immutavit versum quem sequebatur, scripsitque οὐκ

ἐτάλασσαν ... ἄντην ἰδέειν. Altera vero imitatio ex iis est quae sonorum tantum similitudine audientibus exemplum homericum in mentem revocant. Numeris enim prorsus convenit callimacheum „οὔτε κτύπον οὔασι δέχθαι", homerico „ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει" (*K.* 535).

ἀκηδέες autem significatione nonnihil aberrat ab homerica dictione, non enim ἄλυπος nostro loco significat verum ἄφοβος. Adductum esse dixerim Callimachum, qui bene nosset quid κῆδος et κήδειν significarent (cf. III. 231; fragm. 536) ad usum vocis minus solitum aut versu *Φ.* 123 „αἶμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες" ubi nonnulli vocem interpretabantur „*securi*", aut, quod multo probabilius mihi videtur notissimis versibus *Ω.* 526

„ὣς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
ζωέμεν ἀχνυμένους, αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί·

ubi ἀκηδὴς oppositum esse τῷ δειλοῖσι arbitrabatur et non solum cura vacuos sed metu quoque liberos indicare, quam opinionem quodammodo firmare poterat hesiodeis verbis de Iove *Theog.* 489 „ἀνίκητος καὶ ἀκηδής".

οὐ νέμεσις (quod dubito num recte Cobetus contenderit perperam pro οὐ θαῦμα adhibitum esse) nisi cum infinitivo coniunctum in homericis non occurrit. Leve autem hoc est, haud semel enim ita quasi in parenthesi adhibuit Homerus „νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη" (*Γ.* 410 et al.) neque inter νέμεσις et νεμεσητὸν quidquam distat. Ipsum substantivum nullo adiecto infinitivo primus adhibuit Sophocles *Oed. Col.* 1750. — Insolita autem ratione et ordine inverso primum intuenti videbitur dictum „αἱ μάλα μηκέτι τυτθαί". Neque tamen haec longe recedere ab epica dictione poeta putabat: μάλ' οὐ enim satis notum erat (cf. supra p. 30 et Hom. *B.* 241) at ulterius progressum esse Homerum profecto iudicabat Callimachus, neque dubitasse videtur quin ε. 108 „ὅττι μάλ' οὔπως ἔστι κ. τ. λ". uno verbo scribendum esset οὔπως quod hodie separatim recte edi solet. Praeiit in hac re Lycophro qui 766 „οὔπω μαλ' οὔπω" scribere non veritus erat.

Postremo loco moneam formam femininam τυτθαὶ a Callimacho usurpatam cum tamen veteres critici non omisissent notare eas formas (cf. Ariston. ad *Σ.* 222 culpantem Zenodotum propter ὄπα χαλκείην), in quibus Homerus masculino pro feminino usus esset. Res documento fortasse erit Callimachum quoque iam censuisse non nisi ob metricas rationes Homero placuisse τυτθὸν ἑοῦσαν *X.* 480. — ἀφρικτὶ tandem non Homero debet at optime convenit homericae dictioni ut ἀνουνητὶ ἀνιδρωτὶ ἀμογητί, cf. supra pag. 54.

Vs. 66. ἀλλ' ὅτε κουράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχει [1])
μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἐῇ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ,
Ἄργην ἢ Στερόπην· ὃ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο
ἔρχεται Ἑρμείης, σποδιῇ κεχριμένος αἰθῇ.
70 αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται, ἣ δὲ τεκούσης
δύνει ἔσω κόλπους θεμένη ἐπὶ φάεσι χεῖρας.

Quotiescumque Callimachus a tradita mythologia discedit, dictionis quoque homericae minus accurate leges servat. Quod idem fit in hac fabella, quam utrum alii debeat an ipse Olympiorum gravitate vix dignam invenerit non diiudicabimus. Nulli profecto deo magis quam Mercurio, deo ab origine semper iocoso, partes conveniunt quas tribuit ei poeta, exemplo sumpto ex aequalium vita, qui minatione „Γοργὼ, δάκνει ἵππος" infantibus terrorem inicientes Lamias Gorgones Empusas Ephialtas fingebant. Rem vero haud per se invenustam neque sine omni gratia enarratam exponit verbis quae saepius offendunt. Nam ἀπειθέα τεύχειν, quod variis coniecturis viri docti frustra tentarunt, haud sane elegans homericorum est imitatio (ἄλγεα κήδεα δαίδαλα τεύχειν vel quod magis simile est κ. 118 βοὴν τεύχειν); ad eam autem dictionem propius forsitan quam Homerus accedat Hesiodus *Opp.* 265

οἵ γ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Insequenti versu καλιστρεῖν novicium videtur quamquam ipsa formatio cum homerica dictione non pugnat; fictum enim est ex verbo καλίζομαι eadem ratione qua dictum est Σ. 543 ζεύγεα... ἐλάστρεον et μ. 124 (quem versum nondum a Callimacho, ut postea ab Aristarcho, damnatum putaverim)

„ἀλλὰ μάλα σφοδρῶς ἐλάαν, βωστρεῖν δὲ Κράταιιν".

Tum in superlativi forma δώματος ἐκ μυχάτοιο non tenuit locum unicum φ. 146 ubi μυχοίτατος ab Homero adhibitum. Dubitarunt vero de hac forma ipsi grammatici ut testatur varia lectio μυχαίτατος quod Atticorum fuisse videtur; μύχατος autem num ante Alexandrinorum aetatem dixerint Graeci dubium, nam Eur. *Hel.* 189 μύχατα γύαλα Canteri correctioni debetur incertissimae; post Callimachum Alexandrini receperunt ut Apollonius Rhodius II. 398 μυχάτῃ κεν ἐνιχρίμψητε θαλάσσῃ.

Ἑρμείης igitur (qui constanter ab Homero vocatus erat Ἑρμείας)

[1]) Non audiendus est Schneiderus qui lectionem τεύχοι commendat coll. III. 17, 30; quorum locorum alia est ratio.

prodit „σποδιῇ κεχριμένος αἰθῇ". χρίειν autem non nisi de liquidis dicitur in antiquis epicis (ἀμβροσίῃ, λίπ' ἐλαίῳ), neque homericum est adiectivum αἰθός. Nigrum indicare apud nostrum apparet, nam aperte spectat Homeri versum Od. ε. 488 δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ. Non temere itaque suspiceris idem de voce αἶθοψ sensisse Callimachum quod refert Hesychius et Etym. Magn. *i. v.*: „αἶθοπα οἶνον τὸν μέλανα" neque igitur ei deberi interpretationem quam ad versum κ. 152 (αἶθοπα κάπνὸν) Aristarcho, sive merito sive immerito tribuunt Scholia: „τὸν ἐκ τοῦ αἴθεσθαι ὅ ἐστι καίεσθαι ἀναδιδόμενον".

Vss. 69 et 70 ipsa Homeri imitatione obscuriores fiunt. Nam cum simul alludat poeta ad Θ. 271 (αὖτις ἰὼν, πάις ὣς ὑπὸ μητέρα, δύσκε) et Z. 467 (ἄψ δ' ὁ πάις πρὸς κόλπον ἐυζώνοιο τιθήνης ἔκλινθη, de Astyanacte qui ut infans bracchiis fertur a nutrice) mire conturbatur imago. — De verbo μορμύσσεσθαι pro vulgato μορμολύττεσθαι iam dixerunt Cobetus (ll. p. 422) et Schneiderus p. 216.

Vs. 72. κοῦρα σὺ δὲ προτέρω περ, ἔτι τριέτηρος ἐοῦσα,
εὖτ' ἔμολεν Λητώ σε μετ' ἀγκαλίδεσσι φέρουσα,
Ἡφαίστου καλέοντος, ὅπως ὀπτήρια δοίη,
75 Βρόντεώ σε στιβαροῖσιν ἐφεσσαμένου γονάτεσσι,
στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης,
ὤλοψας δὲ βίηφι· τὸ δ' ἄτριχον εἰσέτι καὶ νῦν
μεσσάτιον στέρνοιο μένει μέρος, ὡς ὅτε κόρσῃ
φωτὸς ἐνιδρυθεῖσα κόμην ἀπενείματ' ἀλώπηξ.

Caute in hisce agendum est, neque quidquid novicium videtur Callimachi unius studio novandi tribuendum, quoniam admodum dubium est num poeta qui glorietur, se ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδειν, ipse traditam sacratamque mythologiam violans de suo causam fingere ausus sit, unde orta esset depilis pars et tamquam alopecia adesa in Cyclopum pectoribus. Quam historiam unde hauserit poeta in obscuro, videntur autem plurimas ex eo fonte ei venisse dictiones quae a sermone homerico prorsus sint alieni. Ita adverbium πρότερω praeteritum indicat tempus, quamquam Homerus id numquam cum πρότερον commutaverat neque de praeteritis dixerat, verum plerumque τοπικῶς adhibuerat, semel atque iterum ita ut futura spectare dicas (ξ. 356; ω. 475), quibus locis fretus II. 864 Apollonius scripsit

καί νύ κ' ἔτι προτέρω τετιημένοι ἰσχανόωντο.

Ita ὀπτήρια tam re quam verbo Homero incognita. Rem memorat Aeschylus *Eum.* 7 ubi vocat γενέθλιον δόσιν ad quem locum Schol.

„ἀντὶ τῶν ὀπτηρίων"; ceterum in vita Graecorum γενέθλιαι illae δόσεις satis notae (cf. BLÜMNER *Privatalt.* p. 282. 7). Tum χαίτη de crinibus qui sunt in pectore, vellicandi verbum ὀλόπτειν admodum insolitum, ἄτριχον quod magis tragoediam sonat quam Homerum, denique totus versus 79 manifeste alium fontem indicant quam quos solet adire noster. Verum ne hic quidem Homerum prorsus neglegit; repetit enim vs. 73 Poetae verba Σ. 555

παῖδες δραγμεύοντες ἐν ἀγκαλίδεσσι φέροντες,

et ipsa huius loci memoria statim post movet eum ut de Diana dicat „λασίης ἑδράξαο χαίτης", quibus verbis occasione oblata lectorem de vero sensu verbi δραγμεύειν substantivique δράγμα (Σ. 552) edoceat, simul erudite in memoriam vocet verba notissima κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης (*Π.* 486; *N.* 393).

λάσιος autem alio sensu adhibuerunt Callimachus Apollonius Theocritus quam Homerus atque antiqui. Nam cum constanter Homerus ipsum pectus corpusve dixisset λάσιον, *hirsutum*, veluti στῆθος, γαστέρα, ὄιν, solent seriores ipsam χαίτην ipsam ὀφρὺν dicere λάσιον [1]).

Denique aliquid aut ipse novasse aut ab alio novatum in epicam suam dictionem libenter accepisse Callimachus videtur cum diceret vs. 77 „εἰσέτι καὶ νῦν". Egit accuratissime de hac voce Schneiderus ad IV. 189 „τὸν εἰσέτι γαστέρι μάντιν" et maxima copia exemplorum docuit in Alexandrinorum poesi mox plane nihil interesse inter ἔτι et εἰσέτι. Originem autem huius usus noster locus luculentissime ostendit; hic enim εἰσέτι καὶ νῦν idem valet atque ἕως τοῦ νῦν. Quae dictio formata est ex analogia τοῦ „ἐξέτι". Videbatur enim grammaticis Alexandrinis uno verbo in homericis scribendum esse *I.* 106. Quem locum spectat noster II. 47 (cf. Apollon. Rhod. IV. 791; II. 782 IV. 430, collato hymn. hom. *in Merc.* 508). [2]).

Vs. 80. τῷ μάλα Θαρσαλέη σφε τάδε προσελέξαο τῆμος·
„Κύκλωπες κάμοί τι Κυδώνιον εἰ δ' ἄγε τόξον
ἠδ' ἰοὺς κοίλην τε κατακληῖδα βελέμνων
τεύξατε· καὶ γὰρ ἐγὼ Λητωιὰς ὥσπερ Ἀπόλλων.

[1]) Ipse vero versus documento est nostrum non fecisse cum iis qui *A.* 189 λάσιον (στήθεσσιν λασίοισι) metaphorice πυκνὸν συνετὸν interpretarentur, (vid. Schol. *A.* 189), ceterum cf. ad hymn. III. vs. 192. De vocis χαίτη usu callimacheo plura dicentur infra ad IV. 81.

[2]) Cf. de vocis ἐξέτι usu infra ad II. 47.

αἰ δέ κ' ἐγὼ τόξοις μονιὸν δάκος ἢ τι πέλωρον
θηρίον ἀγρεύσω, τὸ δέ κεν Κύκλωπες ἔδοιεν."

Hesiodea et Hymnorum verba nunc una cum homericis in epicam suam dictionem accipit, miscetque inter se. Ita vs. 80 *προσλέξασθαι* homericum non est, at occurrit in Hesiodi *Opp.* 499 „*κακὰ προσελέξατο θυμῷ*", cuius versus numeri et sonus ipse verborum arguunt exemplum inde sumsisse Callimachum; ipse autem Operum poeta iam finxerat eum versum ex *Λ.* 407 „*ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός;*" summam enim curam adhibent poetae ut tales imitationes non lateant sed statim pateflant, ideo plerumque in eadem versus sede collocant verba, quam apud antiquum poetam obtinuerunt [1]). Ita, cum Hesiodus in eo quem citavi versu brevem syllabam litteris $\overline{\pi\varrho}$ productam in arsi posuisset *κακά*, sedulo dedit operam Callimachus ut ipse quoque „*τάδε*" scriberet; ita cum semel tantum mulierem dixit Homerus *θαρσαλέην*: τ. 91 „*πάντως θαρσαλέη*", posuitque vocem in arsi secunda, idem observavit noster vs. 80; ita cum Homerus semper *βέλεμνα* in ultima sede versus posuit et *κληῖδα, κληῖδι* sic plerumque ut *η* in thesi quarta collocatum esset, $\overline{\kappa\lambda}$ autem antecedentem vocalem producerent, utrumque secutus noster „*κατᾱκληῖδα βελέμνων*" scripsit, quamquam non Homero verum tragicis, fortasse Aeschylo, qui *Pers.* 1023 pharetram *θησαυρὸν βελέεσσιν* vocaverat, ipsam locutionem debet. In tanta autem fide imitandi cavendum nobis videtur ne ultro obtrudamus Callimacho formas quae cum Homeri consuetudine pugnent. Quare potius cum Blomfieldio audiamus antiquum correctorem qui in cod. L ad vs. 81 adscripsit in margine *κἀμοὶ* quam accipiamus Meinekii correctionem *κἠμοί*. Licet enim Callimachus latius patuisse craseos usum in homericis putaverit quam nobis hodie probatur, vindicaveritque formas quales sunt *ὦνα, τὠπόλλωνος*, de quibus dixi pag. 18, crasin *κἠγὼ, κἠμὲ* in epigrammatis Dorice conscriptis recte adhibuit, at epigr. 24 scripsit *κἀμέ*. Nec igitur satis emendatio Meinekii fulciri videtur epigr. 12 *κἠπέμυσε*, fr. 128 autem *κἠγὼ* correctioni debetur. — Ceterum quamquam et versus 85 offert nobis homerici versus frustulum quod poetae satis importune in mentem occurrerat *X.* 42 (cf. *Σ.* 271) *τάχα κέν ἑ κύνες καὶ γύπες ἔδοιεν*, placuit ei tamen adhibere verbum minus homericum *ἀγρεύω* ut III. 218 *ἀγρευτῆρες*, quae voces tragicorum sunt pro epico *θήρη θηρεύω* cett. [2]) simulque docte

---

[1]) De vocis *τῆμος* usu callimacheo cf. ad IV. 106.
[2]) *ἄγρη* occurrit IV. 229, de quo loco infra vide.

adhibuit vocabulum δάκος a dictione homerica alienum, at Aeschylo acceptissimum, qui *Sept.* 558 „θηρὸς ἐχθίστου δάκους", *Prom.* 582 „ποντίοις δάκεσι" dixit et *Ag.* 824 equum troianum Ἀργεῖον δάκος vocavit, idem, ad quod propius noster accedit, *Choeph.* 530 draconteм quem peperisse et fasciis involvisse Clytaemestra sibi videbatur „νεογενὲς δάκος" appellavit. Illustravit Callimachus vocabulum insolitum, (quod Lycophro quoque, unus omnium maximus absconditorum captator adhibuerat vs. 765 de Cyclope τοῦ τυφλωθέντος δάκους) adiectivo μονιός. Id autem, de iis animalibus dictum, quae Aristoteles *hist. an.* I. 1 μονωτικὰ vocavit, opposuitque τοῖς ἀγελαίοις, fortasse, quoniam poeticum colorem vix prae se fert, ex aequalium sermone sumsisse poeta putandus est. In versione enim LXX virorum, quae Alexandrinorum dictionibus plena est, illud vocabulum adhibitum videmus Ps. 79. 14 „μονιὸς ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν". Ornatius Aratus vs. 1124 dixit „λύκος ὁππότε μακρὰ μονόλυκος ὠρύηται, quem imitatus Leonidas (Anth. VI. 221. 3) vocabulum μονολέων finxit.

Vs. 86. ἔννεπες· οἳ δ' ἐτέλεσσαν. ἄφαρ δ' ὡπλίσσαο δαῖμον·
αἶψα δ' ἐπὶ σκύλακας πάλιν ἤιες, ἵκεο δ' αὖλιν
Ἀρκαδικὴν ἔπι Πανός· ὃ δὲ κρέα λυγκὸς ἔταμνε
Μαιναλίης, ἵνα οἱ τοκάδες κύνες εἶδαρ ἔδοιεν.

A Cyclopibus cum Diana iter convertit in Panis antrum, ipse quoque poeta cum in eo est ut Arcadiae res quam maxime sibi notas cantet a dictione quam secutus erat paulisper deflectit.

Adparent rarae quidem imitationes homericae ut vs. 90 ubi eius memoriae obversatur ι. 84 „οἳ ἄνθινον εἶδαρ ἔδουσιν", at plerumque iam alios fontes adit. Pauca tamen monenda sunt de vocibus ἔννεπες et πάλιν. Occurrunt in callimacheis formae ἔννεπες, ἔννεπε, ἔνεπεν, ἐνίσποι, in formis verbi itaque non peccat contra usum homericum. Videtur autem noster, neque id mirum est, eandem de hoc verbo tulisse sententiam quam postea professus est Apollonius (Synt. IV. 7. 327) „ἔπω καὶ ἐνέπω οὐ διαφορά". Fragm. enim 104

τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραῖκος, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας,

eodem redit ἐνίσποι ac si εἴποι dixisset. Verumtamen quamquam ab eadem stirpe ducebat τὸ εἰπεῖν et τὸ ἐννέπειν, maiorem tamen vim huic verbo quam illi inesse ducebat; duobis enim reliquis locis quibus adhibuit (nam de fr. anon. 55 nihil constat) iubendi fere sensum

occupat. Plane enim ut nostro loco „ἔννεπες· οἳ δ' ἐτέλεσσαν" habes III. 158 „βάλλ' ἐπὶ καὶ τούς· ὣς ἔνεπεν" (cf. quoque IV. 205). — In qua re tragicorum exemplum secutus est Callimachus, veluti Sophoclis, qui *El.* 1367

σφῷν δ' ἐννέπω 'γὼ τοῖν παρεστώτοιν ὅτι
νῦν καῖρος ἕρδειν.

Saepius vero ἀπεννέπειν sensu vetandi pro homerico ἀποειπεῖν usurparunt.

πάλιν autem, quod apud Homerum numquam *rursus*, semper et ubique *retro* significare haud uno loco monuit Aristarchus (cf. Lehrs *Arist.* p. 100) vario sensu a Callimacho dicitur. *Retro* significat IV. 320 „πάλιν αὖτις ἔβησαν" (cf. VI. 141) saepius *rursus* ut V. 87 „οὐκ ἀέλιον πάλιν ὄψεαι", *ibid.* 97 „μετὰ πάντα βαλεῦ πάλιν", item Ep. 31; 42; 53. Deinde, et nostro loco et Epigr. 41 „ἱρείη Δήμητρος ἐγώ ποτε, καὶ πάλιν Καβείρων", novam simpliciter actionem quae in rerum ordine sequitur indicat et fere homerico αὐτὰρ ἔπειτα respondet.

Ad Panis sedes cum se confert dea venatrix dicitur venisse „Ἀρκαδικὴν ἐπὶ Πανὸς αὔλιν", quibus verbis poeta, Arcadicarum rerum peritissimus indicavisse mihi videtur locum de quo Aelianus *H. A.* XI. 6 „ἐν Ἀρκαδίᾳ δὲ χώρᾳ ἐστὶν ἱερὸν Πανός· Αὐλὴ τῷ χώρῳ τὸ ὄνομα" quae verba spectare putaverim Panis sacrum in Lycaeo monte de quo Pausanias VIII. 38. 5 agit. In ipso vero deo celebrando habuit noster quem aemularetur non ipsum Homerum, attamen homericum poetam, auctorem hymni XVIII (Gem.) quem aliquanto antiquiorem esse quam Callimachum dictio ipsa ni fallor indicat. Illum hymnum respiciens non tam religiose observat, ut Homerum ipsum solet sequi, at ita tamen imitatur ut in memoria eius versari hymnum statim videas. Ut mittam leviora veluti formam Ἑρμείης pro Ἑρμείας (h. XVIII. 28) nonne lyncis mentio ibidem 23 (λαῖφος δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινὸν λυγκὸς ἔχει) incitavit nostrum ut Pana lyncis carnes dissecantem faceret? Nonne deum quem hymni poeta ἠυγένειον vs. 39 dixit Callimachus γενειήτην vs. 90 vocavit? Unde autem τοκάδες illae canes? Nam quod canes dedit deo, quem ipsum Pindarus κύνα παντοδαπὸν θεῶν vocaverat, aetatis suae mythologiae quam maxime convenit; iam tum enim Πανὶ κύων προσφιλὲς διὰ τὰ αἰπόλια (Plut. *Q. Rom.* 68): at quorsum τοκάδες? In tali tantaque librorum eruditione qualis erat Alexandrinis poetis communis, prae ceteris vero Callimacho propria, nihil non credendum; ideo quamvis levis sit suspicio, non

reticeam Callimachum fortasse iam cognitum fuisse venustissimum epigramma in Pana, quod Platoni, haud indigne, tribuitur (Anth. Pal. IX. 823), in quo caprae memorantur τοκάδες:

Σιγάτω λάσιον δρυάδων λέπας, οἵ τ' ἀπὸ πέτρας
κρουνοὶ καὶ βληχὴ πουλυμιγὴς τοκάδων.

Vs. 90. *τὶν δ' ὁ γενειήτης δύο μὲν κύνας ἥμισυ πηγοὺς*
τρεῖς δὲ παρουαίους, ἕνα δ' αἰόλον, οἵ ῥα λέοντας
αὐτοὺς αὖ ἐρύοντες ὅτε δράξαιντο δεράων
εἶλκον ἔτι ζώοντας ἐπ' αὐλίον, ἕπτα δ' ἔδωκε
θάσσονας αὐράων Κυνοσουρίδας, αἵ ῥα διῶξαι
95 *ὤκισται νεβρούς τε καὶ οὐ μύοντα λαγωὸν,*
καὶ κοίτην ἐλάφοιο καὶ ὕστριχος ἔνθα καλιαὶ
σημῆναι καὶ ζορκὸς ἐπ' ἴχνιον ἡγήσασθαι.

Alienam ab epica dictione formam dativi τὶν et hic adhibuit Callimachus et Epigr. 35 et 36. Contra formam in homericis obviam τεῖν semel adhibet in hymno V (vs. 37), Dorice conscripto. Censuisse igitur videtur noster, qui in ceteris pronominis formis diligenter Homeri consuetudines (quae tum quidem videbantur) servat, in dativo aequo iure epicam dialectum τὶν (ex quo fortasse natum esse τεῖν putabat) ferre atque tertiae personae dativum ἴν quae forma legebatur in hesiodeis (cf. fr. 29 Kink. ἴν δ' αὐτῷ θανάτου ταμίης). Ortam enim ex forma τεῖν formam tertiae personae postea quoque Apollonius Dyscolus iudicavit qui (*Pron.* 106 A.) dicit: „τῇ τὶν σύζυγος ἡ ἴν, τοῦ τ̄ ἀρθέντος", postquam praecedentibus verbis ita exposuit de forma τεῖν ut ex forma τὶν μετ' ἐπενθέσεως τοῦ ε̄ natam esse contenderet.

De canibus ἥμισυ πηγοῖς in diversas partes abeuntes tanta disseruerunt viri docti ut referre varias opiniones chartae parcenti difficile sit. Quare (nam in manibus omnium sunt editiones Ernestiana Schneiderianaque) brevissime meum exponam iudicium. Adiectivo πηγὸς adhiberi a Callimacho ut Homerum interpretetur omnes consentiunt. Neque quin colorem eo vocabulo indicare voluerit poeta dubitatur, postquam semel adduxit Spanhemius locum Xenophontis (*Ven.* IV. 7) „τὰ δὲ χρώματα οὐ χρὴ εἶναι τῶν κυνῶν οὔτε πυρρὰ οὔτε λευκὰ παντελῶς" quem eo maiore iure hic afferas, quoniam haud semel hymnus in Dianam arguit librum de Venatione sedulo lectum habuisse Callimachum et diligenter consultatum. Cum vero voce παρουαίους subrufos indicet canes (id quod recte demonstravit Schneiderus), αἰόλοι autem vario colore maculosi

sint [1]), suspicamur cum Scheerio (p. 15) πηγὸν explicasse Callimachum μέλανα. Nobis igitur ἥμισυ πηγοί isti sunt canes qui non toto corpore nigri sunt, verum in corpore nigro maculas habent albas cf. Xen. *l. l.* IV. 8 „αἱ μὲν οὖν πυρραὶ ἔχουσαι ἔστωσαν λευκὴν τρίχα ἐπανθοῦσαν περὶ τὰ πρόσωπα καὶ αἱ μέλαιναι" κ. τ. λ. Neque igitur in hac re adsensus esse videtur Lycophroni qui vs. 335 *Priami* crines indicans dixerat

ὃ δ' ἀμφὶ τύμβῳ τἀγαμέμνονος δαμεὶς
κρηπῖδα πηγῷ νέρθε καλλύνει πλοκῷ,

neque eam accepisse interpretationem, quae latet in Stratonis *Phoenicide*, (Athen. I p. 382 C.) ubi cum doctissimus ille coquus πηγὸς per ἅλες interpretatur et *album* colorem significari dixeris et simul Philetae interpretationem rideri suspiceris cuius glossae in ipso illo fragmento memorantur. Itaque et *I.* 124; 126 ἵππους πηγοὺς et *Γ.* 197 πηγεσίμαλλος et ε. 388 κύματι πηγῷ eodem modo *nigrum* interpretatum esse nostrum libenter assentior Ianio (p. 15).

αὖ ἔρυον vs. 92 separatim, siqua fides est codicibus, scripsit noster, tribuitque voci αὖ significationem τοῦ εἰς τοὐπίσω (Schol. AD ad *A.* 459: εἰς τοὐπίσω ἀνέκλων τὸν τράχηλον — vid. L. Meier *Vgl. Gr.* I p. 599) quae Aristarchi quoque fuit interpretatio (Ariston. ad *B.* 422). — Et licet metro fortasse coactus tragicorum formam δεράων posuerit ubi epica dictio postulabat δειράων, Homeri tamen non immemor canes [2]) dixit Θάσσονας αὐράων de equis cogitans quos ille *N.* 819 (in eadem versus sede) dixerat Θάσσονας ἱρήκων. Sic λαγωὸν dicens leporem ex more epico sedulo observavit Homerum eodem versus loco id nomen posuisse *X.* 310 ἢ πτῶκα λαγωόν (cf. ρ. 295). Verbis igitur homericis usus in ipsa tamen re spectavit Xenophontis cynegeticum cuius doctrinam quodammodo corrigere profecto volebat rectius leporem οὐ μύοντα dicens de quo Xenophon enarraverat (*Ven.* V. 11) „καὶ ὅταν μὲν ἐγρηγόρῃ καταμύει τὰ βλέφαρα, ὅταν δὲ καθεύδῃ τὰ μὲν βλέφαρα ἀναπέπταται ἀκίνητα, οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ ἀτρέμας ἔχουσιν".

Levitatis erit in tanta fontium varietate statuere quo consilio

---

[1]) αἰόλος tum colorem cum agilitatem significare opinatus est Callimachus: ut nostro loco ita fr. 155, contra fr. 438 αἰόλος ὄφις *agilis* est (cf. Schol. ad *M.* 208.)

[2]) Fateor satis mirum mihi videri, quod addidit deae canes Cynosuridas. Cum vero (teste Paus. VIII. 37. 4) „ἐν τῷ τῆς Δεσποίνης ἱερῷ" quod erat Lycosurae, qua antiquior urbs non erat in Arcadia, Dianae Venatricis esset simulacrum, „παρὰ δὲ τὴν Ἄρτεμιν κατάκειται κύων οἷαι θηρεύειν εἰσὶν ἐπιτήδειοι", oritur suspicio, nostro quoque loco legendum esse Λυκοσουρίδας.

vs. 96 κοίτη dixerit, quae forma τ. 341 (hodie merito damnata) olim legebatur. Item β. 358 Vindobonensis quidem praebet femininam formam verumtamen non de ferarum cubili ibi dictum, quod εὐνὴν vocare solet Homerus. Fieri potest ut tragicis rariorem formam debeat, est certe in Euripidis *Ione* 154: λείπουσίν τε πτανοὶ Παρνασσοῦ κοίτας.

Καλιὰς certe ex Homero non noverat. Vox hesiodea est villas rusticas et horrea indicans (*Opp.* 305. 501 eodem versus loco). ζόρκα deinde τὴν δορκάδα dicens Arcadiam spectare carmen suum Arcadasque venatores non oblitus est. — Ἴχνιον autem audacter singulari quoque forma hoc loco formavit Callimachus cum ceteris locis ubi occurrit (II. 12; IV. 230) ἴχνος et ἴχνεσι adhibet, pluralis autem nominativo ἴχνια (IV. 19; VI. 9; Ep. 1; 33; 44; fr. 293) tam frequenter usus est ut satis certo constet eum quidem sine offensione in Homero suo legisse formam quam iam Herodianus monet (II. 84. 34) diminutivum non esse. Vitio natam formam ἴχνια merito damnarunt v. Leeuwen et Mendes da Costa ad *N.* 74 [1]).

Vs. 98. ἔνθεν ἀπερχομένη (μετὰ καὶ κύνες ἐσσεύοντο)
εὗρες ἐπὶ προμολῇς ὄρεος τοῦ Παρρασίοιο
100 σκαιρούσας ἐλάφους, μέγα τι χρέος, αἳ μὲν ἐπ' ὄχθαις [2])
αἰὲν ἐβουκολέοντο μελαμψήφιδος ἀναύρου,
μάσσονες ἢ ταῦροι· κεράων δ' ἀπελάμπετο χρυσός.

Mire in his versibus permixtas cum antiqua epica dictione et aequalium sermonem et eruditam aliorum poetarum memoriam quis non videt? Ad Homerum primum attendam cui debet σκαιρούσας ἐλάφους (κ. 412 de vitulis quae redeuntibus ad stabula matribus „πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι") et verbum ἐβουκολέοντο eo sensu, i. e. ἀκυρολόγως adhibitum de equabus quae Υ. 221 ἕλος κάτα βουκολέοντο. Observabant docte Alexandrini iam apud Homerum ita interdum illud verbum primam vim deponere ut de *bove* sermo nullus esset. Ulterius progressum esse Euripidem eius usus memorem non ignorabant. Is enim *Phoen.* 28 ἱπποβούκολος dicere ausus erat de qua re uberrimae sunt disputationes grammaticorum in scholiis ad eum locum. Innovavit autem aliquid Callimachus quoque cum dixit βουκολεῖσθαι cervarum gregem quamvis ab omni *pastore* liberam [3]).

---

[1]) De voce ἴχνος vide quoque ad IV. 230.

[2]) Vs. 99 pro τοῦ Valckenaerius coni. τότε. — Vs. 100 immerito e codicibus A B I Schneider ὄχθης reduxit.

[3]) Venuste idem verbum de stellarum choro adhibetur IV. 176.

Easdem cervas μάσσονας ἢ ταύρους dicens non, opinor, confudit noster μείζων et μάσσων, quae fuit Cobeti opinio, verum docere voluit eodem sensu utrumque adiectivum ab Homero usurpatum esse. Memor enim profecto fuit, nullo discrimine dici ζ. 230 μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα et θ. 20 καί μιν μακρότερον καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι. Nec minus recte eodem versu cervarum cornua memorans (nam cornutas cervas dixit, Pindari χρυσοκέρων ἔλαφον θήλειαν *Ol.* III. 29, Euripidisque χρυσοκάρανον δόρκα fortasse memoria tenens) passive dixit: „κεράων δ' ἀπελάμπετο χρυσός". De ea enim re quae splendorem effundit constanter Homerus ἀπολάμπειν (cf. Z. 295 ἀστὴρ δ' ὡς ἀπέλαμπε); cum nostro autem loco conferendus est Ξ. 183 χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή.

Verum cum homericis miscet recentiora. προμολή enim quod Apollonio post Callimachum in deliciis est, antiquis erat ignotum; ἄναυρος, quod nomen proprium erat, de quovis flumine Alexandrini demum adhibere adamarunt, praeeunte ni fallor Lycophrone vs. 1424

ἅπας δ' ἀναύρων νασμὸς αὐανθήσεται [1])

Tandem cum admodum inleganter ex usu vulgato cervas praedicasset μέγα τι χρέος, frustra sermonis vulgaritatem abscondere conatus est pro solito χρῆμα (veluti Xenophon *Cyr.* I. 4. 8 cervum dixerat καλόν τι χρῆμα καὶ μέγα) χρέος reponens quod tamen tali sensu ab epicorum sermone prorsus erat alienum.

Vs. 103. ἐξαπίνης δ' ἔταφές τε καὶ ὃν ποτὶ θυμὸν ἔειπες·
„τοῦτό κεν Ἀρτέμιδος πρωτάγριον ἄξιον εἴη".
105 πεντ' ἔσαν αἱ πᾶσαι· πίσυρας δ' ἕλες ὦκα θέουσα
νοσφὶ κυνοδρομίης, ἵνα τοι θοὸν ἅρμα φέρωσι.
τὴν δὲ μίαν Κελάδοντος ὑπὲρ ποταμοῖο φυγοῦσαν
Ἥρης ἐννεσίῃσιν, ἀέθλιον Ἡρακλῆϊ
ὕστατον ὄφρα γένοιτο, πάγος Κερύνειος ἔδεκτο.

Versu 103 ἐξαπίνης δ' ἔταφες adverbium addit verbo parum aptum vel potius supervacaneum: non enim solemus nisi ἐξαπίνης τεθηπέναι. Causam in docta imitatione si quaerimus, videmus Homerum haud semel dixisse ἐξαπίνης δ' ἀνόρουσε (κ. 557) et talia; variare autem voluisse Callimachum dictionem usu rarioris formae ἔταφε. Est autem indicativus ille tantae apud scriptores raritatis, —

[1]) De adiectivo μελαμψήφις cf ad IV. 76.

Homerus numquam adhibuit, quamquam habet participium — ut vix nimiae audaciae erit constituere, exemplum Callimacho fuisse Pindarum cuius hymnum Pythium IV saepius noster respicit, nunc vero imitando expressit vs. 95 „*τάφε δ' αὐτίκα παπτάναις ἀρίγνωτον πέδιλον*". — De pronominis possessivi usu minus recto nova dicere difficile. Callimachus, id quod verbo iam monui pag. 12, credebat plane convenire interque se commutari *ὄν* et *σόν*. Cum igitur putaverit aequo iure ac *Λ.* 403 dictum esset „*ὀχθήσας δ' ἄρ' ἔειπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν*" et *P.* 200 „*κινήσας ῥα κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν*" sibi in his duobus versibus imitandis dicere licere secunda persona *ὃν ποτὶ θυμὸν ἔειπες*, is quoque in Homeri codicibus suis legisse sine offensione talia putandus est, veluti *T.* 174 *σὺ δὲ φρεσὶν ἦσιν ἰανθῇς* (cf. *α.* 402 et inprimis *ι.* 27 *οὗτοι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.*) — In extremo versu *ἔειπες* dixit in epicis plane nullo discrimine utramque aoristi formam tolerari opinatus: occurrit enim *εἶπα* epigr. 46 et *εἶπας* V. 98, in hymno Dorice conscripto, item IV. 275 *εἶπαν*; ceteris locis praefert formas solitas, non suffragaturus Aristarcho qui in secunda persona *εἶπας* unice probavit (ad *Λ.* 106).

Vs. 104 *πρωτάγριον* ipse invenisse videtur. Conferri possunt ab una parte homerica *βοάγρια ἀνδράγρια μοιχάγρια ζωάγρια*, ab altera parte nihil melius convenit quam Lycophronis *πρωταίχμεια* (vs. 469), et ni fallor huius exemplum in voce nova fingenda secutus est.

Cum vero deam cervas *νόσφι κυνοδρομίης* vivas cepisse narrat poeta ita *νόσφι* usurpat ut cum homerico usu recentiorem coniungat aut potius vocem cum praepositione *ἄνευ* commutet. Neque enim id ipsum ab Homero alienum, at is cum praepositionis *sine* locum obtinet *τὸ νόσφι* semper cum personae nomine coniungit. (cf. *I.* 348; *ξ.* 451). Cogitabat fortasse Callimachus de Hesiodi versu *Opp.* 91 „*νόσφιν ἄτερ τε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο*" et qui magis etiam accedere ad suum usum videbatur vs. 113 „*νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀιζύος.*" — Ipsam autem *κυνοδρομίην* vix poetae debet; ex scriptis de venatione desumsisse nostrum probabilius: *κυνοδρομεῖν* occurrit in Xenophontis Cynegetico VI. 17.

ἐννεσίῃσιν de Iunonis consiliis ab Homero quoque uno loco dici (*E.* 894) monere satis est; verum de voce *ἀέθλιον* paucis disserendum. *ἀέθλιον* enim, ut hic melius secundum usum homericum de certaminis pretio quam de ipso certamine accipitur, ita

eodem sensu adhibetur IV. 187 et fr. 187. In vocibus ἄεθλον contra et ἄεθλος nondum observavit noster id factum esse discrimen ab antiquis epicis, ut ἄθλος ipsum certamen, ἆθλον praemium indicaret, de quo discrimine disputasse Aristarchum testatur Apollonius Sophista II. 9 (Ludw. *Arist.* I. 491). Noster enim VI. 75 dicit „Ἀθαναίας ἐπ' ἄεθλα" ubi ἀγῶνα indicat, at masculina forma utitur eadem significatione IV. 171; III. 139. Cum vero III. 145 dixit „νῦν δ' οὐκέτι τοῦτον ἄεθλον Φοῖβος ἔχει" exemplum Homeri fortasse sequi sibi videbatur, qui *labores* eo substantivum indicaverat δ. 170 et alibi, quamquam gravius profecto est vocabulum quam ut dei Apollinis munus illud indicet.

Ad altiorem sermonem poeta escendit, cum expositis quae de cervis Ceryneiis minus divulgata enarrare volebat ingreditur novam hymni partem hac invocatione, quae a Venatrice exorsa mox maiora deae munera memorat:

Vs. 110. Ἄρτεμι παρθενίη Τιτυοκτόνε, χρύσεα μέν τοι
ἔντεα καὶ ζώνη, χρύσεον δ' ἐζεύξαο δίφρον,
ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια θεὴ κεμάδεσσι χαλινά.
ποῦ δέ σε τὸ πρῶτον κερόεις ὄχος ἤρξατ' ἀείρειν;
Αἴμῳ ἔπι Θρήικι, τόθεν βορέαο κατάιξ
115 ἔρχεται ἀχλαίνοισι δυσαέα κρυμὸν ἄγουσα.
ποῦ δ' ἔταμες πεύκην, ἀπὸ δὲ φλογὸς ἧψαο ποίης;
Μυσῷ ἐν Οὐλύμπῳ, φάεος δ' ἐνέηκας ἀυτμὴν
ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.

Alexandrinae artis eruditionisque exemplis hi versus redundant; eius artis dico quae numquam non poetarum antiquorum memoriam deponens nunc lecta repetit, nunc antiqua novis miscet, modo mutat poetarum dicta modo corrigit, tragica homericis, epica lyricis illustrans. Exemplo sit ἔντεα. Si enim accipiamus eam vocem secundum usum homericum de σκεπαστικοῖς armis, vix intellegamus quaenam Venatricis arma poeta indicare velit. Verum Callimachus qui II. 19 quoque citharam atque arcum „Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου" appellat, latiore sensu accipit id substantivum; nam spectat arcum, pharetramque Dianae. Cui usui favere ei videbantur iam ipsius Homeri versus *K.* 75

παρὰ δ' ἔντεα ποικίλ' ἔκειτο
ἀσπὶς καὶ δύο δοῦρε φαεινή τε τρυφάλεια,

Neque igitur Callimachus suffragabatur ei opinioni quam postea Aristarchus tutatus est ἔντεα esse ἀπὸ τοῦ ἐντὸς ἔχειν τὸν ἄνδρα

(Lehrs p. 145), et magis alios poetas audiit veluti homerici hymni *in Apoll.* auctorem qui vs. 489 „ἔντεα νηὸς ἴσης" dixit, sive Pindarum qui non solum ἔντεα ἵππεια βόεια noverat sed etiam (*Ol.* VII. 23) ἔντεα αὐλῶν. — Ab usu homerico non minus nos abducit χρύσεον δ' ἐξεύξαο δίφρον". Homerus enim non ἅρμα, sed ἵππους ζεῦξαι solet. At praesto fuerunt quorum libertatem aemularetur Alexandrina eruditio, Pindarus atque Euripides; quorum cum alter *Pyth.* X. 65 „τόδ' ἔζευξεν ἅρμα Πιερίδων τετράορον", alter *Andr.* 1019 „εὐίππους ὄχους ἐζεύξατε" dixisset, habebat utriusque dictio facilem veniam; audacius nec elegantius noster, nullo adiectivo indicans animalia quae currum trahebant, simpliciter: „ἐξεύξαο δίφρον". — Sequenti versu voce κεμάδεσσι illustrari *K.* 361 iam monuit de Ian p. 25, χρύσεια autem χαλινὰ spectant χρυσήνιον Ἄρτεμιν Z. 205. Unde vero hoc sibi sumpsit poeta ut currum a cervis cornutis vectum ipsum diceret κεροέντα? Fieri sane potest ut eiusmodi libertati Homerum patronum sperarit qui sescenties ἵππους dixissetubi indicare vellet currum. At ulterius progressi erant, ad quos propius hic accedit noster, tragici. Ita Aeschylus *Prom.* 135: σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ, Euripides *Orest.* 1001, πτερωτὸν ἁλίου ἅρμα, *Phaeth.* fr. 779 πτεροφόρων ὀχημάτων, cum tamen *El.* 466 de solis equis „ἵπποις ἅμα πτεροέσσαις" dixisset. Non multum fortasse (quamquam interest aliquid inter utramque dictionem) a tragicorum exemplo digredi se putabat Callimachus, cum currum cornutis cervibus vectum ipsum κεροέντα diceret, quam vocem suppeditatam ei tragico πτερόεις vel soni similitudo arguit. Fieri tamen potest ut, cum hoc adiectivo usus currum Dianae cornutum diceret, de ipsa quoque dea quae in curru consideret simul cogitaverit, si quidem iam tum ut Hecate τριπρόσωπος ita Artemis cornu lunari ornatum caput in imaginibus habebat.

Vss. 114 et 115 ex eorum versuum numero sunt quibus interpretationis Alexandrinae indolem optime cognoscimus. Obversabatur poetae scribenti versus homericus omnibus notus *I.* 5

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρηίκηθεν ἄητον,

qui versus quantopere multorum doctorum ingenia vexaverit docent scholia. Plerique enim, loci Ψ. 229 non satis memores, in eo offendebant quod Zephyrus ac Boreas, venti inter se contrarii, nunc ex uno eodemque loco flare dicebantur. Porphyrii autem adnotationem ad hunc ἀπορίαν pertinentem (vid. scholia.) non tantum recentiorum ζητήματα spectare, verum antiquiores quoque grammaticos in hac re haesisse docet Strabo, qui p. 28 Eratosthenis explicationem

carpit. Quid Callimachus? Corrigit quodammodo versum homericum effugitque difficultatem Borean solum memorans [1]).

Ceterum cum Septentrionis flatus *βορέαο κατάιξ* ab eo dicebatur aliquid certe novavit; nam ipse Homerus a verbo *ἀίσσω* non nisi substantivum *ἀικὴ* formaverat (*O.* 709 *τόξων ἀικὰς*), adiectiva vero in ξ desinentia *κορυθάιξ πολυάιξ τριχάιξ*. Novatio autem Callimachi profecto vacabit culpa. Substantivi enim verbalis forma in ξ desinentis nihil habet quod offendat. Inter quae cum nonnulli paulatim nominativi formam inmutarent ut *φρίξ φρικὴ*, *ἅρπαξ ἁρπαγὴ*, alia iam apud ipsum Homerum variarent *ἰωκὴ ἰῶκα*, *ἀλκὴ ἀλκί*, haud magnum fuit Callimachi in hac re ausum. Apparet etiam idem de hac voce alios iudicasse grammaticos ex iis quae Herodianus optime rettulit ad *O.* 709 (Lentz II. 97. 32) „*ἀικὰς ὡς παλλακάς· καὶ ἐγένετο παρὰ τὸ ἀίσσω ἀικὴ ὡς φυλάσσω φυλακὴ ὑλάσσω ὑλακή. ἔστι μέντοι καὶ ἑτέρα εὐθεῖα ἡ ἄιξ, ἧτις ἐν συνθέσει ἐστὶ καὶ παρ' αὐτῷ κ. τ. λ.* Simplicem formam producta vocali *ī* adhibuit Apollonius IV. 820.

Vs. 115 *δυσαέα κρυμὸν* cum dixit noster substantivo usus ab homericis alienum deflexit ab adiectivi usu homerico, nam quod hic de ipso vento graviter spirante dixerat, id Callimachus ad frigus ex ipsius venti flatu ortum haud incommode transtulit. Oriri tamen suspicio poterit, quam neque ego reticeam, Callimachum iis verbis respexisse ad *E.* 865

καύματος ἔξ ἀνέμοιο δυσαέος ὀρνυμένοιο

ibique eum *ἐξ* legisse non *ἔξ* et *δυσαέος ὀρνυμένοιο* eum traxisse ad *καύματος*. Gravem enim dissensionem de hoc versu fuisse inter Grammaticos scholia demonstrant, et posteriores sane ita versum accepisse effeceris ex Quinti Smyrnaei imitatione qui XIII. 134 hoc habet:

καύματος ἐσσυμένοιο δυσαέος ἤματι μέσσῳ.

Verum iniquius fortasse erit imitatorum suorum erroribus Callimachum impugnari quoniam tali suspicioni neque noster favet locus neque versus IV. 139 ubi loca quoque vento exposita dixit „*δυσαέας ἐσχατιάς*".

Denique hic versus lyrica quoque studia Callimachi arguit, in adiectivo enim *ἀχλαίνοισι* non tam homericum illud „*χλαινάων τ' ἀνεμοσκεπέων*" (*Π.* 224) cogitavit quam Simoniden ante oculos habuit

---

[1]) In adiectivo *Θρήικι* hoc loco cum aequalibus *ι* longum habet Callimachus; homericam quantitatem servet IV. 63 *Θρήικος Αἵμου*, cf. fr. 109 *Θρηΐκίην*.

quem saepius imitando aemulatus nunc fere ad verbum expressit. Ille fr. 167

τῇ ῥά ποτ' Οὐλύμποιο περὶ πλευρὰς ἐκάλυψεν
ὠκὺς ἀπὸ Θρῄκης ὀρνύμενος Βορέης,
ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔδακε φρένας κ. τ. λ.

Cum vero non sine certo quodam consilio in Asia Dianam lunaris numinis munera obeuntem sequentibus versibus describit noster, facem accendisse deam enarrat, tam poetarum quam philosophorum doctrinas secutus, ex ipsius Patris luce aeterna. Hic spectari cultum Hecates δᾳδοφόρου, qui in Caria cum πανημερίου Iovis religione arctissime coniunctus erat, nunc verbo monere sufficit. Ceterum haud indignum observatione est aeternae lucis splendorem a poeta dictum esse αὐτμήν. Quo apparet de versu Φ. 366 „τεῖρε δ' αὐτμὴ Ἡφαίστοιο βίηφι" idem plane sensisse Callimachum quod schol. B refert „ἡ ἐξατμίζουσα πυρώδης πνοή" (cf. ι. 389): non igitur fumum indicare secundum eius sententiam sed fervorem ipsum ignis. Haerebat enim in poetae animo memoria eorum versuum quibus descripsit Typhoei exitum Hesiodus in Theogonia, in qua caede postquam (vs. 859)

φλὸξ δὲ κεραυνωθέντος ἀπέσσυτο τοῖο ἄνακτος

mox tota terra combusta est (vs. 863) ἀτμῇ θεσπεσίῃ. Hos versus opinor respiciunt Callimachea illa „φάεος αὐτμὴν ἀσβέστου τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί." Conferendus autem est Herodianus ἐν ἐπιμερισμοῖς (Lentz praef. XXIII): αὐτμή· ἄω καὶ ἄσω ὄνομα ἀσμὴ καὶ τροπῇ τοῦ σ̄ εἰς τ̄ ἀτμὴ, πλεονασμῷ τοῦ ῡ̄ αὐτμή.

Vs. 119. ποσσάκι δ' ἀργυρέοιο θεὴ πειρήσαο τόξου;
πρῶτον ἐπὶ πτελέην, τὸ δὲ δεύτερον ἦκας ἐπὶ δρῦν,
τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ θῆρα, τὸ τέτρατον οὐκέτ' ἐπὶ δρῦν,
ἀλλά μιν εἰς ἀδίκων ἔβαλες πόλιν, οἵ τε περὶ σφέας
οἵ τε περὶ ξείνους ἀλιτήμονα πολλὰ τέλεσκον.
σχέτλιοι, οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν.
125 κτήνεά φιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη·
κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν· αἱ δὲ γυναῖκες
ἢ βληταὶ θνήσκουσι λεχωίδες ἠὲ φυγοῦσαι
τίκτουσιν, τῶν οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη. [1])

[1]) Simplicius haec deae munera memorantur in carmine Anthol. VI. 157 ubi a Diana, quippe quae sit φύλαξ κτεάνων τε καὶ ἀγροῦ, hoc petitur.

τόξῳ μὲν κλῶπας βάλλε, σάου δὲ φίλους.

In his versibus, quorum priores qui aut coniectando aut lacunas statuendo corrigere conati sunt mihi quidem non librarios at ipsum Callimachum corrigere videntur, hesiodea magis quam homerica studia egit poeta. Ne tamen homericae interpretationis indicia quamvis levia omittam verbo moneo vs. 119 consulto eam verbi πειρήσασθαι significationem adhiberi quae in Homero erat rarissima; τόξου ἔργου ἀέθλου πειρᾶσθαι solet in Odyssea et Iliade dici de eo qui vim suam in aliqua re experitur, hic vero de dea adhibetur quae arcum ipsum experiendo probat, de qua re saepius Homerus πειρητίζειν, at φ. 410 „πειρήσατο νευρῆς", dixerat. Contra ab homerico usu paullum decedit vocabulo ἀλιτήμων, quod perraro in Homero occurrit (Ω. 165 = 186), sensu passivo usus, at graviori culpae obnoxius fuit cum formam plane vitiosam τέλεσκον formavit. Ceterum, recentiora antiquis miscens verbum adhibet ἐμμάξασθαι cui ex falsa interpretatione verbi homerici μαίομαι (P. 564 ἐσεμάσσατο θυμόν ubi interpr. ἔπληξέ μου τὴν καρδίαν) vim τοῦ ἐμβάλλειν fere tribuerunt Alexandrini; quamquam a verbo μάσσειν derivari debere non oblitus erat noster; nam IV. 13 ἀπομάσσεσθαι vulgato sensu adhibet. Tum pronominis formam φιν, licet nobis hodie minime homericae dialecto convenire videatur, invenisse tamen in suis exemplaribus et epicae dictioni vindicasse possis suspicari, quoniam Apollonio Sophistae necesse visum sit in Lexicon suum eam vocem recipere addita nota „οὐχ εὑρίσκεται παρ' Ὁμήρῳ ὡς Ἀπίων τέταχεν" (cf. Schneid. p. 227), quod vix memorasset nisi alii contraria putarent. At in sequentibus Hesiodi locum *Opp.* 225 *sqq.* artificiose imitari Callimachum interdum verbo verbum reddentem, interdum ab antiqua simplicitate, dum in arctiora vetus poema contrahat, longius discedentem, observabit quicunque utriusque poetae verba comparaverit. Inde apertum est illud ἀλιτήμονα πολλὰ τέλεσκον cum Hesiodi versu 241 „ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται" esse comparandum, ut Callimachi vs. 122 sqq. et 125 cum Hesiod. 242 sqq.; ita vero rem agere poetam Alexandrinum ut doctrina sua antiquum exornet poema, nunc ut in verbis „κείρονται δὲ γέροντες" usum respiciens homericum ubi hanc significationem obtinet κείρεσθαι (veluti δ. 198 κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν), nunc Pindari legens vestigia, *Isthm.* VII. 12 ἢ Δωρίδ' ἀποικίαν οὔνεκεν ὀρθῷ ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ Λακεδαιμονίων, modo vulgata nomina secundum mores suae aetatis amplificans ita ut pro solito λεχὼ diceret λεχωΐς, modo ut in βληταί (de qua voce subtiliora quam quae versus

postularet protulit Spanhemius) nova prorsus et incognita adicit. [1])

Vs. 129. *οἷς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσηαι,*
κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν, εὖ δὲ γενέθλη
τετραπόδων, εὖ δ' οἶκος ἀέξεται, οὐδ' ἐπὶ σῆμα
ἔρχονται, πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι φέρωσιν.
οὐδὲ διχοστασίῃ τρώει γένος, ἥ τε καὶ εὖ περ
οἴκους ἑστηῶτας ἐσίνατο· ταὶ δὲ θυωρὸν
135 *εἰνάτερες γαλόῳ τε μίαν πέρι δίφρα τίθενται.*

Pergere Callimachum in Hesiodo imitando (vs. 225—237) et ipsa res arguit et singularis probat usus verbi *αὐγάζεσθαι*. Non enim Homeri versum *Ψ*. 458 *ἵππους αὐγάζομαι* hic illustrat, de cuius loci significatione dubitari non poterat, at prope accedit ad Hesiodi versum *Opp.* 477 *πρὸς ἄλλους αὐγάσεαι* quod adspiciendi vim habet [2]); ceterum *εὐμειδὴς* neque Homero cognitum neque Hesiodo, at facili negotio poterat formare id adiectivum ad normam homerici *φιλομμειδής*. Cum semel adhibuit Callimachus, libens secutus Apollonius Rhodius eius „*εὐμειδής τε καὶ ἵλαος*" aemulatus est dicens *εὐμειδής τε καὶ ἤπιος* IV. 715. — *γενέθλη* (vs. 130) ab antiquis epicis de animalium generibus nunquam dictum. Quae illi *γένη* vocarunt ea et nostro audiunt *γενέθλη* et poetae hymni hom. XXVI. 10 (*θηρῶν ὀλέκουσα γενέθλην*), qui Callimacho ni fallor paulo est antiquior.

Sequuntur deinde versus aliquot quorum admodum difficile fontes atque origines indagare; in quibus quamquam interpretationem homericam non perpetuo neglegit, alios certe et recentiores poetas sibi inprimis proponit imitandos, et de suo ipse forsitan aliquid adiecerit. Diu et a multis certatum est quid vellent vss. 131 *sq.*, et plerique Schneidero iam adstipulati sunt de senibus haec accipienti post longam demum vitam a suis ad bustum delatis: „*πολυχρόνιόν τι φέρειν*", ita fere vir doctus, „significat *sat multos annos habere*". Rectene? Dubito. Video, diversam variis locis huic adiectivo esse vim (nam IV. 282 *πολυχρονιώτατον αἷμα* aperte est *γένος τῶν παλαιῶν*, V. 128 *βίου τέρμα πολυχρόνιον* adiecto substantivo *βίου* accuratius definitur adiectivum); ipsum autem *πολυχρόνιος* solet

---

[1]) Ut in tota hac hymni parte Dianae Arcadicae cultus exponitur, hic cogitasse putaverim poetam de Caphyatarum cultu Dianae *ἀπαγχομένης*, cuius deae ira mota (Pausanias VIII. 23. 7) olim *νόσος ἐσέπεσε ἐς τὰς γυναῖκας, τὰ ἐν τῇ γαστρὶ πρὸ τοκετοῦ τεθνεῶτα ἐκπάλλεσθαι*. Mentionem huius *ἀπαγχομένης* facit ipse Callimachus in Aetiis (fr. 3).

[2]) Cf. VI. 14. De comp. *ἀπαυγάζεσθαι* cf. infra ad IV. 129.

indicare aut *antiquum* aut *grandaevum* et eodem fere redit quo tragicorum πολυετής. Sed hoc leve est. Gravius offendit in Schneideri interpretatione activum φέρειν pro medio positum, pronomen τι quod nunc quidem adiectivi vim non auget sed infringit, πλὴν ὅτε cum subiunctivo generali coniunctum cui in eiusmodi sententia qualem vult Schneider locus non est. Tum ita minus recte opponi nostrum versum versui 126 dixerim. Id enim dicit poeta: „in illa urbe cuius incolae rite colant Dianam *senes* patres a filiis efferuntur, non filii deflentur a parentibus." — Attulit huc Spanhemius Solonis legem apud Dem. p. 1071 ἀκολουθεῖν ἀποθανόντι ὅταν εἰς τὰ σήματα ἄγηται, eodem autem modo atque in Solonis lege ἄγειν, hic noster φέρειν (εἰς τὰ σήματα) dicit.

Cum sequentibus apte contulit Ianius (p. 26) versus Homeri φ. 293

οἶνός σε τρώει μελιηδής, ὅς τε καὶ ἄλλους
βλάπτει,

verum διχοστασίη Homero non debet. Neque tamen incognitam aut hymno minus aptam vocem dicas quam, Dianam concordiae tutelarem deam cantans, eam quam Athenienses ἀριστοβούλης nomine colebant, desumsit ex Solonis in Eunomiam elegia (Bergk fr. 4. vs. 37)

εὐθύνει δὲ δίκας σκολιὰς, ὑπερήφανά τ' ἔργα
πραΰνει, παύει δ' ἔργα διχοστασίης,

quam elegiam et alibi respexit noster (cf. p. 42 not.). Aoristus vero ἐσίνατο neque Homero neque Atticis in usu fuit.

De sequentibus pauca dicere difficile est; maxima enim de his versibus inter viros doctos est dissensio. Id vero tantum non omnes consentiunt spectare haec verba ipsam regis Ptolemaei aulam [1]). Equidem ut in universum concordiam regiae domus laudari concedo, ita rem nimis premendam esse nego. Nihil attinet quaerere quaenam fuerint illae „εἰνάτερες γαλόῳ τε" de quibus nunc sermo est. Non certas quasdam glores ac ianitrices ex Ptolemaei familia spectasse sed eo tantum consilio eas induxisse in hymnum suum poeta mihi videtur ut glossas homericas explicaret aut doctrinae

[1]) Tam de hac quaestione quam de ceteris quae chronologiam hymnorum spectant accuratissime disseruit Bruno Ehrlich (*De Callimachi hymnis quaestiones chronologicae*. Bresl. phil. Abh. VII. 3) quo nemo, quod sciam, fidelius varias multorum rettulit opiniones perpenditque. Ipse quoniam suam sententiam argumentis firmavit haud levibus, nolim, si nunc eius iudicium de huius hymni tempore tacitus reicio, id fecisse videri neglegentia; ideo tantum prorsus silere de chronologicis malui quia breviter disputare levitatis videtur, uberiori disputationi nunc quidem charta non vacat.

ostentandae causa adhiberet. Etiam post eum de harum vocum usu disputarunt Herodianus (ad *X.* 473) et Aelius Dionysius (apud Schol. *Z.* 378). Et quamquam ita ea nomina admisit Callimachus ut vix efficias cui opinioni faveat, dixeris tamen idem fere eius fuisse iudicium quod deinde Dionysii fuit „*αἱ τοῖς ἀλλήλων ἀδελφοῖς γεγαμημέναι εἰνάτερες*".

Quod prorsus contra antiquorum poetarum morem *δίφρα* plurali forma neutri adhibuit id leve fortasse videbitur. At unde sibi illam *θυωρὸν* sumserit id eo magis, quamquam frustra, quaerimus cum singularis illa Diogenis Laertii adnotatio in mentem venit, qui memorat secundum Pherecyden deos solitos esse *τὴν τράπεζαν θυωρὸν καλεῖν* (Diog. Laert. I. 119) cum contra alii interpretes (cf. Hesych. *i. v.*) ad vocis etymologiam magis fortasse attendentes mensam sacram ita dici perhiberent (*θυωρὶς τράπεζα* Pollux IV. 123), unde Lycophro Parin dixerat (vs. 93) „*θυωρίτην κάλλους.*"

Vs. 136. *πότνια, τῶν εἴη μὲν ἐμὸς φίλος ὅς τις ἀληθὴς,*
εἴην δ' αὐτὸς ἄνασσα· μέλοι δέ μοι αἰὲν ἀοιδὴ,
τῇ ἔνι μὲν Λητοῦς γάμος ἔσσεται, ἐν δὲ σὺ πολλή,
ἐν δὲ καὶ Ἀπόλλων, ἐν δ' οἵ σεο πάντες ἄεθλοι,
140 *ἐν δὲ κύνες καὶ τόξα καὶ ἄντυγες, αἵ τέ σε ῥεῖα*
θητητὴν φορέουσιν, ὅτ' ἐς Διὸς οἶκον ἐλαύνεις.

Solent eiusmodi invocatione qualem habemus in horum versuum prioribus duobus fere claudi hymni sive prooemia quae nunc in homericis hymnis feruntur [1]). Et solet ita quoque post Ruhnkenium (*ep. crit. pr.* p. 8) finis imponi homerico hymno in Apollinem Pythium versu 178 ubi poeta cantat

αὐτὰρ ἐγὼν οὐ λήξω ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα
ὑμνέων ἀργυρότοξον ὃν ἠύκομος τέκε Λητώ.

Quod vero Callimachus, qui mox per versus 141 sqq. sedulo eam partem hymni homerici imitatur quae post istos duos versus venit, nunc ipsum inserit eam deae invocationem, quae si non verbis at re tamen similis est homerici hymni versibus 178/79, id opinor haud minime favet eorum opinioni qui (ut Gemollius) vetant hymnum in Apollinem Delphicum a Deliaco discindi. Verisimile enim est coniunctam utramque partem vidisse Callimachum qui coniunctim imitatus sit.

Non tamen, cum imitaretur hymnum ullam occasionem praeter-

[1]) De vocis *πότνια* usu callimacheo dicetur infra ad IV. 225. De subst. *ἄεθλος* cf. p. 76

misit Callimachus quin exornaret amplificaretque vetusti carminis simplicitatem. Quod quantopere corruperit ea, ut ei videbatur, elegantia, non opus est indicare. Hic quoque nonnulla admisit quae ab ipsius Homeri dictione aliena sunt. Vix enim opinor Homerus *Λητοῦς γάμον* dixisset de ea dea quae revera non iusta esset Iovis uxor [1]). Hymni contra ubi sive mortalibus mulieribus sive deabus di amore se iungunt id *γάμον* solent vocare. Ita hymn. XVIII. 35 „*ἐκ δ' ἐτέλεσσε γάμον θαλερόν*", et hymn. III. 29 „*καλὸν γέρας ἀντὶ γάμοιο*" ubi magis *ἔργα γάμοιο* et omnis amor quam iustum matrimonium indicatur. — Praeterea pauca tantum de his versibus sunt monenda. Insolitus enim ordo verborum versus 139 — quamquam praepositionis *ἐν* repetitio ad Homeri imitationem spectat (versus pepigit ad normam eorum quibus cestus Veneris Ξ. 215 et Aegis *E.* 740 describuntur) — eo magis offendit quod contra usum homericum adiectum est articulum (*ι.* 498 *σύν κεν ἄραξ' ἡμέων κεφαλάς*, *Δ.* 174 *σέο δ' ὀστέα πύσει ἄρουρα*, *E.* 811 *ἀλλά σευ ἢ κάματος πολυάιξ γυῖα δέδυκε*). Deinde *ἄντυγας* de toto curru, ut parte totum indicaret, non dixit Homerus. Iam tragici ad hunc usum accesserunt veluti Euripides qui *Phoen.* 1193 dixit „*ἐξέπιπτον ἀντύγων ἄπο*", ubi *δίφρον* indicari apparet. Eodem fere modo Sophocles *Electr.* 746 „*κἀξ ἀντύγων ὥλισθε*". Cum Callimacho fecit Theocritus qui II. 166 de hoc eodem Dianae sive Lunae curru haec habet:

„*ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.*"

— *θηητὴν* non ex Homero verum ex Theogonia noverat (vs. 31).

Iam sequitur olympiae vitae descriptio, qua aequalibus magis profecto quam nobis placuit poeta:

Vs. 142. *ἔνθα τοι ἀντιόωντες ἐνὶ προμολῇσι δέχονται,*
ὅπλα μὲν Ἑρμείης ἀκακήσιος, αὐτὰρ Ἀπόλλων
θηρίον ὅττι φέρῃσθα — πάροιθέ γε, πρίν περ ἱκέσθαι
145 *καρτερὸν Ἀλκείδην· νῦν δ' οὐκ ἔτι τοῦτον ἄεθλον*
Φοῖβος ἔχει. τοῖος γὰρ ἀεὶ Τιρύνθιος ἄκμων
ἕστηκε πρὸ πυλέων, ποτιδέγμενος εἴ τι φέρουσα
νεῖαι πῖον ἔδεσμα· θεοὶ δ' ἐπὶ πάντες ἐκείνῳ
ἄλληκτον γελόωσι, μάλιστα δὲ πενθερὴ αὐτῇ,
150 *ταῦρον ὅτ' ἐκ δίφροιο μάλα μέγαν, ἢ ὅτε χλούνην*
κάπρον ὀπισθιδίοιο φέροι ποδὸς ἀσπαίροντα.

Obiter tantum indicandae sunt imitationes homericae illae quas

[1]) Cf. quoque IV. 38, 240; et III. 268 (*μνᾶσθαι*).

non certo quodam consilio adhibuisse videtur poeta, velut vs. 147 imitatus est ψ. 91

ἦστο κάτω ὁρόων ποτιδέγμενος εἴ τι μιν εἴποι,

cuius imitationis causam praeter formam ποτιδέγμενος non video. — νεῖαι, vs. 148, (ita νειῖται et νέονται adhibet Callimachus) praesentis vim obtinet apud nostrum licet memor fuerit vs. λ. 114 „ὄψε κακῶς νεῖαι." Quae sequuntur „θεοὶ δ' ἐπὶ πάντες ἐκείνῳ ἄλληκτον γελόωσι" ea profecto spectant versum hodie iure multis suspectum Ψ. 840 γέλασαν δ' ἔπι πάντες Ἀχαιοί, quem tamen paululum exornat alterius versus et magis noti recordatus Α. 599 ἄσβεστος δ' ἄρ ἐνῶρτο γέλως, simul adiectivum ἄσβεστος interpretatus alia voce homerica ἄλληκτος.

Notum illum χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα (Ι. 539) Callimachi quoque eruditionem vexasse cum tanta tamque diversa de ea voce statuissent viri docti [1]) non est quod mireris. Frustra vero vocis interpretationem ab eruditissimo poeta expectes; fecit enim idem nostro loco quod saepissime Philetae Lycophronisque exemplo incitati commiserunt docti illi poetae, ut obscuriora verba sine ulla explicatione carminibus inmiscerent, quo profanum vulgus arcentes, eruditiorum aures mulcerent. Id tantum nobis hodie constituere licet Callimachum ab eorum errore fuisse liberum qui χλούνην pro substantivo acciperent.

Verbum homericum ἀσπαίρειν ad imitationem haud admodum felicem poetam induxit. Nam Herculem describens ut ille χλούνην κάπρον ὀπισθιδίοιο φέροι ποδὸς ἀσπαίροντα, homericos versus illustrare eum non dubium est τ. 228

ἐν προτέροισι πόδεσσι κύων ἔχε ποικίλον ἔλλὸν
ἀσπαίροντα λάων· τὸ δὲ θαυμάζεσκον ἅπαντες,
ὡς χρυσεῖοι ἐόντες ὁ μὲν λάε νεβρὸν ἀπάγχων,
αὐτὰρ ὁ ἐκφυγέειν μεμαὼς ἧσπαιρε πόδεσσιν.

At in imitandis homericis licere sibi arbitrabatur ad normam τοῦ „ποδὸς τεταγών" et talium dictionum dicere φέρειν ποδός et adhibuit vocem ὀπισθίδιος, quae vox ad exemplum eorum vocabulorum formata qualia sunt κρυπτάδιος μινυνθάδιος αἰφνίδιος, ab homericis aeque est aliena ac πρόσθιος et ὀπίσθιος.

Maioris momenti videtur memorare quae hoc loco de Hercule dicuntur. Quae quamquam ex parte saltem ad mythologiam propius pertinent quam ad grammaticam, verbo tamen attingere liceat, quia

[1]) Antiquiorum opiniones exposuit Nauck. *Ar. Byz.* p. 120.

homericam interpretationem ac crisin simul spectant. Callimachus enim, qui maxime semper id agebat, ut Homeri mythologumenis, quantum quidem poterat, vindex esset et patronus, cum hoc loco Iunonem vocat Herculis *πενθερήν*, ipsumque heroem — *γυῖα θεωθέντα* (vs. 159) *Φρυγίῃ ὑπὸ δρυΐ* [1]) — accumbentem facit deorum epulis, recentiorum opiniones tacite oppugnat, veluti eam quam Lycophro protulit Iunonem *τὴν δευτέραν τεκοῦσαν* (*Alex.* vs. 39) dicens, eaque ratione vindicat Homero versus illos in Necyia, quos mox Aristarchus damnavit (λ. 602—604)

αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
τέρπεται ἐν θαλίῃς καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου [2]).

Neque dubito, quin, cum ab eo Hercules *Τιρύνθιος ἄκμων* vocatur — quam vocem ab Aeschylo mutuatus est, *Pers.* 51 — simul in mente habuerit praeclaros Pindari versus *Nem.* I. 71 Herculem depingentis „*ἀσυχίαν καμάτων μεγάλων ποινὰν λαχόντα*" aut eiusdem poetae verba cum *Isthm.* IV. 60 heroem diceret „*γαμβρὸν Ἥρας*".

Vs. 152. *κερδαλέῳ μύθῳ σε θεὴ μάλα τῷδε πινύσκει·*
„βάλλε κακοὺς ἐπὶ θῆρας, ἵνα θνητοί σὲ βοηθὸν
ὡς ἐμὲ κικλήσκωσιν. ἔα πρόκας ἠδὲ λαγωοὺς
155 *οὔρεα βόσκεσθαι· τί δέ κεν πρόκες ἠδὲ λαγωοὶ*
ῥέξειαν; σύες ἔργα, σύ ἑ φυτὰ λυμαίνονται.
καὶ βόες ἀνθρώποισι κακὸν μέγα. βάλλ' ἐπὶ καὶ τούς".
ὣς ἔνεπεν, ταχινὸς δὲ μέγαν περὶ θῆρα πονεῖτο·
οὐ γὰρ ὅ γε Φρυγίῃ περ ὑπὸ δρυΐ γυῖα θεωθεὶς
160 *παύσατ' ἀδηφαγίης· ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη,*
τῇ ποτ' ἀροτριόωντι συνήντετο Θειοδάμαντι.

Periculosa res est, si quis propter turbatum verborum ordinem versum callimacheum corruptum esse contendat. At versu 152 *μάλα* illud tam insolite tamque dure distractum est a voce *κερδαλέῳ*, substantivo interposito, ut frustra exemplum quaeram sive homericum sive callimacheum quo contorta verborum constructio defendatur. Homerus enim interposuit sane nonnumquam inter *μάλα* et adiectivum vocem aliquam etiam substantivum (*μάλα Τρῶες δει-*

[1]) „*Ἀπὸ τοῦ ἰκεῖ πεφρύχθαι*" ut est apud Steph. Byz. Locus ille Pyra dicitur a Livio XXXVI. 30 (cf. Theophr. *hist. pl.* IX 102.)

[2]) Poterit quispiam dubitare an potius ex Theogonia (922. 950-55) sumserit. At apud Hesiodum *θαλίαι* illae non memorantur quas tamen legisse noster videtur quoniam in *cena* deorum Herculis facit mentionem.

δήμονες Γ. 56); cum vero praecedit adiectivum, numquam alia vox interponitur nisi parvula particula δὲ, περ. Ab hac consuetudine non distat Callimachus qui cum in hymnis duodecies utitur adverbio μάλα bis tantum (praeter nostrum locum) postposuit illi voci ad quam pertinet: I. 5 ἐν δοιῇ μάλα θυμός et IV. 231 ὀρθὰ μάλα. Minus solite dicta sane erant I. 63 ὃς μάλα μὴ νενίηλος et III. 64 αἳ μάλα μηκέτι τυτθαὶ, sed exemplo homerico ipsi poetae niti videbantur (cf. pag. 30 et 64); quae vero restant septem exempla a solito more non discedunt (I. 20 μάλ' εὔυδρος, I. 85 οὐ μάλα δ' ἴσον, II. 77 μάλα καλόν, III. 80 μάλα θαρσαλέη, III. 150 μάλα μέγαν, IV. 158 μάλα πολλόν, IV. 246 μάλα γάρ τε κακῶς. Quod cum video, simul Ulixus homerici memor, qui (ξ. 148) „μειλίχιον καὶ κερδαλέον φάτο μῦθον" non possum quin suspicer revera librario imputandum esse quod poetae licentia factum esse videbatur, et ita versum esse corrigendum

κερδαλέῳ μυθῷ σε θεὴ μαλακῷ τε πινύσκει.

Superest ut pauca dicamus de verbo πινύσκειν. Effici enim ex nostro versu licet Callimachum Ξ. 249 in loco maxime vexato legisse ἐπίνυσκεν, quae lectio apud Hesychium quoque servari videtur; cf. quoque Herodianus περὶ παθῶν 39 (Lentz II. 179). Ceterum praeierat usu praesentis πινύσκειν pro πινύσσειν Aeschylus qui *Pers.* 830 „πινύσκετ' εὐλόγοισι νουθετήμασι" dixerat.

Versu 153 verbo βάλλειν eodem quidem sensu usus est, quem apud Homerum obtinet, at contra usum epicae dictionis cum Atticis scriptoribus et vs. 153 et vs. 157 dixit βάλλειν ἐπί τινα, quamquam in altero versu suis verbis homerici versus sonum imitatus et numeros: dixit enim „βαλλ' ἐπὶ καὶ τοὺς" ut Homerus *T.* 96 ἀλλ' ἄρα καὶ τόν. At versus 154 non sonum modo Homeri sed ipsa refert verba nam „ἕα πρόκας ἠδὲ λαγωοὺς" revocat in mentem ρ. 295 αἶγας ἐπ' ἀγροτέρας ἠδὲ πρόκας ἠδὲ λαγωούς". Insolitum sane vocabulum erat πρὸξ et eam ipsam ob causam fortasse adhibebat; num vero eadem Callimachi sententia fuerit ac praeceptoris Philetae qui (Etym. Magn. p. 689) docuerat πρὸξ ex πρωτοτόκος esse contractum non apparet. Ceterum cum vs. 156 ἔργα et φυτὰ inter se opponeret docuit fortasse ἔργα de agris cultis dici ab Homero, φυτὰ autem de arbustis cf. ι. 108

οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν οὔτ' ἀρόωσι

et Apoll. *Lex.* 75. 22 „ὅταν ψιλῶς λέγει (sc. ἔργα) τὴν γεωργίαν δηλοῖ" (conferatur quoque nostri hymni vs. 125).

Verbum λυμαίνομαι apud Homerum non invenitur. Nec tamen

hic contra usum homericum Callimachus pugnat. In Iliade quidem longe aliud est ἀπολυμαίνομαι *A.* 314, nam significat ἀποβάλλειν τὰ λύματα. At in Odyssea ρ. 220 (377) ἀπολυμαντὴρ eodem sensu adhibetur atque apud Atticos λυμαντήρ. Odysseae igitur poetae ἀπολυμαίνεσθαι est „ἀπολλύναι τὰς δαῖτας λυμαινόμενον". Ita Callimachus quoque procul dubio locum homericum interpretatus est, neque alteram quam referunt scholia interpretationem accepit: „τὸν τὰ καθάρματα προσφερόμενον τῶν εὐωχιῶν."

In versibus 158—161 de Herculis voracitate agens, miscet, quod mirum non est, nova antiquis: versus quidem 158 ad Homeri exemplum formatus est (Ω. 444 οἱ δὲ νέον περὶ δόρπα φυλακτῆρες πόνεοντο), versu 160 obversatur fortasse poetae Polyphemus, qui ι. 296 „μεγάλην ἐμπλήσατο νηδὺν", vs. 161 epicum usum in forma verbi συνήντετο accurate observavit; at ut res ita verbum θεοῦν (159) ab antiquissima poesi aliena est, et Homero neque Hercules ἀδήφαγος neque substantivum ἀδηφαγία cognitum. De vocibus ταχινὸς et γυῖα iam dixi pag. 28 et pag. 11.

Magis pertinent ad Callimachi studia homerica versus qui sequuntur.

Vs. 162. σοὶ δ' Ἀμνισιάδες μὲν ὑπὸ ζεύγληφι λυθείσας
ψήχουσιν κεμάδας, παρὰ δέ σφισι πουλὺ νέμεσθαι
Ἥρης ἐκ λειμῶνος ἀμησάμεναι φορέουσιν
165 ὠκύθοον τριπέτηλον, ὃ καὶ Διὸς ἵπποι ἔδουσιν·
ἐν καὶ χρυσείας ὑπολῃνίδας ἐπλήσαντο
ὕδατος, ὄφρ' ἐλάφοισι ποτὸν θυμάρμενον εἴῃ.
αὐτὴ δ' ἐς πατρὸς δόμον ἔρχεαι· οἱ δέ σ' ἐφ' ἕδρην
πάντες ὁμως καλέουσι· σὺ δ' Ἀπόλλωνι παρίζεις [1]).

Ut solet ubi homericam antiquitatem illustrat aut quaestiones homericas tractat, ad sermonem quoque redit epicae dictioni antiquissimae similiorem, licet non desint recentiora quaedam. Hic autem non solum illustrat Homerum sed etiam amplificat. Nam cum in Iliade et Odyssea narratur iugum demi deorum hominumve equis, ut Θ. 433 redeuntibus ex proelio Iunone et Minerva „τῇσιν δ' Ὧραι μὲν λῦσαν καλλίτριχας ἵππους" (quem versum secutus noster tamen non immemor fuit versus Ω. 576 „οἳ τόθ' ὑπὸ ζυγόφιν λύον

[1]) Ut magis appareat quam diligenter, quam religiose homerica servare soleat noster, cum hisce componat lector, quaeso, Alexandri Aetoli versus in *Piscatore* eandem rem suis verbis enarrantis (apud Athen. VII. 296).

ἵππους"), sequi fere solet „καὶ τοὺς μὲν κατέδησαν" vel tale quid, tum cura curruum memoratur. Callimachus vero τὴν ἀπόψηξιν minus recte ab epico poeta omissam ratus adiecit „ψήχουσιν κεμάδας", novum verbum ac Homero incognitum. Tum demum, postquam strigili rasae sunt cervae, pabulum adfertur. Id autem in Homeri libris mortales equis suis varie praebent ut *B.* 776 λωτὸν ἑλεόθρεπτόν τε σέλινον, *E.* 196 κρῖ λευκὸν καὶ ὀλύρας, *K.* 568 μελιηδέα πυρόν. Contra deorum equis aliud erat pabulum. Ita *E.* 368 (cf. *N.* 35)

ἔνθ' ἵππους ἔστησε ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις
λύσασ' ἐξ ὀχέων, παρὰ δ' ἀμβρόσιον βάλεν εἶδαρ.

At graves (nec mirum) ut de tota ambrosiae natura ita de hoc loco inter grammaticos Alexandrinos erant dissensiones quas Aristarchus ad Ξ. 170 et *T.* 347, tum scholia D ad *E.* 777 testantur (vide quoque Roscher in Lexico suo I p. 280). Docte autem admodum ex variis Homeri locis composuit suum iudicium de hac re Callimachus, quod hic profert. Memor erat, *E.* 777 quoque adponi equis deorum „ambrosiam" neque id fuisse pabulum caeleste quoddam aut cum terrestribus plantis minime comparandum, at natum illic ex ipsa terra. Descenderat enim Iuno (*E.* 775) et equos λῦσεν ἐξ ὀχέων, tum

τοῖσιν δ' ἀμβροσίην Σιμόεις ἀνέτειλε νέμεσθαι.

Quid vero illa ambrosia fuisset ambigebatur. Callimachus, quem consulto forma versus sui Homeri versum revocasse neminem opinor fugit, habebat quod responderet: non novum et illis campis incognitum pabuli genus ex tellure Simois protulit, at „lotum" qua planta Troiae campus abundat, cf. Φ. 351. Et optimo iure lotus intellegi poterat quia et ipse Homerus in celeberrimis versibus cum „Sacras Nuptias" describeret Ξ. 347 ita cantasset [1]):

τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην
λωτόν θ' ἑρσήεντα ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον.

Verumenimvero ne de loti homerici quidem natura satis constabat inter Grammaticos. Quapropter simul de hac planta quid censeat, aperit Callimachus. λῶτος homeri trifolii ei genus est (cf. schol. *B* ad Θ. 308); eruditius autem ut indicet simplicem plantam, non cum vulgo τρίφυλλον nunc dicit, verum τριπέτηλον [2]).

[1]) Ἥρης autem λειμῶνα et Διὸς κῆπον non diversa esse, non est quod multis demonstrem. Conferri igitur cum homerico νεοθηλὴς potest ὠκύθοον callimacheum, licet non plane idem ac Homerus dicere voluerit Callimachus et sensu adiectivi sui potius reddat venusta illa verba Euripidis (*Hipp.* 738) „ἵν' ὀλβιόδωρος αὔξει ζαθέα χθὼν εὐδαιμονίαν θεοῖς".

[2]) Correxisse quodammodo callimachea videtur Nicander accuratius de trifolio agens *Ther.* 520.

Vs. 166 *πνέλους* e quibus cervae bibunt, quales supra dixerat *ποτίστρας* voce minus poetica nunc vocat *ὑποληνίδας*, quam vocem interpretatur Schneiderus *„alveos minores altioribus ληνοῖς suppositos, unde in illos aqua defluat quo facilius sit pecori aditus."* In qua re si rectum vidit vir doctissimus, id quod haud dubium mihi videtur, hoc quoque loco erudite amplificat homerica Callimachus. Nam hymn. hom. *in Merc.* vs. 103 boves veniunt

ἐς αὔλιον ὑψιμέλαθρον
καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος.

Sed in suo carmine adiecit iterum Callimachus quod in antiquo hymno desiderari iudicabat. — Vs. 167 *θυμάρμενον* cum dixit, discrimen mihi videtur fecisse inter vocabula homerica *θυμαρὴς* et *θυμήρης* quorum hoc (cf. IV. 29) haberet exitum *ηρης* paragogicum, illud autem cum verbo *ἀραρίσκειν* cohaereret. [1]) Contra in substantivo *ποτὸν* non Homerum secutus est qui eo nomine vinum solum indicat, at maluit tragicorum usum sequi; ii enim quamquam adiectivo addito (*κρηναῖον, ποτάμιον*) fluviorum quoque aquam ita significant. —

Cum sequentibus iterum comparandus est hymn. hom. *in Apoll.* 186 et h. XXVI. 13 sqq. Primi hymni introitum quoque simul aemulatur fratris Apollinis honores cum Dianae honoribus componens. Apolline enim coetum deorum intrante surgunt *„πάντες ἀφ' ἑδράων"*, advenientem sororem omnes *„ἐφ' ἕδρην πάντες ὁμῶς καλέουσι"* (vs. 168). At deinde Dianae chorum (cf. hymn. hom. *in Apoll.* 194 sqq.) ab Olympo in terram reducit noster, ubi deam cum nymphis choro ludentem Homerus quoque cecinerat (ζ. 102). Videamus ipsos versus.

Vs. 170. *ἡνίκα δ' αἱ νύμφαι σε χορῷ ἔνι κυκλώσονται*
ἀγχόθι πηγάων Αἰγυπτίου Ἰνωποῖο
ἢ Πιτάνης (καὶ γὰρ Πιτάνη σέθεν) ἢ ἐνὶ Λίμναις,
ἢ ἵνα δαῖμον Ἀλὰς Ἀραφηνίδας οἰκήσουσα
ἦλθες ἀπὸ Σκυθίης, ἀπὸ δ' εἶπαο τέθμια Ταύρων,
175 *μὴ νειὸν τημοῦτος ἐμαὶ βόες εἵνεκα μισθοῦ*
τετράγυον τέμνοιεν ὑπ' ἀλλοτρίῳ ἀροτῆρι.

[1]) Cf. Aristarch. ad *I.* 362 (Ludw. I. 583. 23.) — Herodian. II. 41, 18 (ad *Γ.* 316) *„χαλκήρει*: *προπαροξυτόνως· ἔστι γὰρ παραγωγὴ διὰ τοῦ ηρης, ἥτις βαρύνεται, ξιφήρης ὁλιγήρης, θυμήρης, ἔνθεν τὸ „θυμῆρες κεράσασα". εἰ μέντοι γε τὸ ἄρω ἔγκειται ἐπὶ τούτου καὶ διὰ τοῦ ᾱ ἡ σύνθεσις γένοιτο, καὶ ὀξεῖα τάξις ἐστίν· „ἔχει δ' ἄλοχον θυμαρέα".* (Cf. Herodian. II. 65, 19). Eodem sensu quo hic *θυμάρμενον θυμαρὴς* adhibuit Callimachus VI. 56. — *θυμήρες* autem IV. 26 eodem redit ac *καταθύμιον* „gratum".

ἦ γάρ κεν γυιαί τε καὶ αὐχένα κεκμηυῖαι
κόπρον ἔπι προγένοιντο, καὶ εἰ Στυμφαιίδες εἶεν,
εἰναετιζόμεναι, κεραελκέες αἳ μέγ' ἄρισται
τέμνειν ὤλκα βαθεῖαν· ἐπεὶ θεὸς οὔποτ' ἐκεῖνον
ἦλθε παρ' Ἠέλιος καλὸν χορὸν, ἀλλὰ θεῆται
δίφρον ἐπιστήσας, τὰ δὲ φάεα μηκύνονται.

Novas res nova ratione narrare poeta primo obtutu lectori videbitur et sane insunt multa ab antiquo genere dicendi aliena: ἀπ-είπασθαι enim mediali forma Herodoti magis quam Homeri sermoni convenit, τέθμια ne Ionicum quidem est; non fuit Homeri κυκλοῦν aut κυκλοῦσθαι eo sensu dicere quo noster hic verbum simplex, III. 267 et IV. 251 περι-κυκλοῦσθαι adhibet, a tragicis illud verbum mutuatus; non homericum est τημοῦτος; verborum denique ordo graviter contra antiquorum simplicitatem peccat. Attamen si excipias priores versus de quorum argumento nunc dicere omitto, id tantum in transitu monens, verbis Αἰγυπτίου Ἰνωποῖο haud ineleganter a poeta Alexandriae incolas commonefieri, quam arcte ipsa eorum patria cum Delo insula Ptolemaeo gratissima esset coniuncta [1]) — si excipias igitur illos versus, poeta rem plane novam hic se narrare non concedet; neque ullus fortasse locus est in hymnis, ubi diligentius dederit operam ut homericae interpretationi ars sua inserviret. Nam si ad rem attendimus, et ipse Homerus (ut de praelongis Laestrygonum noctibus ne dicamus, quamquam fortasse Callimachus vs. 175 componens memor fuit versus istius κ. 84 ἔνθά κ' ἄυπνος ἀνὴρ δοιοὺς ἐξήρατο μισθούς) talia iam finxisse posteris hominibus videbatur: cum enim Σ. 239 narrasset Poeta

ἠέλιον δ' ἀκάμαντα βοῶπις πότνια Ἥρη
πέμψεν ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς ἀέκοντα νέεσθαι,

monuit Crates „remoratum esse Solem, *sive Apollinem*, propter favorem erga Troianos." Nonne idem Sol μ. 383 minitatus erat:

„δύσομαι εἰς Ἀΐδεω καὶ κ' ἐν νεκύεσσι φαείνω"? [2])

---

[1]) Aptissime Callimachus in suum usum convertit versus quibus Lycophro enarravit rem ceteroquin haud incognitam (vs. 575)

Ἰνωποῦ πέλας
Αἰγύπτιον Τρίτωνος Ἵλκοντες ποτόν.

[2]) Solem, Atridarum cruenta facinora aversatum, retro currum flexisse plus quam semel Euripides memorat (*Or.* 1001; *Iph. Taur.* 816.) — Ovidius *Metam.* IV. 220 Leuconoes amore remorantem Solem cum fingeret — nostrum ni fallor imitatus — antiquiori fabulae, quae ex hesiodeo Catalogo fluxit, hoc adiecisse videtur.

Quod autem ad verba attinet haud sine consilio tam longa utitur expositione poeta. Nam plures simul locos homericos illustrare vult. Primum libera quadam imitatione sequitur *v.* 28 *sqq.*:

αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
πολλὰ πρὸς ἠέλιον κεφαλὴν τρέπε παμφανόωντα,
δῦναι ἐπειγόμενος· δὴ γὰρ μενέαινε νέεσθαι.
ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ δόρποιο λιλαίεται, ᾧτε πανῆμαρ
νειὸν ἄν' ἕλκητον βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον,
ἀσπασίως δ' ἄρα τῷ κατέδυ φάος ἠελίοιο κ. τ. λ.,

at simul locum quem spectabat exornare voluit, idque fecit aliis eiusdem Homeri locis adhibitis. Addit enim novale illud esse quattuor iugerum (σ. 374 „τετράγυον δ' εἴη") quo vs. 179 sq. auditoribus in mentem revocet σ. 371

εἰ δ' αὖ καὶ βόες εἶεν ἐλαυνέμεν, οἵ περ ἄριστοι,
αἴθωνες μεγάλοι κ. τ. λ.

sic occasionem nactus addit, quaenam boves optimae sint habendae: „Στυμφαιίδες, εἰναετιζόμεναι, κεραελκέες αἳ μεγ' ἄρισται", glossam glossa explicans. Nam εἰναετιζόμεναι nihil nisi interpretatio est epitheti obscuri et ἀμφιμαχήτου κ. 19 „βοὸς ἐννεώροιο" de qua voce igitur non adoptat Callimachus eorum opinionem, de quibus Aristoteles agit *h. a.* VI. 21. 3: Ὅμηρόν φασι πεποιηκέναι τινὲς ὀρθῶς ποιήσαντα „ἄρσενα πενταέτηρον" καὶ τὸ „βοὸς ἐννεώροιο"· δύνασθαι γὰρ ταὐτόν. Neque dubito, quin illud κεραελκέες (quae lectio optime a Schneidero defensa est) tamquam interpretamentum sit homerici adiectivi ὀρθοκραιράων, idque adiectivum Callimachus a substantivo κέρας derivaverit. Et eodem tandem versu ubi occurrit „βοῶν ὀρθοκραιράων", inductus stabula indicat voce minus solita κόπρος: Σ. 573

ἐν δ' ἀγέλην ποίησε βοῶν ὀρθοκραιράων·
αἱ δὲ βόες χρυσοῖο τετεύχατο κασσιτέρου τε,
μυκηθμῷ δ' ἀπὸ κόπρου ἐπεσσεύοντο νομόνδε.

In ceteris quoque formas homericas ὤλκα, τέμνειν etc. recte servavit; quod autem forma θεῆται (an θέηται?) usus est, id fortasse documento esse poterit Zenodoteae lectioni *A.* 198 τῶν δ' ἄλλων οὔτις ὄρητο (cf. *A.* 56) eum favisse de qua Aristarchus „ἀγνοεῖ δὲ ὅτι Δωρικὸν γίγνεται". — Novum vero est „τὰ δὲ φάεα μηκύνονται" quod Apollonio (IV. 961) ita placuit imitari: „εἰαρινοῦ μηκύνεται ἤματος αἶσα."

Transitum ad eam partem, qua de urbibus Dianae sacris, de

nymphis et heroinis deae additis dicturus est, facit per formas huic poeseos generi satis familiares:

Vs. 183. *τίς δέ νύ τοι νήσων, ποῖον δ' ὄρος εὔαδε πλεῖστον;*
τίς δὲ λιμὴν, ποίη δὲ πόλις; τίνα δ' ἔξοχα νυμφέων
185 *φίλαο καὶ ποίας ἡρωΐδας ἔσχες ἑταίρας;*
εἰπὲ θεὰ, σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείσω.

De quibus paucis absolvam. Satis enim erit verbo notare formam *φίλαο*, quam hausit Callimachus ex *E.* 61 „*ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη.*" Substantivum *ἡρωὶς* apud Homerum, cui heroïdes eo sensu quo noster hic eas dicit incognitae erant, frustra quaeras; Pindarus vero iam *Pyth.* XI. 11 *ἡρωΐδας* memoravit; eodem fere sensu quo apud illum Melia quae Apollini Ismenium peperit heroïs dicitur, eodem Callimachus nunc Cyrenen (cf. vs. 206) *ἡρωΐδα* vocat.

Vs. 187. *νήσων μὲν Δολίχη, πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργη,*
Τηύγετον δ' ὀρέων, λιμένες γε μὲν Εὐρίποιο·
ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτυνίδα φίλαο νύμφην,
190 *ἐλλοφόνον Βριτόμαρτιν ἐύσκοπον· ἧς ποτε Μίνως*
πτοιηθεὶς ὑπ' ἔρωτι κατέδραμεν οὔρεα Κρήτης.

Licet verba quemadmodum exscripsi — Schneiderum secutus, nisi quod *κατέδραμεν* restitui pro quo vir egregius coniecerat „*καὶ ἕδραμεν*" — nihil habeant quod magnopere offendat, admodum tamen verisimile videtur mihi vs. 189 quo accuratius versui 184 respondeat, non legendum esse *νύμφην* verum *νυμφέων*. Ceterum non opinor voluit poeta lectoribus persuadere nullam inter insulas cariorem deae fuisse quam Dolichen, nullam Pergae urbi anteposuisse eam, at ea ratione usus est genetivis *ὀρέων* etc. qua notissima illa „*δῖα γυναικῶν*", „*δῖα θεάων*" olim Homerus dixerat, vel praestantem forma „*εἶδος ἀρίστην*" quandam mulierem praedicaverat, veluti *Γ.* 124 (cf. *Z.* 252)

Λαοδίκην Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην·

ad quem versum Aristarchus quoque attendit. Is enim ad *N.* 365, ubi eodem modo honoris causa indicaverat Homerus Cassandram, adnotaverat „*νῦν μὲν τὴν Κασσάνδραν εἶδος ἀρίστην, ἐν ἄλλοις δὲ τὴν Λαοδίκην, καὶ οὐ μάχεται.*

Loca ipsa raptim peragit poeta, ad alia propiora festinans; nam in animo habet, mythis aetiologias ex more suo interponens, historiam enarrare Britomartidis sive Dictynnae: eo autem nomine ipsam Dianam coli oportere, neque quod Cretensibus placet, aliam quandam deam Cretae propriam, ei persuasissimum est. Nuncupat

eam Nympham *ἑλλοφόνον* et *ἐύσκοπον*, in quorum epitheto-rum altero quantumvis novaverit, certe ab homerica compositorum ratione non aberravit; altero autem apte ad nympham Dianae gratissimam transtulit cognomen quo olim ipsam deam ornaverat poeta Necyiae λ. 198 „*ἐύσκοπος ἰοχέαιρα*". — Minus fideliter in verbo *πτοιηθεὶς* Homeri consuetudinem servat. Is enim de procis dixerat χ. 298 „*τῶν δὲ φρένες ἐπτοίηθεν*", terrorem igitur indicans ut in verbis σ. 340 „*ἐπέεσσι διεπτοίησε γυναῖκας*". Ad amoris autem agitationem indicandam postquam quodam modo praeiit Hesiodus de aratore adolescentulo questus (*Opp.* 447),

„*κουρότερος γὰρ ἀνὴρ μεθ' ὁμήλικας ἐπτοίηται*",

lyricis atque tragicis acceptissimum factum est. Notae rei exempla afferre inutile videtur.

Vs. 192. *ἣ δ' ὁτὲ μὲν λασίῃσιν ὑπὸ δρυσὶ κρύπτετο νύμφη,*
ἄλλοτε δ' εἰαμενῇσιν· ὃ δ' ἔννεα μῆνας ἐφοίτα
παίπαλά τε κρημνούς τε καὶ οὐκ ἀπέπαυσε διωκτὺν,
195 *μέσφ' ὅτε μαρπτομένη καὶ δὴ σχεδὸν ἥλατο πόντον*
πρηόνος ἐξ ὑπάτοιο καὶ ἔνθορεν εἰς ἁλιήων
δίκτυα, τά σφ' ἐσάωσαν· ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
νύμφην μὲν Δίκτυνναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσιν· ἀνεστήσαντο δὲ βωμοὺς
200 *ἱερά τε ῥέζουσι, τὸ δὲ στέφος ἥματι κείνῳ*
ἢ πίτυς ἢ σχῖνος, μύρτοιο δὲ χεῖρες ἄθικτοι.
δὴ τότε γὰρ πέπλοισιν ἐνέσχετο μύρσινος ὄζος
τῆς κούρης, ὅτ' ἔφευγεν· ὅθεν μέγα χώσατο μύρτῳ,

Quoniam omnino nihil de fontibus Callimachi in hoc Cretensium mytho enarrando constat, caute admodum agendum est in constituendo, quid hic in dictione ipse innovaverit, quid debeat antiquioribus. Hoc sane observabit quivis lector, artem Callimachi fere ad quotidianum sermonem descendere et quasi serpere humi simulac ad usum quendam sive sacrum sive profanum exponendum nominumve originem explicandam se accingat atque earum rerum causa aetiologicam, quam dicimus, narrationem ineat (vide hoc loco vss. 197—203; tum I. 13, 37, 43, 51 etc.). Paucis videamus quaenam contra antiquorum usum, quove ea consilio dixerit poeta. De adiectivi *λάσιος* usu callimacheo iam dictum est supra pag. 67. Hic tantum adiciam, vocabulis *λασίῃσι δρυσὶ* non indicari Homeri quercus *ὑψικόμους*: potius cogitavit Callimachus de arbustis quae Homerus „*δρυμὰ πυκνὰ*" dixerat, Attici vero poetae et *λάσια* et *δασέα*.

Eos igitur sibi sequendos elegens non tamen homerica neglegit. Mox enim vocem Homero propriam *εἰαμενὴ* (num scripserit noster „*εἰαμένη*" in codicum varietate incertum est) adhibuit, plurali forma quae apud Homerum non occurrit, at placuit post Callimachum Apollonio (II. 795). De vocis derivatione sententiam non tulit noster, vim autem vocabulo dedit eam, quae plane conveniebat cum interpretatione grammaticorum in scholiis ad *Δ*. 431; *O*. 631, ii enim non tantum *κάθυγρον* sed etiam *σύμφυτον τόπον* esse voluerunt. Ita Callimachum quoque vocabulum interpretari res ipsa declarat; nam nisi *σύμφυτος* fuisset *τόπος*, nympha latere vix potuit.

Minos autem per novem menses „*ἐφοῖτα παίπαλά τε κρημνούς τε*" vs. 194; ita enim *φοιτᾶν* cum accusativo coniungere Callimachum tragici docuerant qui „*πηδᾶν πεδία*", „*διφρεύειν πέλαγος*" et talia dicere adamabant, — *παίπαλα* vero et *κρημνοὶ* quia eodem redirent, Schneidero videbatur corrigendum esse *κνημούς*. Equidem eam ipsam ob causam quia tantum non idem indicat utrumque vocabulum, nihil mutandum censuerim. Est enim glossographiae callimacheae dignum exemplum. Nam quamquam de significatione adiectivi *παιπαλόεις* satis inter grammaticos constabat, dubium inicere poterat compositum *πολυπαίπαλοι* de Phoenicibus dictum o. 419. Et profecto iniecit nonnullis iam ante Callimachum, quoniam callidum hominem Aristophanes *παιπάλημα* dixerat (*Av.* 430) et in *Nubibus* Socratem Strepsiadi pollicentem induxerat (vs. 260):

„*λέγειν γενήσει τρῖμμα κρόταλον παιπάλη.*"

Et in his locis variabant interpretes, nam in scholiis ad *Aves* l. l. adnotatur „*παιπάλημα· τὸ λεπτὸν ἄλευρον*"; contra ad *Nubium* versum observatum legimus „*παιπάλη· τραχὺς δυσκατάληπτος, ἐπεὶ παίπαλα καλοῦμεν τὰ τῶν χωρίων δύσβατα.*" Haud obscurum igitur quo consilio vocem admodum incognitam *παίπαλα* adhibuerit Callimachus. Voluit docere suos revera extare adiectivum *παίπαλος* ex quo illud *πολυπαίπαλος* esset compositum; simul autem obscuriorem vocem interpretatus adiecit *κρημνοὺς*, solito more doctorum illorum poetarum difficiliori glossae adiciens explicationem adiunctam vocabulo epexegetico „*τε*".

In eodem versu verbo notemus *ἀνέπαυσε* insolite cum accusativo coniunctum, ubi usus verbum medium cum genetivo postulabat, et *διωκτὺς*, quod novicium est sed recte ad normam antiquorum substantivorum verbalium (*βρωτὺς ὀρχηστὺς ἐδητὺς*) formatum, qualia et alibi Callimachus adhibet veluti *γελαστύς* IV. 324.

De vocabuli μέσφα usu callimacheo ita ad IV. 47 et V. 55 disseruit Schneider ut nihil equidem addiderim. Hanc tantum ad nostrum versum suspicionem notabo, μέσφ' ὅτε cum diceret, Callimachum fortasse Homeri exemplo niti sibi visum esse nam τ. 223 (= ω. 310) in parte codicum est μέσφ' ὅτε quod ibi etiam Callimachus forsitan legerit (cf. de voce μέσφα v. Leeuwen *Enchirid.* p. 543). Contra Homeri autem usum peccavit, cum σχεδὸν eodem versu dixit, ut indicaret „paene". Melius homericum morem observavit postea Aristarchus, qui monuit numquam σχεδὸν aliud nisi ἐγγὺς indicare apud Homerum (cf. Lehrs *Arist.* p. 91).

Quod ἥλατο πόντον dixit, neglecto suffixo δε, id non prorsus neglegendum, quia quodammodo imitari videtur noster *M.* 438: ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν (cf. *Π.* 558). Quod si verum est (neque improbabile, nam conclamatus erat locus) apparet Callimachum non stetisse ab eorum partibus qui ἐ-σήλατο ibi legendum censerent. (Ceterum de hoc accusativi usu cf. p. 53).

In ceteris versibus usque ad vs. 201 multo minus diligenter epicae dictionis usum servat. Non solum enim vs. 197 pronominis forma σφε tertiae personae accusativum singularem indicat, tragicos secutus, sed in sequentibus quoque, quotiescunque a vulgato sermone deflectit, tragicorum vocabula epicis anteponit, nam cum tragicis dicit στέφος pro στέμμα et ultima quoque „μύρτοιο δὲ χεῖρες ἄθικτοι" tragoediam sonant. Mittam minora, veluti insolitam dicendi rationem „ὄζος ἐνέσχετο πέπλοισιν".

Raptim in sequentibus (vs. 204—224) heroinas tres quattuorve enumeraturus quae inter Dianae socias amicasve principem teneant locum, ita rem agit ut ceteras paucis absolvat, at in Atalantes laudibus ut in Arcadiae decore diutius remoretur. Versus quibus ceteras memorat vocibus propter dictionem observatu dignis haud abundant; iam sequuntur:

Vs. 204. Οὔπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε, καὶ δέ σε κείνης
Κρηταέες καλέουσιν ἐπωνυμίην ἀπὸ νύμφης.
καὶ μὴν Κυρήνην ἐταρίσσαο, τῇ ποτ' ἔδωκας
αὐτὴ θηρητῆρε δύω κύνε, τοῖς ἕνι κούρη
Ὑψηὶς παρὰ τύμβον Ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου.
καὶ Κεφάλου ξανθὴν ἄλοχον Δηιονίδαο,
210 πότνια, σὴν ὁμόθηρον ἐθήκαο· καὶ δέ σε φασὶ
καλὴν Ἀντίκλειαν ἴσον φαέεσσι φιλῆσαι.
αἳ πρῶται θοὰ τόξα καὶ ἀμφ' ὤμοισι φαρέτρας

ἰοδόκους ἐφόρησαν· ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι
δεξιτεροὶ καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός.

Primo versu consulto in cognomine deae tam obscuro quam notissimo ludit poeta. Non enim nomen Upin ipsamque deam externae originis esse concedit, et Letoidi vindicandum esse cognomen interpretatione indicat, *οὔπις* disertis verbis docens nihil esse nisi *ὦπις* sive *εὐῶπις*. Tum sequenti versu *Κρηταέες* quam *Κρῆτες* scribere maluit, qua in re eum secutus Apollonius Rhodius I. 1129 *Κρηταιέες* scripsit. Parvi fortasse momenti hoc dixeris, quandoquidem in magna nominum propriorum varietate vix constat ipsius Callimachi id esse inventum. Sed gravius paulo, quamquam non summae audaciae, est „*ἑταρίσσαο*" (vs. 206) cuius verbi forma media semel apud Homerum occurrens (*N.* 456) difficultatem quandam habere videbatur Alexandrinis; Aristarchus enim diplen appinxit ut moneret dictum esse „*ἀντὶ τοῦ σύνεργον λάβοι*". Ceterum, alio sensu quam quo medium apud nostrum, iam activum adhibitum videbis *hymn. hom. in Venerem* vs. 96 de Gratiis:

αἵ τε θεοῖσιν
πᾶσιν ἑταιρίζουσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Vs. 207 canes dicit *θηρητῆρε*. Ex qua forma efficias *Λ.* 325 habuisse nostrum in codicibus suis „*ἐν κυσὶ θηρητῆρσι*": variabant enim libri inter *θηρευτῆσι* et *θηρητῆρσι*, apud nostrum autem neque *θηρευτὴρ* occurrit neque *θηρευτής*; verum ut hoc loco *θηρητὴρ* item de cane *θηρήτειρα* legitur IV. 230. — Neque minus fideliter servasse leges homericae dictionis sibi videbatur cum diceret „*ἔμμορ' ἀέθλου*". Nos vero non dubitabimus quin solemni aequalium suorum errore formam *ἔμμορε* tribuerit aoristo; quod tamen attinet ad sensum verbi memor fuit homerici „*ἔμμορε τίμης*", nam nostro loco sive a masculino *ἄεθλος* sive a neutro *ἄεθλον* derivandum est (cf. p. 76), ipsa Homeri imitatio arguit hoc voluisse poetam: *victoriam adepta est* [1]).

Vs. 210 *δμόθηρον* Dianae Procrin nuncupat, novum vocabulum fingens pro vulgato *σύνθηρος* non admodum homericum. Rara enim in Iliade et Odyssea sunt eiusmodi vocabula, quale est *δμότιμος*,

[1]) Quod tantum moneo propter STUDNICKZAE verba (Rosch. *Mythol. Lex.* II. 170) „der *ἆθλος* <ist> nicht wie Meineke wollte ein (unerhörter) Jagdagon bei den Leichenspielen des Pelias sondern, wie allgemein anerkannt, *eben nur der Löwenkampf*." Cui ut libenter assentior, de pugna cum leonibus hic egisse Callimachum, ita nego voce *ἀέθλου* ipsum certamen eum indicare voluisse; „*ἀέθλου ἔμμορε*" non est *certamen iniit*, verum *victoriae praemia adepta est*.

at in *hymno homerico in Apoll.* 199 ipsa Diana audit δμότροφος Ἀπόλλωνος.

Vs. 212 θοὰ τόξα dicens non Homeri sed tragicorum artem aemulatur: τόξα enim epitheto ornat quod sagittis tantum convenit [1]). Aeschylus cum *Prometh.* 711 ἑκηβόλον dixit τόξον (cf. Pind. *Ol.* IX. 9) arcum tamen adiectivo ornavit quod ad ipsum arcum referri potest; notum quoque est, τόξα nonnumquam apud antiquos *sagittas* indicare (Eurip. *Ion.* 524 „πρὶν εἴσω τόξα πνευμόνων λαβεῖν") at mire rem confudit Callimachus cum ipsum arcum suo nomine τόξον dicens tamen adiectivo ornaret tali, quod non nisi ad sagittas apte pertineret (cf. χ. 83 θοὸν βέλος). Arcum autem neque sagittas intellegi et ipsa res monet et Homeri versus quem exemplum habuit (*O.* 443)

τόξον ἔχων ἐν χειρὶ παλίντονον ἠδὲ φαρέτρην
ἰοδόκον (cf. φ. 11).

In diversissimas partes abierunt interpretes disputantes de sequentibus „ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι δεξιτεροί". Quorum varia conamina merito improbat Ianius (p. 63), tam Ernestii „ἀσύλητοι" (*inviolabiles*) quam Ungeri „ἀθήλυντοι" ac Schneideri „ἀσαύλωτοι" (*non emolliti*) reiciens „*quod non spectant habitum, vestitum nympharum, de quo sermo est et in antecedentibus et in sequentibus*". Tum novam emendationem ipse proposuit „ἀθύλωτοι" i. e. *sine pharetra*, cf. Hesych. *i. v.* θυλλίς; quibus verbis tamquam in parenthesi positis, Callimachus viro docto videtur docere voluisse, venatrices illas *laevo humero, non dextro* gestasse pharetras. Non diffiteor hanc emendationem, quamvis facilem, minime probabilem mihi videri. Licet enim recte qui ἀπέδιλος est ἀπεδίλωτος dici possit, aut φιάλη ἀπύρωτος quae numquam igni admota sit, vehementer tamen dubito num umquam quisquam ἀθύλωτον ὦμον dixerit humerum *a quo* pharetra *non penderet*. Accedit quod mire, si acceperis Ianii emendationem inter se cohaereant aut potius non cohaereant haecce „ἀμφ' ὤμοισι φαρέτρας ἰοδόκους ἐφόρησαν καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός". Et id ipsum opinor coget nos assentiri iis qui contendant eo adiectivo de quo omne geritur bellum, nihil indicari nisi hoc: tam humeros dextros *denudatos* gestasse virgines quam alteram mammam. Quamquam autem quid scripserit poeta, non dispicimus, certum nobis videtur adiectivum a *vestis* nomine derivatum latere, veluti ἀχλαίνωτοι (cf. Lyc. 1347) ἀλίνωτοι vel tale quid.

---

[1]) Cf. quae pag. 77 ad III. 113 „χερόεις ὄχος" observata sunt.

Vs. 215. *ἤνησας δ' ἔτι πάγχυ ποδορρώρην Ἀταλάντην*
κούρην Ἰασίοιο συοκτόνον Ἀρκασίδαο,
καί ἑ κυνηλασίην τε καὶ εὐστοχίην ἐδίδαξας.
οὔ μιν ἔτι κλητοὶ Καλυδωνίου ἀγρευτῆρες
μέμφονται κάπροιο (τὰ γὰρ σημήια νίκης
220 *Ἀρκαδίην εἰσῆλθεν, ἔχει δ' ἔτι θηρὸς ὀδόντας),*
οὐδὲ μὲν Ὑλαῖόν τε καὶ ἄφρονα Ῥοῖκον ἔολπα,
οὐδέ περ ἐχθαίροντας ἐν Ἄιδι μωμήσασθαι
τοξότιν· οὐ γάρ σφιν λαγόνες συνεπιψεύσονται,
τάων Μαιναλίη νᾶεν φόνῳ ἀκρώρεια.

Iterum novasse aliquid videtur cum „ποδορρώρην" Atalanten dixit [1]), quod valde dubito num formatum sit a Callimacho e substantivo *ποὺς* et adiectivo *ῥωρὸς*, quae fuit Mauricii Schmidtii opinio a Schneidero commendata. Non enim video quo iure reiciamus interpretationem quam affert Etym. Magn. p. 678. 29: „*ποδορρώρη ἐπώνυμον Ἀταλάντης παρὰ τὸ ποὺς καὶ τὸ ὀρούειν*". Cum callimacheae artis ingenio quam maxime convenit haec componendi ratio. Ut Homerus substantivum *ποὺς* cum radice verbi *ἀρκεῖν* componens formaverat *ποδάρκης*, ita aequo iure noster sibi videbatur *ποδορρώρην* dicere posse ut indicaret eam virginem quae ab Hesiodo (fr. 40 *Kink.*) vocata erat „*ποδώκης δὶ' Ἀταλάντη*". Quod autem a perfecto *ὄρωρα* adiectivum suum formavit, id non mirum est; nam obversabatur ei homericum illud „*καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ*" (*I.* 610; *K.* 90; *σ.* 113). Aptius profecto poeta nescio quis (*Anthol.* XV. 27. 8) *ὀρσίποδας* dixit *ἐλάφους*.

Vs. 217 *κυνηλασίην* exquisitius se dicturum putabat pro magis cognito substantivo *κυνηγεσίη*, at *εὐστοχίην* debet Euripidi qui eiusdem Dianae celebraverat *εὐστοχίαν* in *Iphigenia Taur.* vs. 1239. — Deinde vs. 218 Homerum simul respexit et tragicos; nam cum Calydoniae venationis socios „*κλητοὺς ἀγρευτῆρας*" dixit, in voce *κλητὸς* spectavit homericorum *ἐπικούρων* notum epitheton: „*κλητοὺς ἐπικούρους*" igitur legisse, idque interpretatus esse „*τοὺς κεκλημένους*" videtur. Simul vero in mente haerebat ei memoria Euripidis. Eosdem enim viros *ἐπιλέκτους* quos Homerus *I.* 544 *θηρήτορας* dixerat, noster *ἀγρευτῆρας* nunc vocat, quia Calydoniae venationis mentione facta Euripidei Meleagri recordatur et versus illius, cuius lusu etymologico non potuit non delectari (Euripid. fr. 521):

[1]) Ex verbis „*ἤνησας ἔτι πάγχυ*" apparet Callimachum quoque vocem homericam ab adiectivo *πᾶς* derivare, atque solum casu factum ei videri, quod plerumque in malam partem ab Homero usurpatum sit.

Μελέαγρε, μελέαν γάρ ποτ' ἀγρεύεις ἄγραν. [1])

Cum antiqua dictione epica aut „*μέμφονται κάπροιο*" aut „*σημήια νίκης*" convenire, ne ipse quidem Callimachus putabat [2]): verum homericis consulto addere recentiora, id necesse erat doctissimo homini, quia nolebat istis poetis se similem videri, qui semper et ubique homerica decantantes nihil admitterent nisi quod homericum esset. Spernit eos noster et odit, eorumque exagitat imitationes cum exclamat: „*ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν.*"

Tamen apud nostrum quoque Homeri, cuius si non artem, attamen verba in succum et sanguinem receperat, locutiones usque recurrunt. Vs. 222 iam non *μέμψασθαι* dicit sed *μωμήσασθαι*, quod eodem sensu adhibuerat Homerus *Γ.* 412 „*Τρῳαὶ δέ μ' ὀπίσσω μωμήσονται*", item homerico more verbo *ἐχθαίρειν* utitur et verbo *ἔλπεσθαι* opinandi non sperandi vim tribuit, ut Homerus *H.* 199

ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ νήιδά γ' οὕτως
ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

In qua re leve est quod perfecto *ἔολπα* ad opinionem indicandam utitur, qua ratione in homericis eam formam adhibitam non invenimus.

Casui opinor debetur, quod *τοξότις* (vs. 223) in homericis non occurrit, *τοξότης* enim *Λ.* 385 et *τοξευτὴς Ψ.* 850 legitur; at non casu factum putaverim, ut noster cum *ilia* volebat indicare vocabula vere homerica *λαπάρην* et *κενεῶνα* reiceret (cf. V. 6, 88) et *λαγόνας* praeferret. Tragicorum quam Homeri exemplum nunc sequi maluit, quia homericum vocabulum utrumque, usu nimis vulgare factum, displicebat. Ducebat fastidiosum poetam in hac re idem pudor qui suadebat ut in hymnis uterum *κόλπον* diceret. Deinde autem ubi *λαγόνων φόνῳ* non *αἵματι* manasse Arcadiae montes narrat, tragicorum inprimis morem sequitur neque tamen Homero incognitum (cf. *Λ.* 610; *K.* 298 et Martis epitheton *μιαιφόνος*). Simul vero consulto „*νᾶεν φόνῳ*" dixit noster ut quam accuratissime ad exemplum homericum applicaret verba quibus ipsum exemplum in mentem auditoribus vocaret. Ut enim hic *νᾶεν φόνῳ ἀκρώρεια* ita olim in Polyphemi antro *νᾶεν δ' ὀρῷ ἄγγεα πάντα* (*ι.* 222). Videbatur igitur Callimacho verbum *νάειν* quod in prae-

[1]) De substantivi *ἄγρη* usu vide ad IV. 228.

[2]) Quod *μέμφεσθαι* apud Homerum non occurrit casui debetur. Legitur enim *ἐπιμέμφεται Λ.* 55; *B.* 225, alibi. Substantivo *σημεῖον*, quod homericum non est, Attici poetae alio fere sensu utuntur.

senti tempore α correptum habere in homericis solebat (cf. ζ. 292; Φ. 197), paenultimam in imperfecto habuisse (aut servasse) longam, et νᾶεν, non ναῖεν iustam imperfecti esse formam. De qua re tam prorsus non constabat doctorum hominum opinio, ut Apollonius Rhodius utramque formam probare mallet, quam alteram alteri praeponere (cf. I. 1146; III. 224), Aristarchus formae ναῖον faveret, analogia verbi καίειν fortasse ductus. Cuius iudicium probat Apollonius Sophista (p. 114. 20, cf. Ludw. *Arist.* I. 574.) improbat scholiasta Apollonii Rhodii; et usque ad nostros dies dissentiunt viri docti.

Iam urbes celebraturus eas quae extra Arcadiam nemorum custodem Dianam variis colunt cognominibus, ultimam hymni partem orditur hisce versibus:

Vs. 225. πότνια, πουλυμέλαθρε, πολύπτολι, χαῖρε Χιτώνη,
Μιλήτῳ ἐπίδημε. σὲ γὰρ ποίησατο Νηλεὺς
Ἡγεμόνην, ὅτε νησὶν ἀνήγετο Κεκροπίηθεν.

In qua invocatione si πουλυμέλαθρος ipsius est Callimachi inventum (adamant enim poetae posteriores epitheta cum πολυ- composita semperque augent), fatendum est minus apte fecisse eum quam Theocritum qui (XV. 109) Aphroditen his verbis invocaret „πολυώνυμε καὶ πολύναε", nam parum usitatum erat de templis vocabulum μέλαθρον, quod de regum domibus frequentius a tragicis dicitur (cf. tamen Pind. *Pyth.* V. 40 et infra ad II. 2). [1])

Ἡγεμόνην vero si quis tamquam minus solitam formam et neglegentiae fortasse debitam carperet, minime concederet Callimachus, qui nihil agebat nisi ut eo nomine lectorem commonefaceret unde haec dea venisset Miletum, in qua urbe tantummodo *advena* est, ἐπίδημος. Ita enim accipiendum est hoc adiectivum quamquam aliam vim obtinuerat apud Homerum (α. 194; 234). Callimacho ea dea ἐπίδημος est quae aliunde veniens „ἐπιδημεῖ Μιλήτῳ"; fere eadem ratione post Apollonius Rhodius, qui I. 95 a nostro formam Κεκροπίηθεν sumsit, I. 827 „στρωφᾶσθ' ἐπιδήμιοι" dixit, ipseque noster „Φοίβου ἐπιδημήσαντος" de deo (II. 13) qui aliunde in templum sibi dedicatum, ut aliquamdiu ibi moraretur, advenit. Unde vero Diana advenerit Miletum epitheton Ἡγεμόνη luculenter ostendit: nusquam frequentior Ἡγεμόνης cultus quam in Arcadia. De ipso autem cognomine quidquid nostrae aetatis mythologi iudicant, id quidem constat ex nostro versu, Callimachum, ab

[1]) De Dianae epitheto Χιτώνη dictum est supra pag. 41.

omni mysticismo semper alienum, non dubitasse quin *dux* et *comes* itinerum eo nomine indicaretur.

Eiusdem deae ex hymnographorum consuetudine cumulat cognomina in sequentibus:

Vs. 228. *Χησιὰς, Ἰμβρασίη πρωτόθρονε, σοὶ δ' Ἀγαμέμνων*
πηδάλιον νηὸς σφετέρης ἐγκάτθετο νηῷ,
230 *μείλιον ἁπλοΐης, ὅτε οἱ κατέδησας ἀήτας,*
Τευκρῶν ἡνίκα νῆες Ἀχαιΐδες ἄστεα κήδειν
ἔπλεον ἀμφ' Ἑλένῃ Ῥαμνουσίδι θυμωθεῖσαι.

Multa, quibus mythos cultumque Dianae doctissime his versibus tractat vel verbo tangit, nunc silentio sunt praetereunda. Id tantum notabo non inconsulte Callimachum πρωτόθρονον dixisse Samiam deam. Nam in templo Ephesiacae Dianae, ad cuius laudes hi versus tamquam exordii loco sunt, ara dedicata erat Rhoeci Samii arte perfecta, cuius arae erat titulus „Ἀρτέμιδος πρωτοθρόνου" (Paus. X. 38. 6). — Haud minus erudite vs. 232 Helenen *Rhamnusiam* nuncupans antiquam eius genealogiam lectoribus revocat in memoriam (*Cypr.* fragm. 24, 6)

„τήν ποτε καλλίκομος Νέμεσις τέκε θαῦμα βροτοῖσι". [1])

Versus 229 ni fallor documento est, plura quam quorum notitia ad nos pervenerit Troiani belli sacra monumenta Callimachi aetate culta fuisse, qualia memorat Pausanias (IX. 19. 7) „πλατάνου, ἧς Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι (*B.* 305) ἐποιήσατο μνήμην, τὸ ἔτι τοῦ ξύλου περιὸν φυλάσσουσιν ἐν τῷ ναῷ (in aede Dianae Aulidensis) .... δείκνυται δὲ καὶ ἡ πηγὴ παρ' ἣν ἡ πλάτανος ἐπεφύκει, καὶ ἐπὶ λόφου πλησίον τῆς Ἀγαμέμνονος σκηνῆς οὐδὸς χαλκοῦ", quibuscum componi possunt reliquiae eius navis quam olim voverat Theseus ad Demetrii usque tempora servatae (cf. Call. IV. 315). [2]) Vocat autem id gubernaculum Callimachus „μείλιον ἁπλοΐης" quamquam eo sensu usque ab Homero (κ. 217) dicere solebant poetae μείλιγμα, μειλίγματα. Quo verisimile fit nostrum in Iliadis versu *I.* 147 non id legisse quod Aristarchus deinde praetulit „ἐγὼ δ' ἐπιμείλια δώσω" at praepositionem a substantivo seiunxisse, tum interpretationi favisse posthac ab Apollonio Sophista (*Lex.* 110. 9) prolatae, qua nititur Schol. ad *I.* 147 „μείλια δέ εἰσιν οἷς μειλίσσονται τοὺς ἄνδρας". Rhodium

[1]) Videtur igitur Callimachus ea ratione cum Helenen „Rhamnusiam" diceret ut Nemeseos filiam eam esse indicaret, oppugnasse Lycophronis „Θυιάδα Πλειρωνίαν" (*Alex.* 114).

[2]) De pronominum σφέτερος et ὑμέτερος usu vide infra ad IV. 213.

poetam in hac quoque re assentientem habuit. Is enim, quamquam aliis locis aliam vim ei substantivo tribuens (cf. III. 146; 135), IV. 1548 Callimacho suffragatur, ipsa praepositionis collocatione opinionem suam indicans:

κέκλετ' Ἀπόλλωνος τρίποδα μέγαν ἔκτοθι νηὸς
δαίμοσιν ἐγγενέταις νόστῳ ἔπι μείλια θέσθαι.

Iterum eodem versu ad Homeri dictionem minus solitam attendit verbis „*κατέδησας ἀήτας*". Is enim cum solet genetivum casum *ἀνέμων* (Ξ. 254; *O.* 626) vel *Ζεφύροιο* (*δ.* 567) substantivo *ἀήτας* adicere, sed verbum *καταδεῖν* cum *ἀνέμων κελεύθοις* coniungere (*βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα κ.* 20, cf. *ε.* 383), noster verbo *καταδῆσαι* obiectum dedit *ἀήτας*, cui substantivo neque hic neque IV. 318 „*ἀνέμων*" addit memor loci *ι.* 139

εἰς ὅ κεν αὐτῶν
θυμὸς ἐποτρύνῃ καὶ ἐπιπνεύσωσιν ἀῆται.

Paulo maiore licentia usus est in sequenti versu. Leve est quod „*ἀμφ' Ἑλένῃ θυμωθεῖσαι*" dixit, quod verbum Homero incognitum conferri potest cum *Ψ.* 88: „*ἀμφ' ἀστράγαλοισι χολωθείς*" cum simul cetera verba revocant *Γ.* 70 „*ἀμφ' Ἑλένῃ καὶ κτήμασι πᾶσι μάχεσθαι*". — Verum hostes qui urbes adgrediuntur *ἄστεα πέρσαι* apud Homerum solent, non *ἄστεα κήδειν*. Neque tamen dubium, quin Callimachus exemplum sibi hoc loco proposuerit Homerum. Audacius enim coniunxit „*ἄστεα κήδειν ἔπλεον*" quia eadem constructione verborum usus ei videbatur Homerus *Φ.* 369

Ἥρη, τίπτε σὸς υἱὸς ἐμὸν ῥόον ἔχραε κήδειν.

Ita denuo noster verbum homericum notissimum minus vulgato sensu et tamen homerico usurpare studet. (cf. *ψ.* 9) [1]).

Vix quidquam propter dictionem memorabile occurrit in versibus quattuor sequentibus cum, iamiam ad laudes clarissimae Deae Ephesiacae transiturus Arcadiae cultus postremum respicit:

Vs. 233. *ἦ μέν τοι Προῖτός γε δύω ἐκαθίσσατο νηούς,*
ἄλλον μὲν Κορίῃ [2]), *ὅτι οἱ συνελέξαο κούρας*
235 *οὔρεα πλαζομένας Ἀζήνια, τὸν δ' ἐνὶ Λούσοις*
Ἡμέρῃ, οὕνεκα θυμὸν ἀπ' ἄγριον εἵλεο παίδων.

De forma *ἐκαθίσσατο* iam vidimus supra pag. 33, quod autem dixit poeta *οὔρεα πλαζομένας* tragicorum inprimis usum secutus qui

[1]) De forma substantivi *Ἀχαιίδες* vide infra ad IV. 100.

[2]) *Κορίῃ* summo iure pro genetivo *Κορίης* coniecit Blomfield, tamen Schneiderus in textum non recepit. Idem proposuit Valckenaerius in schedis.

saepissime tam verba quae sedendi quam quae eundi notionem habent cum accusativo coniungunt, de ea re conferri possunt quae dixi ad III. 193. p. 95.

Sequitur locus, si rem spectas et mythologiam, difficillimus, et ne dictionem quidem tractantibus facilis. Variis coniecturis temptatos versus ita exscribam ut legendi mihi videntur:

Vs. 237. σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι
ἦν ποτε παρραλίῃ Ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο
φηγοῦ ἐνὶ πρέμνῳ· τέλεσεν δέ τοι ἱερὸν Ἱππῶ,
240 αὐταὶ δ' Οὔπι ἄνασσα, περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
στησάμεναι χορὸν εὐρὺν, ὑπήεισαν δὲ λίγειαι
λεπταλέον σύριγγες, ἵνα ῥήσσωσιν ὁμαρτῇ,
(οὐ γάρ πω νέβρεια δι' ὀστέα τετρήναντο,
245 ἔργον Ἀθηναίης, ἐλάφῳ κακόν)· ἔδραμε δ' ἠχὼ
Σάρδιας ἔς τε νομὸν Βερεκύνθιον· αἳ δὲ πόδεσσιν
οὔλα κατεκροτάλιζον, ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι.

Multa de his versibus dicenda erunt. Et primum quidem de Amazonibus quid iudicaverit Callimachus investigare non est huius loci, quod vero eas πολέμου ἐπιθυμητείρας dicit, ad homericam interpretationem id pertinere inde lucide apparet quod consulto novam vocem pangit ut ad Ἀμαζόνας ἀντιανείρας (Z. 186) sonorum similitudine magis alludat. Epitheto autem novo illo demonstrat cuinam homerici adiectivi interpretationi faveat: non enim, ut postea Aristarchus, interpretatur „ἰσάνδρους", verum cum ceteris „τὰς ἀντιαζούσας οἷον ἐναντιουμένας ἀνδράσιν" (cf. Apollon. 31. 17); inter quos erat Apollonius Rhodius qui — etiam cum Callimacho formam Ἀμαζονίδας adhibens II. 987 — easdem (II. 991) φιλοπτολέμους appellat κούρας. Et hac significatione acceptum esse Homeri versum ab antiquioribus quoque poetis, tum Aeschyli „στυγάνωρ" (*Prometh.* 724) ostendit, tum is usus adiectivi ἀντιάνειρα quem habemus in Pindari *Pyth.* XI. 17, ubi dicitur „στάσις ἀντιάνειρα."

In sequenti versu codicum quorundam lectionem „ἔν ποτε" recipiendam duco quamvis reclamante Schneidero, qui ipse ἐγκυτὶ haud feliciter coniecit; firmari lectionem „ἔν ποτε" arbitror Dionysii imitatione (*Perieg.* 826), quos versus quia in ceteris quoque respiciendi erunt, totos exscribam:

τάων ἀμφοτέρων γε βορειοτέρην ἐσίδοιο
παρραλίην Ἔφεσον, μεγάλην πόλιν ἰοχεαίρης,

ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τετύκοντο
πρέμνῳ ἔνι [1]) *πτελέης περιώσιον ἀνδράσι θαῦμα.*

Frustra, quidquid de versu Z. 92 (303) iudicabat, Callimachus ab Homero nomen petiturus erat quo *deae statuam* significaret. Ideo Amazonas „*βρέτας ἱδρύσασθαι*" dixit, a tragicis vocabulum mutuatus, idque optime, quoniam eo substantivo cum ceterae statuae tum praesertim antiquissima *ξόανα* solent indicari. Fuisse autem *ξόανον* antiquum illud signum Dianae Ephesiacae, id non dubium erat Callimacho, licet ne verbo quidem indicet num *διοπετὲς* quoque fuisse censeat. — Ubi vero sacrum illud deae simulacrum posuerunt? Si codicibus credas „*φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ*" quod nihili est, sin audias HECKERUM (*comm. crit. de Anth.* I. p. 129) „*φηγῷ ὑπ' εὐπρέμνῳ*". Suspecta quamvis ingeniosa emendatio eo fit quod non videmus, quid tandem attineat quercum fuisse „*εὔπρεμνον*" sub qua signum erexerunt Amazones. Prorsus itaque abundat illud adiectivum.

Verum, ni fallor, Amazones in quercus umbra sub frondis tegmine statuam collocasse non putabat noster. Non enim qua erat eruditione ignorabat, quid iam Hesiodus narrasset de Iovis simulacro antiquissimo, Dodonae *in sacra arbore* condito: „*ναίει δ' ἐνὶ πυθμένι φηγοῦ*" (Hesiod. *fragm.* 156 Rzach.). Ipsa vero haec Diana quanta religione *Cedreatis* nomine ab Orchomeniis coleretur, id Callimachum non novisse putemus? Narrat de hac dea Pausanias (VIII. 13, 2) „*πρὸς δὲ τῇ πόλει ξόανόν ἐστιν Ἀρτέμιδος· ἵδρυται δ' ἐν κέδρῳ μεγάλῃ καὶ τὴν θεὸν ὀνομάζουσιν ἀπὸ τῆς κέδρου Κεδρεᾶτιν.*" Antiquissimum hunc usum spectantem Callimachum nostro quoque loco, pro hesiodeo *ἐνὶ πυθμένι φηγοῦ* dedisse *φηγοῦ ἐνὶ πρέμνῳ* tantum non certum putaverim, idque eo magis quoniam id quoque suadere videntur Dionysii versus quos modo laudavi, quamquam docte a Callimacho discrepat Periegetes et in genere arboris et in sacro sive signo sive sacello quod vovissent Amazones.

Ceterum fert ipsa res, ut in hac parte saepius cum antiqua epica dictione poeta misceat recentiora: ita *βρέτας* dixit, ita sequenti versu a tragicis desumit *τελεῖν ἱερὸν* (cf. Eur. *Bacch.* 385), quo sanctiorem usum ni fallor voluit indicare quam qui indicetur homerico „*ἱερὰ ῥέζειν*", ita quoque *πρύλιν* dicit „*ἐνόπλιον*" quia „*ἐν σακέεσσι*" eam Amazones saltabant. Quae verba quanta iniuria expunxerint critici, sive „*ἐν στοίχοισιν*" cum Ungero, sive „*ἐν στιχέεσσιν*" cum Schneidero legi iubentes, Nonni versus docebit (*Dionys.* XIV. 28)

---

[1]) Ita enim recte iam Matthiae ex Cod.

„Ζῆνα φερεσσακέεσσιν ἐμιτρώσαντο χορείαις".

Attulit hunc locum de Ian p. 29, idem autem vir doctus optime p. 104 disputans de nostris versibus, adducto Homeri Σ. 569 *sqq.* quem locum accurate sequitur Callimachus, luculenter demonstravit vs. 243 ubi codices πλήσσωσιν aut πλίσσωσιν exhibent, ex Homero reddendum esse Callimacho ῥήσσωσιν quod unice loco convenit. Ex isdem Homeri versibus iam Scheer (*l. l.* p. 7 et 12) effecerat, Σ. 570 Callimachum intellexisse cum Zenodoto *λίνον chordas e lino factas* [1]), cum contra Apollonius eadem ratione atque Aristophanes et Aristarchus *cantus genus* id esse vellet (cf. Merkel. *proleg.* ad Apollon. p. CLI). Neque fugit Scheerium ὁμαρτῇ scripsisse Callimachum, Aristarchum vero ἁμαρτή. De his igitur versibus non est quod addam post diligentes Scheerii et Ianii labores. [2])

Versu deinde 244 *sq.* παρενθέτως adicit — relapsus, ut solet in parenthesi, ad aequalium sermonem — pauca verba ut lectores antiquitatis minus peritos moneat, nondum priscis illis temporibus inventas fuisse tibias ex ossibus cervinis fabricatas. In qua adnotatione memoriam certe coluit praeceptoris sui, Philetae, verbis „ἐλάφῳ κακὸν" doctis auditoribus in memoriam revocans eos versus quibus ὀστέα illa νέβρεια indicasset subobscure:

γηρύσαιτο δὲ νεβρὸς ἀπὸ ψυχὴν ὀλέσασα
ὀξείης κάκτου τύμμα φυλαξαμένη,

(cf. Hesych. *i. v.* κάκτος et Ath. II. 71). — Restat ut verbo moneam (nam de vocis οὖλα significatione iam pag. 25 dixi) κατεκροτάλιζον vs. 247 natum quidem esse ex imitatione Homeri Λ. 160: „ἵπποι κεἰν' ὄχεα κροτάλιζον", at Callimachum ex posteriorum temporum usu intransitive verbum adhibuisse, et ita usurpasse ut a nomine κρόταλον derivaret.

Subiunguntur versus de templo Ephesiaco:

Vs. 248. κεῖνο δέ τοι μετέπειτα περὶ βρέτας εὐρυθέμεθλον
δῶμ' ἤρθη· τοῦ δ' οὔ τι θεώτερον ὄψεται ἠώς,
250 οὐδ' ἀφνειότερον· ῥέα κεν Πυθῶνα παρέλθοι.

Vix quisquam hodie extat, quin praeclaram Bergkii emendationem

---

[1]) Hanc interpretationem Callimachum deinde respuisse (quod vult Scheer.) non efficio ex hymn. IV. 304 quoniam ipsum quoque verbum alio ibi sensu accepisse videtur: vide infra ad eum locum.

[2]) De vocis αὖθι usu callimacheo vide pag. 13. Versu autem 246 non cum Schneidero post Σάρδιας interpungendum est, nam praepositio ἐ; ad Σάρδιας quoque pertinet cf. infra ad II. 7.

accipiat, qui pro corruptis verbis „εὐρὺ Θέμειλον δωμήθη" restituit id quod supra scripsi. Nec tamen ab omni parte persuasit Schneidero; is enim cum codicibus plerisque formam εὐρυθέμειλον retinere maluit. Iniuria ni fallor. Accurate enim ceteroquin in hac voce usum homericum observat Callimachus qui II. 15 scripsit

ἑστήξειν δὲ τὸ τεῖχος ἐπ' ἀρχαίοισι Θεμέθλοις

ut Homerus Ξ. 493 „ὀφθαλμοῖο Θέμεθλα", et *P.* 47 „στομάχοιο Θέμεθλα", et ex eorum vocabulorum norma formatum ἔδεθλον II. 72 adhibet [1]). Deminutivi autem formam noverat in homericis secundam syllabam productam habere veluti *M.* 28 „Θεμείλια φιτρῶν καὶ λαῶν" et *hymn. in Apoll.* 254, 294

Ὣς εἰπὼν διέθηκε Θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων

quem versum secutus noster „Θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε" dixit II. 58. Sequiorum autem formas Θέμειλον εὐρυθέμειλος nostro obtrudere iniquum est. Ne quis porro contra Bergkii emendationem id observet, alienum esse ab antiqua epicorum dictione neque in callimacheis occurrere δῶμα eo sensu positum ut νηὸν, *aedem*, indicet, moneo in hymno homerico XXVI quem in multis convenire cum nostro iam saepius vidimus, eadem ratione dictum esse vs. 13

ἔρχεται ἐς μέγα δῶμα κασιγνήτοιο φίλοιο.

Ut vero paulum iam hisce decesserit ab usu homerico, magis ad recentiorum usum accedit cum eodem versu dicit „τοῦ δ' οὔ τι Θεώτερον ὄψεται ἠὼς". Licet enim sescenties Homerus in illis „δεκάτη ἐφάνη ἠὼς" et talibus auroram ita memorat ut fere diem indicare videatur, numquam tamen omnis aurorae notio abest. Nostro contra loco ita dicit Callimachus ὄψεται ἠὼς ut ἡμέρα sive ἦλιος nullo damno substitueris. Initia igitur iam haec sunt eius neglegentiae qua aliquando in Orphicis Argonauticis dicetur „μεσάτη ἠώς" (*Arg.* 652). Ceterum respici hoc loco *I.* 404

οὐδ' ὅσα λάινος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει,
Φοίβου Ἀπόλλωνος, Πυθοῖ ἔνι πετρηέσσῃ,

iam monuit scholiasta. [2])

Vs. 251. τῷ ῥα καὶ ἠλαίνων ἀλαπαξέμεν ἠπείλησε
Λύγδαμις ὑβριστὴς, ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημολγῶν
ἦλασε Κιμμερίων ψαμάθῳ ἴσον, οἵ ῥα παρ' αὐτὸν
κεκλιμένοι ναίουσι βοὸς πόρον Ἰναχίωνης.

---

[1]) De voce ἴδεθλον plura dicentur infra ad IV. 228.

[2]) De forma θεώτερον cf. supra pag. 39.

255 ἃ δειλὸς βασιλέων ὅσον ἤλιτεν· οὐ γὰρ ἔμελλεν
οὔτ' αὐτὸς Σκυθίηνδε παλιμπετὲς οὔτε τις ἄλλος,
ὅσσων ἐν λειμῶνι Καϋστρίῳ ἔσταν ἅμαξαι,
νοστήσειν· Ἐφέσου γὰρ ἀεὶ τεὰ τόξα πρόκειται.

Quantum potest hic sibi indulget noster in Homero imitando, illustrandoque, vel tantum locos obscuriores notando. Nam vs. 251 exquisite ἀπειλεῖν non simpliciter minitandi sensu adhibet, verum ea vi quam habet *N.* 219

ποῦ τοι ἀπειλαὶ
οἴχονται τὰς Τρωσὶν ἀπείλεον υἷες Ἀχαιῶν;

probe enim noverat noster id quod postea docuerunt Grammatici de verbo ἀπειλεῖν (Etym. Magn. 121) „σημαίνει τρία· τὸ καυχῶμαι, ἐπὶ δὲ εὐχῆς, ἐπὶ δὲ ὀργῆς". Eodem autem versu, tamquam epicam dictionem ditare cupiens, a tragicis (Eur. *Orest.* 525 μανίαις ἀλαίνων καὶ φόβοις, cf. Aesch. *Agam.* 82) verbum ἀλαίνειν sumsit, simul tamen ut homericis formis ἠλάσκειν (*B.* 470; *N.* 104) et ἠλασκάζειν (*Σ.* 281) magis conveniret, ᾱ in η̄ mutato ἠλαίνων scripsit. Ita vero ut *B.* 800 Homerus dixerat: „λίην γὰρ φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισι", ita noster ψαμάθῳ ἴσον vocat agmen quod ducit Lygdamis. Eos deinde milites cum dicit στρατὸν ἱππημολγῶν Κιμμερίων admodum dubium est utrum ab eorum parte steterit noster, qui *N.* 5 „ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν" scriberent cum Demetrio, an (quod magis credam) opinatus sit „Ἀγαυῶν ἱππημολγῶν" esse scribendum (cf. Schol. ad *N.* 5). Quoniam autem hoc loco totus est in interpretatione homerica Callimachus, omnino contra Schneiderum vs. 254 κεκριμένοι legi iubentem defendenda est codicum omnium lectio κεκλιμένοι. Quod enim virum doctum offendit, κεκλιμένοι absolute positum, id iam eo defendere fortasse poterat poeta quod *Λ.* 758 ubi nunc (idque recte) editur

καὶ Ἀλεισίου ἔνθα κολώνη
κέκληται

varia olim extabat lectio „κέκλιται" (Etym. Magn. 61. 39). Nec tamen ea defensione usus esset opinor, nam „παρὰ πόρον κεκλιμένοι parum differre ei videbatur ab homericis illis „ἀλὶ κεκλιμένη" (*ν.* 235), aut „λίμνῃ κεκλιμένος Κηφισίδι" (*E.* 709) ad quae propius accedit compositum verbum cum dativo coniungens, IV. 72 παρακέκλιται Ἰσθμῷ.

De ceteris absolvam paucis: revocare enim vs. 255 Homeri ξ. 361, φ. 288, et versu 256 illustrari homericum ε. 27, id monere satis est. Postremis autem versibus duos homericos versus coniungit. Spectant enim *B.* 459—468 et praesertim 461 et 467:

(461) *Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.*
(467) *ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι*

quos coniungens, Scytharum ἁμάξας erudite addidit.

De voce παλιμπετὲς (vs. 256) aptius infra dicetur ad IV. 294. Versu autem 258 *τεὰ τόξα πρόκειται* parum aut eleganter aut accurate dictum esse, quod de clipeo rectius dicatur „*προβέβληται ἡ ἀσπὶς*" iam monuit Cobetus l. l. 437.

Longiore quam hymnorum usus ferebat invocatione Dianae finem tandem hymno imponit:

Vs. 259. *πότνια, Μουνυχίη λιμενοσκόπε, χαῖρε Φεραίη.*
μή τις ἀτιμήσῃ τὴν Ἄρτεμιν· οὐδὲ γὰρ Οἰνεῖ
βωμὸν ἀτιμάσσαντι καλοὶ πόλιν ἦλθον ἄγωνες·
μηδ' ἐλαφηβολίην, μηδ' εὐστοχίην ἐριδαίνειν·
οὐδὲ γὰρ Ἀτρείδης ὀλίγῳ ἐπὶ κόμπασε μισθῷ·
μηδέ τινα μνᾶσθαι τὴν παρθένον· οὐδὲ γὰρ Ὦτος
265 *οὐδὲ μὲν Ὠαρίων ἀγαθὸν γάμον ἐμνήστευσαν.*
μηδὲ χορὸν φεύγειν ἐνιαύσιον· οὐδὲ γὰρ Ἵππῳ
ἀκλαυτὶ περὶ βωμὸν ἀπείπατο κυκλώσασθαι.
χαῖρε μέγα, κρείουσα, καὶ εὐάντησον ἀοιδῇ.

Alexandrinos poetas ne dubitasse quidem de verbo ἀτιμάειν, quod hodie constanter a plerisque editoribus merito expellitur e textu homerico, omnes concedunt. Noster vero his versibus sedulo dat operam ut meminerint lectores utrumque verbum et ἀτιμάειν et ἀτιμάζειν epicae dialecto aeque convenire. Cum enim vs. 260 numerorum quoque similitudine audientibus in memoriam revocasset *I.* 62

μῦθον ἀτιμήσῃ, οὐδὲ κρείων Ἀγαμέμνων, [1])

sequenti statim versu subiunxit alteram formam ἀτιμάσσαντι. Verum eodem versu — ut taceam de accusativo statim cum verbo ἐλθεῖν iuncto (cf. vs. 195) — minus recte quam post eum Aristarchus usum homericum observavit. Cum enim dicit haud καλοὺς ad Oenei urbem venisse ἀγῶνας ulterius progreditur quam sinit antiquae epicae dictionis usus. Nam ne iis quidem versibus, in quibus ἀγῶνα non de *loco* (cf. Aristarch. ad *H.* 298), verum de *ludis* dictum iure accipias, veluti Θ. 259 (κατ' ἀγῶνας ἐὺ πρήσσεσκον ἕκαστα), defendas Callimachum. Saepe talia fecerunt tragici poetae, at Homerus certamen cum apro Calydonio (cf. *I.* 529 *sqq.*) non dicturus fuerat ἀγῶνα.

[1]) Oritur ex hac imitatione suspicio, Callimachum iam eo versu coniunctivum legisse quem iure praeferunt Nauckius et v. Leeuwen.

Rectius spectat leges sermonis homerici noster in verbis ἐλαφηβολίην ἐριδαίνειν. Solet quidem Homerus tam hoc verbum quam ἐρίζειν aut cum ἕνεκα sive περὶ coniungere si rem indicat propter quam certatur (*Λ*. 574 ἕνεκα θνητῶν) aut cum dativo instrumentali ut Ψ. 792 ποσσὶν ἐριδήσασθαι, sed habebat quo se defenderet noster *I*. 389: Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι. — At κομπάσαι (vs. 263) tragicum est vocabulum; neque κόμπος aut κομπεῖν adhibuit Homerus nisi ut sonitum indicaret; et denuo aberrat Callimachus sequenti versu, quamvis enim frequens in Odyssea sit verbum μνᾶσθαι, merito tamen dubites num umquam id adhibuerit Homerus de eo qui non iustum petat matrimonium sed *corrumpere* mulierem studeat ut hic „integrae tentator Orion Dianae". Suspicor tamen spectasse nostrum Odysseae α. 39

μήτ' αὐτὸν κτείνειν μήτε μνάασθαι ἄκοιτιν,

et eo magis adducor ut credam nonnullos in hoc versu corrumpendi vim verbo tribuisse quia apparet ex Scholiis talem interpretationem grammaticos dedisse versus χ. 38

αὐτοῦ δὲ ζώοντος ὑπεμνάασθε γυναῖκα.

Ceterum in sequentibus, ubi nominis forma Ὡαρίων propter Σ. 486 memorabilis est, facile Callimachus adducitur ut substantivum γάμον quoque latiori sensu utatur quam fert usus homericus, in qua re tamen respicit haud dubie „πικρογάμους" procos Penelopes.

Extremis versibus in ἀκλαυτὶ nemo offendat; quamquam enim adverbium apud Homerum non legitur, eodem sensu δ. 494 ille dixerat „οὐδέ σε φημὶ δὴν ἄκλαυτον ἔσεσθαι", quo loco igitur Callimachus ἄκλαυτον legisse videtur neque ἄκλαυστον. Vocem autem κρείουσα quam semel *X*. 48 Homerus adhibuerat (κρείουσα γυναικῶν) primus noster eo sensu quasi dixisset ἄνασσα pro substantivo adhibuisse videtur [1]); neque vero ad κρείουσα trahendum esse puto μέγα, quoniam solemne est in hymni fine „χαῖρε μέγα". Tandem novo verbo neque invenuste formato poeticum sermonem auget εὐάντησον dicens, ut alii „εὐαντὴς ἴσθι", quod et ipsum novicium est et invenitur Apoll. Rhod. IV. 148. Mox secuta sunt εὐάντητος, δυσαντὴς, δυσάντητος.

[1]) Cf. quoque IV. 219.

III.

HYMNUS IN DELUM.

(Hymnus IV.)

Hymno quarto, cui, non longitudine sola excellenti, ipse ni fallor poeta palmam deferebat, quantis potuit laudibus sanctissimae insulae gloriam exornans saepe Callimachus, ab epica narratione ac dictione decedens paulisper, lyricos tragicosque poetas libenter sectatur. Quo fit ut carmen Deliacum, licet ad exemplum homerici in Apollinem hymni compositum, verborum colore ac genere dictionis aliquanto iam longius ab antiqua homerica dialecto remotum sit quam hymnus tertius a quo tamen, si quid video, perbrevi temporis spatio distat [1]). Equidem si in legendo lyricae tragicaeve dictionis exemplum occurret memoratu dignum id non neglegam; praecipue tamen hic quoque ad epicum sermonem attendam.

Ab invocatione solemni [2]) exorsus hisce verbis poeta carmen incohasse mihi videtur:

Vs. 1. *Τὴν ἱερὴν ὦ θυμὲ τὸ νῦν χρόνος εἶποτ' ἀεῖσαι*
Δῆλον, Ἀπόλλωνος κουροτρόφον· ἦ μὲν ἅπασαι
Κυκλάδες, αἳ νήσων ἱερώταται εἰν ἁλὶ κεῖνται,
εὔυμνοι, Δῆλος δ' ἐθέλει τὰ πρῶτα φέρεσθαι

---

[1]) Varia de hac re iudicia exposuit oppugnavitque Ehrlich. l. l. p. 13. Ipse Ehrlichius ad annum 264 hymnum Deliacum detrudens mihi quidem non persuasit.

[2]) Cf. pag. 5 et 45.

5 ἐκ Μουσέων, ὅτι Φοῖβον ἀοιδάων μεδέοντα
λοῦσέ τε καὶ σπείρωσε καὶ ὡς θεὸν ἤνεσε πρώτη. [1]).

Ad homericas imitationes primum attendamus. Delum *Ἀπόλλωνος κουροτρόφον* vocat exemplum sectatus versus homerici ι. 27 ubi Ithaca laudatur „τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος", quem versum respexisse nostrum eo verisimilius est quia versus tertius revocat ι. 25 „αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ πανυπερτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται". Adiectus autem genetivus paulum immutavit sensum adiectivi, apud Homerum generalem. Callimachus *κουροτρόφον Apollinis* dicit insulam quia ἔθρεψε τὸν Ἀπόλλωνα κοῦρον ὄντα, i. e. παῖδα, nam κοῦρος κούρη κουρίζειν apud nostrum nonnumquam infantes spectare vidimus I. 51; III. 5, neque luculentius eius rei extat exemplum quam Latonae ad filium nondum natum exclamatio (IV. 214)

„γείνεο γείνεο κοῦρε, καὶ ἥπιος ἔξιθι κόλπου".

Versus tertii finis documento esse potest, quam religiose poetae epici recentiores tum quoque cum homericarum formarum causas et rationes minus perspicerent, variandae formae licentiam finibus iisdem circumscriptam servarint, intra quos ab Homero adhibitam viderent. Nam praepositionis ἐν forma longior εἰν cum sexies in Callimacheorum reliquiis occurrit, quater invenies in forma solemni εἰν ἁλί (IV. 2; Ep. 19; fr. 50; fr. 209) bis in formula εἰν Ἀΐδῃ (Ep. 5; Ep. 15. cf. Hom. *X.* 389. λ. 211); idem valet de praepositione ὑπὲρ, quam, homericam dictionem secutus, scripsit ὑπειρ fr. 272 ὑπειρ ἅλα, et ὑπείροχος I. 63 [2]).

Ceterum simul cum ipso Homero diligenter hymnum homericum in Apollinem a nostro consultatum esse nemo nescit. Accuratius enim quam versus quem ex Odyssea adduxi convenit cum nostro *hymn. in Apoll.* 38:

καὶ Χίος, ἣ νήσων λιπαρώτατη εἰν ἁλὶ κεῖται,

sumit ex eiusdem hymni exordio (vs. 19) epitheton εὔυμνος et solemnem formulam a qua incipit ille:

μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο

ornat et auget versibus 7 et 8.

Vs. 5. τὰ πρῶτα φέρεσθαι alio sensu dictum ac Ψ. 538 „τὰ πρῶτα

---

[1]) Versum primum ita exscripsi ut emendandum proposui *Mnem.* IX. 1891, p. 69. Uberius de hoc versu iam disseruerat J. VAHLEN. in *progr. Univers. Frid-Guil.* anni 1889; quod programma postea demum in manus pervenit meas. Non tamen concedere possum viro clarissimo legendum esse id quod ipse coniecit: „τὴν ἱερὴν δ' ὑμὶ τίνα χρόνον ἢ 'ς πόλ' ἀείσεις;"

[2]) Cf. infra ad II. 60.

φερέσθω Τυδέος υἱὸς" adnotari satis est; de usu autem vocabulorum μεδέων (vs. 5) et σπειροῦν (vs. 6) iam dictum est supra pag. 43 et 18.

Vs. 7. ὡς Μοῦσαι τὸν ἀοιδὸν, ὃ μὴ Πίμπλειαν ἀείσῃ,
ἔχθουσιν, τῶς Φοῖβος ὅτις Δήλοιο λάθηται.
Δήλῳ νῦν οἵμης ἀποδάσσομαι, ὡς ἂν Ἀπόλλων
10 Κύνθιος αἰνήσῃ με φίλης ἀλέγοντα τιθήνης.

Formam activam ἔχθουσιν si exceperis, e tragoedia desumptam, (passivum Homero cognitum versu 183 adhibet noster), satis accurate per quattuor hosce versus epicus sermo observatur. Adverbium enim τῶς semel atque iterum in homericis occurrit (*B.* 330; *Γ* 215; τ. 234); ἀποδάσσομαι autem quoniam inter rariores formas homericas est, versus sedem nunc servat, quam habuit in Iliade (*P.* 231 ἐνάρων ἀποδάσσομαι). Vocem οἵμης attigi supra pag. 41; verbum autem ἀλέγω, quod III. 31 cum negatione, ut solet, coniunctum vidimus (cf. p. 56) quo sensu Attici „οὐ φροντίζω" dicere consueverant, nunc ita adhibet ut suspiceris eum spectare *I.* 504

„αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ' Ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι",

quem versum tam notissimum quam obscurum ita noster accepisse videtur ut ἀλέγουσι ad Ἄτης referret (cf. schol. LV ad Homeri locum: „ἁμαρτάνοντες γὰρ καὶ βλαβέντες ὕστερον παρακαλοῦμεν, φροντίζομεν δὲ τῶν ὑπὸ τῆς Ἄτης πεπραγμένων.") Sed hac quoque significatione verbum ἀλέγειν cum genetivo iunxit, quamquam in ipso usu verbi satis singulari Pindarum fortasse secutus est, qui *Ol.* XI. 15 dixit „τῶν Ἐπιζεφυρίων Λοκρῶν γενεὰν ἀλέγων."

Vs. 11. κείνη γ' ἠνεμόεσσα, κατάτροπος οἷά θ' ἁλιπλὴξ
αἰθυίης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἠέπερ ἵπποις
πόντῳ ἐνεστήρικται· ὃ δ' ἀμφί ἑ πουλὺς ἑλίσσων
Ἰκαρίου πολλὴν ἀπομάσσεται ὕδατος ἄχνην.
15 τῷ σφε καὶ ἰχθυβολῆες ἁλίπλοοι ἐννάσσαντο.

Schneiderus cum reiectis aliorum coniecturis vs. 11 pro „ἄτροπος" proponentium ἄσπορος ἄτρυγος cett. ipse legi iuberet κατάτροπος (quod recepi), abunde disputavit de vi substantiva adiectivi ἁλιπλήξ. Neque habeo quod addam, nisi quod monere licebit in hac voce, quae pro ἁλίπληκτος (θαλασσόπληκτος θαλασσόκλυστος) dicta est, non accuratissime exempli homerici vim servasse Callimachum, nam homericum βουπλὴξ vim habet activam. Secutus est noster recentiorum libertatem quam testatur Sophocleae fabulae titulus Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ. Conferri poterit, qui plura huius generis tam activa

quam passiva contulit, Hemsterhusius *ad Thom. Mag.* p. 24. —

Sequenti versu adludens ad Minervae de insula Ithaca dictum (*ν.* 242)

ἦ τοί μεν τρηχεῖα καὶ οὐχ ἱππήλατός ἐστι,

(quamquam simul spectavit *hymn. in Apoll.* 54, 55) adiectivum adhibet quod semel eademque versus sede de Iliacis moenibus dixerat Homerus Z. 434 „ἐπίδρομον ἔπλετο τεῖχος".

Versu 13 cum de insula quae tam diu maria pervagata esset „πόντῳ ἐνεστήρικται" dixit, verbo usus est et satis apto et in homericis haud incognito, de quo plura dicentur infra ad II. 23 ubi simplex adhibitum est. Quoniam autem compositum semel tantum Φ. 168 apud Homerum occurrit, elegantiae eruditae laudem captasse videtur noster, oppositione quadam in imitando observata: Homerus enim dixerat „γαίῃ ἐνεστήρικτο".

Eodem versu — nam de nominativo πουλὺς monere supervacaneum (cf. pag. 20) — oppositione πουλὺς-πολλὴν elegantiae studet quam tollere iniuria Ruhnkenius coniectura πολιὴν conatus est, et libertatem homericam sectatur atque auget, cum verbo ἑλίσσειν sine obiecto utitur. Homerus enim Ψ. 309, 366 „περὶ τέρμα ἑλισσέμεν" dixerat, ubi facile ex praecedentibus suppleas ἅρμα; contra in Callimachi versu supplendum erit ὕδωρ quod sequenti versu demum legitur. Simul sensus homerici verbi immutatur vel amplificatur ex tragoedia; nam Tragicorum est, non Homeri „ὕδωρ, κῦμα, δίνας ἑλίσσειν", veluti Euripidis (*Iphig. Taur.* 7 δίνας ἑλίσσων). Impense postea placuit haec locutio Callimachi sectatori Dionysio, qui in Periegesi „ὁλκὸν ἑλίσσων", „κόλπους ἑλίσσων" dicere non dubitavit, nostrumque versum imitatus, vs. 104 habet de mari „νοτίην ἐπὶ Σύρτιν ἑλίσσων". Passivum magis ad normam homericae dictionis adhibuit Callimachus IV. 105 infra pag. 134 (cf. IV. 263).

Verum alium quoque versum homericum spectat hic et illustrat noster. Dixerat Homerus Δ. 426

ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
κυρτὸν ἰὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἀχνην,

sed haec ex parte tantum placuerunt nostro. Non enim solum indicare volebat spumam *eici*; id quoque memorandum erat, quod ε. 403 indicaverat alio verbo Homerus: „εἵλυτο δὲ πάνθ' ἁλὸς ἀχνῃ". Maluit noster dicere ἀπομάσσεσθαι, quod verbum vulgari sermoni potius quam poetis debetur (cf. pag. 80 ad III. 124). Minus probavit hoc Callimachi discipulus Apollonius; is enim „ὕδατος ἀχνην" consulto repetens lenissima immutatione, simul in

Homero interpretando propria licentia usus, ita dixit II. 569:

ὑψόθι δ' ὄχθης
λευκὴ καχλάζοντος ἀνέπτυε κύματος ἀχνη.

Vs. 15 piscatores ἰχθυβολῆας vocat Aeschyli exemplum fortasse secutus, qui adiectivum habet ἰχθυβόλος, Neptuni nuncupans tridentem μαχανὰν ἰχθυβόλον *Sept.* 131. Substantivum ἰχθυβολεὺς postquam semel adhibuit Callimachus permultis placuit (cf. Blomfield *Glossar. in* Aesch. *Sept.* p. 109). — Deinde ἁλιπλόους piscatores dicens opportune poeta docet, quid sibi videatur de versu *M.* 26: ἁλίπλοα enim τείχεα cum a plerisque ita acciperentur ut essent muri *mari submersi*, alii interpretabantur „τῇ θαλάσσῃ ἐπιπλέοντα". Hanc opinionem, quae postea iure oppugnata est ab Herodiano (II. 80, 26), amplexum fuisse Callimachum, et noster versus arguit et vs. 52, ubi simul substantivam vim obtinet. — In extremo versu quod legitur ἐννάσσαντο medium est ab Homeri libris alienum; simplex ἐνασσάμην tamen, quod recte formatum esse vel causativi forma ἔνασσε monet, iam occurrit apud Hesiodum *Opp.* 639. Et saepius Alexandrini minus vulgatorum seduli sectatores eas formas adhibuerunt, cf. Apoll. Rhod. IV. 1751. 1213.

Vs. 16. ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι
ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν
νῆσοι ἀολλίζονται, ἀεὶ δ' ἔξαρχος ὀδεύει.
ἣ δ' ὅπιθεν Φοίνισσα μετ' ἴχνια Κύρνος ὀπηδεῖ,
20 οὐκ ὀνοτή, καὶ Μάκρις Ἀβαντιὰς Ἐλλοπιήων
Σαρδώ θ' ἱμερόεσσα, καὶ ἣν ἐπενήξατο Κύπρις
ἐξ ὕδατος τὰ πρῶτα, σαοῖ δέ μιν ἀντ' ἐπιβάθρων.

Recentioris aetatis mythologiam sequitur (non enim allegoria haec est) cum Delon Insulam, olim a Pindaro (*Prosod.* fr. 87. 3) „Πόντου θύγατερ" salutatam, inter Insulas Oceani filias solemnem pompam instituentem describit. In qua descriptione si homericae linguae fines hic illic transit poeta, tamen epicam dictionem non neglexit. Ita adiectivum verbale νεμεσητὸν (de quo iam pauca dixi supra pag. 64) ab Homero minime alienum erat, sed ille semper duplicato σ scripsit posuitque in arsi quarta. Semel vero (*Λ.* 649) „αἰδοῖος νεμεσητός" in thesi secunda ut nostro loco positum est. — Neque quae sequuntur ἔξαρχος et ὁδεύειν incognita Homero, etsi, casu quodam, non nisi sensu lugubri usurpat ille vocabulum ἔξαρχος, Ω. 721 „ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους". Quod non vocabuli vi propria quadam factum esse et ipsa re liquet et Atticorum

usu, nam hi *choregos* nonnumquam *ἐξάρχους* appellant. Et notum est in Euripidis *Baccharum* choro nobilissimo „ὃ δ' ἔξαρχος· „*Βρόμιος εὐοῖ*"" (vs. 140).

Versu 20 nescio qua causa rectiorem formam *ὀνοστὸς* reiecit Callimachus, quamquam et Homerus eam adhibuerat (*I.* 164 *δῶρα οὐκέτ' ὀνοστά*), et Lycophro, quem solet audire noster, vs. 1235 dixerat „*οὐδ' ὀνοστὸς ἐν μάχαις*". Forsitan maluerit sequi Pindarum qui sine σ habet „*ἀλλ' ὀνοτὸς μὲν ἰδέσθαι*" *Isthm.* IV. 50. Cum nostro fecit Apollonius Rhodius, IV. 91: *χήτεϊ κηδεμόνων ὀνοτήν.*

De substantivo *ἴχνιον* dictum est pag. 73. Pauca vero, etiamsi ad mythologiam historiamve pertineant, de nominibus propriis quibusdam per hos versus adhibitis dicenda restant. In quibus primum est „*Τιτηνὶς Τηθύς*". Tacuit enim Homerus de huius deae origine ex Urano, quam post antiquos poetas eodem atque noster patronymico iam indicat Lycophro vs. 231

γραῖαν ξύνευνον Ὠγένου Τιτανίδα.

Corsicam quo auctore nisus erudite *Φολνισσαν Κύρνον* dixerit, nos hodie latet, haud minus ac propria origo nominis quo ornat Euboeam: „*Μάκρις Ἀβαντιὰς Ἑλλοπιήων*". Operam perdamus si quaeramus utrum ex Heraclide Pontico an Dicaearcho, Cleone an Diodoro Periegeta sua hauserit. Undique conquisitam doctrinam in unum confert Callimachus ut indulgeat studio, quo omnes poetae Alexandrini ardebant, urbes regiones insulas indicandi antiquissimis nominibus vel talibus quae antiquissima iis quidem videbantur. Et revera videmus antiquitus tum *Abantiadem*, tum *Macrin* cognominatam esse insulam Euboeam: etenim iam Aristophanem adlusisse ad id nomen interpretes censuerunt, cum *Nub.* 211 diceret

ἡ δέ γ' Εὔβοι', ὡς ὁρᾷς,
ἤδὶ παρατέταται μακρὰ πόρρω πάνυ. [1])

Magis etiam notum nomen *Abantias*. Non enim solum *B.* 536 Homerus dixerat

οἳ δ' Εὔβοιαν ἔχον μένεα πνείοντες Ἄβαντες,

sed in Aegimio [2]) diserte enarratum fuerat (fr. 3 *Kink.*)

νήσῳ ἐν Ἀβαντίδι δίῃ·
τὴν πρὶν Ἀβαντίδα κίκλησκον θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
τὴν τότ' ἐπώνυμον Εὔβοιαν βοὸς ὠνόμασε Ζεύς.

---

[1]) Ulterius etiam progreditur Apollonius cum incolas insulae I. 1024 *Μακριάς* vocat.
[2]) Quid de Aegimii auctore censuerit Callimachus incertum. Apollodorus (II. 1. 3.) Hesiodo tribuisse videtur.

Erudite porro adicit noster *Ἐλλοπιήων*, quia nomen Abantias indicat proprie partem tantum insulae, septentrionales autem regiones ab Ellopibus occupantur.

Versu 21 Sardiniam praedicat *ἱμερόεσσαν*, quod neminem offendat, qui memoria teneat Polybii laudes I. 79 „*νῆσος καὶ τῷ μεγέθει καὶ τῇ πολυανθρωπίᾳ καὶ τοῖς γεννήμασι διαφέρουσα*". Adiectivo autem quod ipse Homerus non nisi de rebus personisve (*ἀοιδή, στήθεα, ἔργα γάμοιο*) dixerat, noster insulam ornat praeeunte poeta *hymni in Apoll.* vs. 180

καὶ Μίλητον ἔχεις, ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν.

Sequenti versu, si quidem non subest corruptela, postquam parum eleganter Veneris ad insulam Cyprum adventum verbo *ἐπενήξατο* indicavit, poeta ceteroquin in tam apertis rebus contra usum Homeri ipsamque compositorum rationem peccare non solitus, mire errat in voce *ἐπιβάθρων*, quae cum semel in Odyssea (o. 449) occurrit, sensum ibi habet *nauli*. De hac re abunde disseruit Bentleius ad locum. — Neque vero eodem versu verbum *σαοῦν* prorsus ad Iliadis Odysseaeve dictionis normam usurpat, *tutari* enim aut e periculo quodam incolumem aliquem servare valet, necdum apud ipsum Homerum simpliciter *salvum facere* indicat, quam significationem obtinet in hymnis, veluti XII. 3 *χαῖρε θεὰ καὶ τήνδε σάου πόλιν*. [1])

Vs. 23. *κεῖναι μὲν πύργοισι περισκεπέεσσιν ἐρυμναὶ,*
Δῆλος δ' Ἀπόλλωνι· τί δὲ στιβαρώτερον ἕρκος;
25 *τείχεα μὲν καὶ λᾶες ὑπαὶ ῥιπῆς κε πέσοιεν*
Στρυμονίου Βορέαο· θεὸς δ' ἀεὶ ἀστυφέλικτος.
Δῆλε φίλη, τοιός σε βοηθόος ἀμφιβέβηκεν.

De adiectivo *περισκεπὴς* iam dictum est supra pag. 9; *ἐρυμνὸς* si non apud Homerum (qui *Δ.* 137 *ἔρυμα* habet) at apud Hesiodum extat, fr. 62; *ἕρκος* autem homerica ratione hic adhiberi vix est quod moneam (cf. *A.* 284; Z. 5). Et quamquam *στιβαρὸν ἕρκος* non dicitur ab Homero, possis tamen pro certo affirmare exemplum hic praebuisse Homerum. Is enim *M.* 454 portas castrenses Achaeorum dixit „*πύλας πύκα στιβαρῶς ἀραρυίας*". Quem locum spectasse nostrum constat ex sequenti versu. Nam cum Hector (*M.* 457 *sqq.*) inruit in eas portas, fores effringuntur „*λᾶος ὑπὸ ῥιπῆς*" (vs. 462). Ludit sonorum similitudine noster ita dicens: „facile ruunt

[1]) Cf. infra ad vs. 167.

moenia *καὶ λᾶες ὑπαὶ ῥιπῆς Βορέαο*", et arguit imitationem, simul nobis probabile reddit suos quoque Homeri codices *M.* 462 dedisse *ὑπαὶ*, quam lectionem hodie servat Laurentianus C. Quamquam neque illud „*ὑπὸ ῥιπῆς Βορέαο*" incognitum erat Homeri lectoribus. Id tantum innovavit Callimachus, quod addidit *Στρυμονίου*, quod cognomen non accipiendum est cum scholiasta ad Apollonium Rhodium (I. 211) quasi sit patronymicum: historicae eruditionis est documentum, qua poeta Alexandrinus homericum *Θρηίκιον* varietatis causa mutavit cum meminisset Borean ventum ab Herodoto (VIII. 118) appellari *Στρυμονίαν* [1]).

Vs. 28. *εἰ δὲ λίην πολέες σε περιτροχόωσιν ἀοιδαί,*
πολλῇ ἐνιπλέξω σε; τί τοι θυμῆρες ἀκοῦσαι;
30 *ἦ ὡς τὰ πρώτιστα μέγας θεὸς οὖρεα θείνων*
ἄορι τριγλώχινι, τό οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν,
νήσους εἰναλίας εἰργάζετο, νέρθε δὲ πάσας
ἐκ νεάτων ὤχλισσε καὶ εἰσεκύλισε θαλάσσῃ;
καὶ τὰς μὲν κατ' ἄβυσσον [2]*), ἵν' ἠπείροιο λάθωνται*
35 *πρυμνόθεν ἐρρίζωσε· σὲ δ' οὐκ ἔθλιψεν ἀνάγκη,*
ἀλλ' ἄφετος πελάγεσσιν ἐπέπλεες· οὔνομα δ' ἦν σοι
Ἀστερίη τὸ παλαιὸν, ἐπεὶ βαθὺν ἦλαο τάφρον
οὐρανόθεν φεύγουσα Διὸς γάμον ἀστέρι ἴση.

Videmus in horum versuum exordio tam verbis quam sententia denuo paulisper antiquissimorum carminum dictionem a Callimacho relictam. Nam ut taceam de usu coniunctionis *εἰ* plane novicio, ut mittam *λίην* quod vix aliud quid nisi *μάλα* hic valet, numquam profecto homerici poetae dixerunt „*ἀοιδαὶ περιτροχόωσί τινα*" (revocat forma homericum *τροχόωντα*) et ne Attici quidem id habent, quamquam *περιίστασθαι περιηχεῖν περικωμάζειν* in tali re iis non incognita sunt. Ni fallor debet noster id verbum Arato, qui elegantius sane vs. 815 „*ταὶ* (*sc. ἀλωαὶ*) *δύο δ' ἂν χειμῶνι περιτροχάοιντο σελήνην*", quae verba spectasse eum etiam magis verisimile fit si componimus versum Arati 811 cum vs. 28. — Sequenti autem versu si *ᾧ δῇ ἐμπλέκειν τινὰ* minus fortasse usitate dictum est, ipsa tamen

---

[1]) De Borea dicta sunt plura ad III. 114 supra pag. 77.

[2]) Ita collato Orph. *Arg.* 1277 legendum esse conieci *Mnem.* XIX. p. 71. Melius enim illum Orphei locum compares cum nostro quam *Arg.* 708 „*βυσσόθεν ἐρριζοῦντο*" quem primo obtutu vulgatum *κατὰ βυσσὸν* defendere dixeris (vs. 708 cum nostri vs. 35 componendus est).

comparatio hymni cum corona sertisve satis trita, praesertim apud Pindarum cuius verba atque imagines libenter sectatur Callimachus. Ille saepe hymnos suos στεφάνους vocat, veluti, ne plura afferam, *Ol.* VI. 86 : „ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων ποικίλον ὕμνον".

De adiectivo θυμήρης vidimus supra pag. 90. — Versu 30 dicit „οὔρεα θείνων ἄορι τριγλώχινι". Vide quantum singulis verbis, quamvis homericis, ab ipsa Homeri dictione discedat. Noverat opinor Callimachus ἄορ numquam non apud Poetam indicare *ensem*, uno tamen loco certari de significatione. Nam Ξ. 385 praeit Achivis Neptunus ipse

δεινὸν ἄορ τανύηκες ἔχων ἐν χειρὶ παχείῃ.

Non defuerunt qui de tridente hic cogitasse iudicarent poetam, cum epitheton τανύηκες minus recte intellegerent, id enim testantur scholia V ad locum: „τινὲς τὴν τρίαιναν ἐπεὶ καὶ Ἀρκάδες καὶ Αἰτωλοὶ πᾶν ὅπλον ἄορ καλοῦσιν .... ὁ δὲ ποιητὴς μόνον τὸ ξίφος παρὰ τὸ αἴωρεῖσθαι." Cum illis fecisse Callimachum apparet; ut vero apertius rem indicaret, adiecit attributum τριγλώχιν, dicendi genere usus quod docuerat talium elegantiarum inventor et auctor Lycophro, qui ipse sibi placuit de Aiace vs. 392 ita dicens:

„βληθεὶς ἀπ' ὄχθων τῷ τριωνύχῳ δορί".

Simul ipse usus vocis ἄορ inducit Callimachum ut θείνειν, quod apud Homerum non nisi de pulsando *homines* sive *bestias* adhibetur, latiore sensu dicat, quoniam tenet memoria homericum illud „ἄορι θεινομένων" (*K.* 434; *Φ.* 21).

At consulto adiectivum homericum τριγλώχιν adhibet latiore quam quae apud Homerum occurrit significatione. Noverat noster quantum de substantivo γλωχὶν interpretum iudicia distarent. Quid ipse statuisset tam hic quam vs. 235 et fr. 382 luculenter ostendit. In notissimo loco Ω. 274

αὐτὰρ ἔπειτα
ἐξείης κατέδησαν, ὑπὸ γλωχῖνα δ' ἔκαμψαν,

(de quo loco conferri poterit Helbig *Hom. Ep.*[2] p. 125) fuerunt qui substantivum γλωχὶν interpretarentur „ὑπὸ τὴν γωνίαν τὴν γεγονυῖαν ἐκ τοῦ ῥυμοῦ καὶ τοῦ ζυγοῦ". Eorum interpretationi adstipulari videtur Callimachus cum IV. 235 describit Irin „ποτὶ γλωχῖνα θρόνοιο" id est *ad angulum solii* (τὴν γωνίαν τοῦ θρόνου ut recte scholiasta reddit sententiam) caput reclinantem [1]). Angulum enim indicare voluisse poetam, non fulcrum, docet fr. 382 „τριγλώχιν

[1]) Conferendus est Dionys. *Perieg.* 184 „πυμάτην ἐπὶ γλωχῖνα."

ὁλῳ νῆσος ἐπ' Ἐγκελάδῳ", quo nomine si qua fides est Eustathio ad *Dionys. Perieg.* 467, iam Pindarus quoque Trinacriam indicaverat. Facile autem intellegitur, secum non pugnare poetam cum tridentem dicat τριγλώχινα neque tamen assensurum fuisse Sophocli ipsum spiculum ita designanti *Trach.* 678: „Κένταυρος πονῶν πλευρὰν πικρᾷ γλωχῖνι."

Quae reliqua sunt in his versibus breviter notari poterunt, veluti imitationes homericae: vs. 30 cf. Ξ. 166 θάλαμον τόν οἱ φίλος υἱὸς ἔτευξεν; vs. 32 νέρθε δὲ πάσας cf. *H.* 212, *N.* 78 νέρθε δὲ ποσσί (et hic quidem sonorum similitudo contra emendationes [1]) tutari versum videtur); tum verbum rarius apud Homerum occurrens ὤχλισσε, unde efficias Callimachum *M.* 448 et Ω. 567 ὀχλίσσειαν (non ὀχλήσειαν) et μετοχλίσσειε legisse; νεάτων quod perraro pro νειάτων adhibuit Homerus, ita ut fraudi fuerit Aristarcho forma νέαται *I.* 153; εἰναλίας quod nisi in hymnis non legitur, εἰσεκνύλισε cuius verbi aoristus apud Homerum non occurrit. Obiter quoque monendum videtur in adverbio νέρθε favere Callimachum formae bisyllabae quam Ψ. 57 Aristarchus quoque praetulit, quamque post caesuram bucolicam constanter habuit Homerus.

Versu 35 quod noster dixit πρυμνόθεν ἐρρίζωσε de eodem Neptuno dixerat Homerus *ν.* 163: „ἐρρίζωσεν ἔνερθεν", voce quamvis non obscura rariore tamen; at si ἔθλιψεν ex Odyssea eum sumsisse certum esset, (quod minime constat quoniam ea vox, in homericis rarissima, haud infrequens est in Attica dialecto, cf. v. c. Aristoph. *Vesp.* 1289), efficeretur, ρ. 221 zenodoteam lectionem placuisse. quoque nostro (cf. Ludw. *Arist.* I. 619).

Ceterum hic quoque recentiora antiquo epico sermoni admiscet. Ut ἄβυσσον (si quidem recte conieci) pro „ἀπείρονα πόντον" cum Herodoto dixit, tragicorum sermonem loquitur mox insulam libere vagantem „ἄφετον" appellans, quemadmodum olim Io aeschylea se confessa erat (*Prometh.* 666)

ἄφετον ἀλᾶσθαι γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις,

tragicorum quoque imitatur consuetudinem cum verbis movendi accusativum loci coniungens ut hic ἦλαο τάφρον, de qua re dictum est pag. 95; et licet πελάγεσσιν forma non offendat (occurrit semel in Homero: ε. 335) dativum cum ἐπιπλώω ἐπέρχομαι ἐπαλάομαι eo sensu coniungere non Homerus eum docuerat [2]).

---

[1]) ἰλάσσας aut πλήξας Meineke, ἰπάρας Schneid.

[2]) Item IV. 213 ἐπιπλώουσα θαλάσσῃ. Suspicarer utroque loco pro ἐπι- scribendum

Nihilo magis exemplo homerico poterat defendere quod mare indicaverat substantivo τάφρος; attamen cum hac re ab Homero recederet, simul exemplum spectabat homericum eo quod illam τάφρον βαθὺν dixit. Imitatur enim *hymn. hom. in Cer.* 383 βαθὺν ἠέρα, ubi non ἠέρα pro masculino habuit verum βαθὺν pro forma communis generis. Vocem autem τάφρος ad mare indicandum eadem ratione adhibere se posse putabat qua Pindarus (quamquam addito adiectivo) *Nem.* IV. 87 „Ἰόνιον πόρον" et Euripides *Iph. Taur.* 253 etiam „ἄξενος πόρος" dixisset. Frequentissime eadem libertate utitur Dionysius Periegeta tam in voce πόρος (vs. 477, 513 βαθὺς πόρος Αἰγαίοιο, 570) quam in voce χεῦμα (vs. 559, 297) et ὄλκος (vs. 55, 101, 198). Causa ergo non est cur cum Schneidero, in voce τάφρος offendentes, emendando versum sanare conemur.

Vs. 38 recte et homerice Asterien, quae, non ἀστέρι εἰκυῖα sed tantum stellae instar, coturnix in mare desiluit, ἀστέρι ἴσην dicit; simul tamen minus homerice concubitum Iovis vocans Διὸς γάμον (cf. pag. 84). Ceterum vix est quod moneam οὐρανόθεν (more homerico positum in prima arsi) non ad φεύγουσα sed ad ἦλαο trahendum esse.

Vs. 39. τόφρα μὲν οὔπω σοι χρυσέη ἐπεμίσγετο Λητὼ,
τόφρα δ' ἔτ' Ἀστερίῃ σὺ καὶ οὐδέ πω ἔκλεο Δῆλος.
πολλάκι σε Τροιζῆνος ἀπὸ ξάνθοιο πολίχνης [1])
ἐρχόμενοι Ἐφύρηνδε Σαρωνικοῦ ἔνδοθι κόλπου
ναῦται ἐπεσκέψαντο, καὶ ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντες
οἳ μὲν ἔτ' οὐκ ἴδον αὖθι, σὺ δὲ στεινοῖό περ ὀξὺν
ἔδραμες Εὐρίποιο πόρον καναχηδὰ ῥέοντος,
Χαλκιδικῆς δ' αὐτῆμαρ ἀνηναμένη ἁλὸς ὕδωρ
μέσῳ ἐπ' Ἀθηναίων προσενήξαο Σούνιον ἄκρον,
ἢ Χίον, ἢ νήσοιο διάβροχον ὕδατι μαστὸν
Παρθενίης (οὔπω γὰρ ἔην Σάμος), ἦχί σε νύμφαι
γείτονες Ἀγκαίου Μυκαλησσίδες ἐξείνισσαν.

Suo praesertim ingenio usus suisque verbis Deli vagantis iter cum hic descripserit poeta, pauca nunc nostra observatione digna in his versibus occurrunt. De vocibus τόφρα μὲν...τόφρα δὲ

esse ἐνι- (verbo ἐνιπλόω usi sunt Nicander *Alex.* 426 et Oppianus *Halieut.* I. 260) nisi retineret me Nicandri versus *Alex.* 504 ἐπιπλῶον ὑδάτεσσιν. Fieri tamen potest ut tmesis sit adhibenda, quam in Nicandri versu habet codex unus.

[1]) πολλάκι σε Meineke. πολλάκις ἐκ cum codd. Schneider. Neque recipienda videtur Schneideri coniectura quamvis speciosa ἀπὸ Ξάνθοιο. Adi. ξάνθος nihil habet quod offendat.

iam monuit Schneiderus. τόφρα enim prius (vs. 39) relativum sensum obtinet (cf. fr. 206) eodem errore quo peccat Apollonius Rhodius IV. 1617

τόφρα δ' ἄγεν, τείως μιν ἐπιπροέηκε θαλάσσῃ.

Verbum autem ἐπεμίσγετο, quamquam minus accurate utitur ut Latonae *ad insulam* adventum indicet (non enim est cur Graevio assentiamur qui mutato σοι in οἱ de Latonae cum Iove nuptiis accipiendum putet) suppeditatur poetae exemplo Homeri ζ. 205 (in eadem versus sede „οὐδὲ βροτῶν ἐπιμίσγεται ἄλλος" cf. *K.* 548 et supra pag. 54). At versu 40 consulto adhibuisse putandus est imperfectum ἔκλεο, idque eo accentu, qui postea placuit Herodiano censenti ex ἐκλέεο per syncopen formam esse ortam. (Herodian. II. 245, 25). Incitavit Callimachum ad imitandum ἅπαξ εἰρημένον Ω. 202 (φρένες ἦσι πάρος περ ἔκλε' ἐπ' ἀνθρώπους), et nunc quidem captavit eum forma rarior, ceteris autem locis ubi id verbum adhibet tam in activi formis quam in passivi, diphthongum servat secundum usum homericum (κλείω *Ep.* 7; κλείουσι I. 51, vide supra pag. 24; — cf. II. 18). Nostro quoque loco, ut solent sequiores, verbo κλείειν vim τοῦ καλεῖν tribuit.

Recentioris sermonis propria videtur deminutiva forma πολίχνη quae vs. 41 occurrit. At flosculus hesiodeus est, fortasse haud inepte a fluviis in fretum translatus, „Εὐρίποιο πόρον καναχηδὰ ῥέοντος" (cf. Hesiod. *Theog.* 367 „ποταμοὶ καναχηδὰ ῥέοντες").

Fastidium lectoribus parem nimium, si singula verba denotem quibus per hos versus, epicorum exemplo destitutus et minime mehercle καναχηδὰ ῥέων, languidam et exilem orationem suam eruditionis ornamentis tollere conetur et exornare. Videt talia quivis, etiam non admonitus, et maximam partem quae digna notatu erant, abunde docuerunt editores, Scheiderus prae ceteris. Ad eos igitur si referre licebit, non habebunt isti versus quod nunc nos detineat [1]). At altius repetenda est causa, quae adduxerit Callimachum, ut vs. 48 Samum insulam indicaret his verbis „νήσοιο διάβροχον ὕδατι μαστὸν Παρθενίης". Parum enim lucis affert Archestrati versus „ἐν Λέσβῳ, κλείνης Ἐρέσου περικύμονι μαστῷ". Potuitne revera, si vellet νῆσον ἀμφίρρυτον indicare Callimachus uti voce „διάβροχος"? Non opinor: mare enim Sami colles non

[1]) Optime Schneider vs. 44 παρ' in περ mutans restituit dictionem Callimacho dilectissimam, e tragicis desumtam, ἔδραμες πόρον. — Verbi ἀναίνομαι usus (vs. 45) defenditur homerico versu *I.* 679 σὲ δ' ἀναίνομαι ἠδὲ σὰ δῶρα. — De voce μέσφα cf. pag. 96.

διαβρέχει. Neque opinatus est scholiasta, qui haud absurde, ut mihi quidem videtur, adnotat: „*διὰ τὸ γόνιμον*". Recte ille quidem intellexit fertilis insulae campos irriguos indicari nec tamen totam reddidit poetae sententiam. Usus erat adiectivo *διάβροχος* Euripides *Bacch.* 1051; „*ἦν δ' ἄγκος ἀμφίκρημνον ὕδασι διάβροχον*". Eo vero sensu quo vallis *διάβροχος* dicitur quam totam irrigat aqua, collis vix recte dicetur quoniam non desuper *in* collem decurrit fluvius sed *ex* colle profluit. Sermo autem est de ea insula quae *hymn. hom. in Apoll.* 41 (quem versum respici sequentia quoque arguunt) audit *Σάμος ὑδρηλή*. Cuius rei causam, qua est doctrina, explicat noster, cum collem ex quo oritur *flumen Parthenius* cuiusque clivum *per*currens id flumen irrigat, „*διάβροχον ὕδατι*" dicit eodem sensu quo *διάῤῥυτον ποταμῷ* dicere potuit. Cum quo dicendi genere apte comparari possunt Euripidis verba *Iphig. Taur.* 262

ἦν τις διαῤῥὼξ κυμάτων πολλῷ σάλῳ
κοιλωπὸς ἀγμός.

Antiquissima insulae tempora in animo habet. Ea quoque causa movetur ut mox Mycalen indicaturus (cf. *hymn. hom. in Apollin.* 41 *Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα*) introducit nymphas Mycalenses; „*γείτονες Ἀγκαίου*" eae vocantur [1]) i. e. *sedes habentes vicinas* eius insulae quae mox ab Ancaeo dicetur Samos. Quod dicendi genus quaesita obscuritate auctorem ultro prodit: sentimus Lycophronem. Et revera praeiit ille *Alex.* 401 „*τύμβος δὲ γειτων ὄρτυγος πετρουμένης*" (cf. Lycophr. vs. 725. 1021. 1286 et quod magis cum solita dicendi ratione convenit Call. fr. 113[a]).

Vs. 51. *ἠνίκα δ' Ἀπόλλωνι γενέθλιον οὖδας ὑπέσχες,*
τοῦτό τοι ἀντημοιβὸν ἀλίπλοοι οὔνομ' ἔθεντο,
οὕνεκεν οὐκέτ' ἄδηλος ἐπέπλεες, ἀλλ' ἐνὶ πόντου
κεύθεσιν Αἰγαίοιο ποδῶν ἐνεπήξαο ῥίζας [2]).
55 *οὐδ' Ἥρην κοτέουσαν ὑπέτρεσας· ἣ μὲν ἀπάσαις*
δεινὸν ἐπεβρωμᾶτο λεχωίσιν, αἳ Διὶ παῖδας
ἐξέφερον, Λητοῖ δὲ διακριδὸν, οὕνεκα μούνη
Ζηνὶ τεκεῖν ἤμελλε φιλαίτερον Ἄρεος υἷα.

Vs. 51 hymni in Apollinem memoriam promiscue cum tragica

---

[1]) Ita optimo iure ex codd. restituit Schneider, quod miror non receptum a Wilamowitzio.

[2]) Ita versus legendus esse mihi videtur. Causas exposui *Mnem.* XIX. p. 72. Schneid. vulgatam tuetur: *κύμασιν Αἰγαίοιο ποδῶν ἐνεθήκαο ῥίζας.*

poesi colit. Nam quod ὑπέσχες dixit, id, ni fallor, natum est ex imagine quam scribenti poetae praebuit hymni homerici versus 118 μείδησε δὲ γαῖ' ὑπένερθεν. — οὖδας autem idem poeta Homerum (ι. 135) secutus de Deli solo vs. 60 dixerat: „ἐπεὶ οὔτοι πῖαρ ὕπ' οὖδας". Attamen cum eiusmodi adiectivis quale est γενέθλιος, πατρῷος, quibus si ornatur οὖδας, iam nihil distat a substantivo γαῖα, Homerus illud nomen non coniunxerat. Tragici talia fecerunt quorum quoque est γενέθλιος. Merito igitur conferas Aeschylum qui *Agam.* 503 „πατρῷον οὖδας Ἀργείας χθονὸς" dixit et *Eum.* 293 „Τρίτωνος ἀμφὶ χεῦμα γενεθλίου πόρου". Cuius artem sequi nostrum docuit Lycophro versu 1194 Thebas γενεθλίαν πλάκα Iovis nuncupans.

Iterum homericae dictionis fines transgredi putandus est in voce κεύθεσι, si olim recte hoc pro κύμασιν, quod sane languet, restitui. Homerus enim γαίης tantum κεύθεα noverat, neque ceteri antiquiores poetae in hac re ab eo discedunt. Alexandrini vero iam talia leniter variare adamant, idque hoc loco ausum esse nostrum non improbabile, quoniam Oppianus Alexandrinae poeseos assiduus imitator ipse quoque „κεύθεα πόντου" dixit *Halieut.* IV. 607. Alteram formam κευθμὸς adhibuit Callimachus I. 34.

Vs. 55 ὑπέτρεσας cum accusativo coniungit, quod semel in Iliade occurrit *P.* 587 „οἷον δὴ Μενέλαον ὑπέτρεσας", quem versum spectari a Callimacho ordo verborum demonstrat. Neque minus homericum sonat illud δεινὸν ἐπεβρωμᾶτο, cum adiectivum δεινὸν in prima sede ita ponere amet Homerus, et verbum quamquam Homero incognitum ex ἐπιβρέμειν more homerico formatum sit. Egit accurate de huiusmodi verbis et de hoc versu Schneiderus; restant tantum dicenda pauca de adverbio διακριδόν; nam verbo notare sufficit ἐκφέρειν quod vulgo maius quid quam simpliciter τίκτειν indicare solet, vel de terra potius dicitur fruges efferente. διακριδὸν autem Homerus qui bis adhibuit (*M.* 103; *O.* 108) in bonam tantum partem accipit semperque superlativum adicit eodem fere modo atque ἔξοχα (cf. Herod. IV. 53), quem usum confirmat Hesychius: „διακριδόν· δ ἐν διακρίσει ἄριστος". Simonides Amorginus cum de mulierum genere e simiis nato dixit (fr. 7. 71) „τοῦτο δὴ διακριδὸν Ζεὺς ἀνδράσιν μέγιστον ὤπασεν κακὸν" aut iam deflexit ab antiquo usu aut consulto atque ironia quadam usus adverbium ita adhibuit. At Callimachus et aequales utramque rem neglegunt cum neque in bonam modo partem accipiunt neque superlativum adiciunt. Ita quoque Apollonius Rhodius. IV. 721 „ναυτιλίην δὲ διακριδὸν ἐξερέεινε". — Rari autem erroris convincitur Callimachus comparativi

formam φιλαίτερον in epica dictione non respuens, quae licet Ptolemaei aetate vulgata fuerit, tamen ne in Attica quidem dialecto occurrebat [1]).

Vs. 59. τῷ ῥα καὶ αὐτὴ μὲν σκοπιὴν ἔχεν αἰθέρος εἴσω,
σπερχομένη μέγα δή τι καὶ οὐ φατόν. εἶργε δὲ Λητὼ
τειρομένην ὠδῖσι· δύω δέ οἱ εἵατο φρουροὶ
γαῖαν ἐποπτεύοντες, ὃ μὲν πέδον ἠπείροιο
ἥμενος ὑψηλῆς κορυφῆς ἔπι Θρήικος Αἵμου
Θοῦρος Ἄρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι, τὼ δέ οἱ ἵπποι
ἑπτάμυχον Βορέαο παρὰ σπέος ἠὐλίζοντο·
ἣ δ' ἐπὶ νησάων ἑτέρη σκοπὸς εὐρειάων
ἧστο κόρη Θαύμαντος ἐπαΐξασα Μίμαντι.

Celeberrimum Iliadis locum *N.* 10 *sqq.* Callimacho hosce et sequentes versus conscribenti obversatum esse simul cum Odysseae versu *θ.* 302 cui accurate numeri versus 59 respondent, quivis videbit. Operae tamen pretium nunc ad id attendere, quoniam inde, cum praesertim comparaveris nostri hymni versum 126, haud levissima nascitur suspicio iam Callimachum *N.* 10 non „ἀλαοσκοπίην" legisse sed „ἀλαὸς σκοπιήν". Ceterum quamvis Homerum respiciens, in versus fine ab Homeri ratione dicendi aberrat, et ad tragicorum sermonem deflectit, nam εἴσω scribit eo sensu quo Homerus constanter ἔνδον sive ἐντός, simili errore implicatus quali Zenodotus peccavit qui κεῖθι et κεῖσε saepius confudit (cf. Duentz. *Zenodot.* p. 81). Mutarunt horum adverbiorum usum tragici e quibus satis erit laudasse Eteoclis dictum ad chorum mulierum Thebanarum (*Sept.* 232)

σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν ἔσω δόμων. [2])

Neque vero εἴσω cum genetivo iungere dubitavit, rariora ut assolet praeponens magis cognitis. Homerus enim, qui bis terve in Odyssea δώματος εἴσω (*η.* 135; *θ.* 290) dixit, saepissime accusativum addere solet „οὐρανὸν εἴσω" et similia, in dictione κατελθόντ' Ἄιδος εἴσω subaudiens accusativum δόμον. — Eodem rariorum amore ductus σπερχομένη et hic et vs. 158 ea significatione adhibuit quam semel apud Homerum obtinere videbatur: *Ω.* 248 „σπερχομένοιο γέροντος". Hunc usum tamquam apud Homerum non vulgatum notabat scholiasta, qui non supervacaneum duxit addere: „πρὸς τὸ θυμῶδες". Callimachum quoque de his ipsis Homeri verbis cogi-

---

[1]) Praeierat praeceptor Philetas in *παιγνίοις* Stob. *flor.* 124. 11.

[2]) *ἔνδον* et *εἴσω*, *κεῖθι* et *κεῖσε* ab Homero non commutari saepius monuit Aristarchus (cf. Lehrs. p. 134.)

tasse cum ita *σπέρχεσθαι* adhiberet, non hic versus de quo nunc agimus arguit, sed huius hymni versus 158: similem enim homerico habet exitum („*σπερχομένη μάλα πολλὸν ἀπέτραπεν· αἱ δ' ὑπ' ὀμοκλῆς*": Ω. 248 „*σπερχομένοιο γέροντος. ὁ δ' υἱάσιν οἷσιν ὁμόκλα*"); irascendi autem vim verbo *σπέρχεσθαι* attribuens apud recentiores haud insolitam meminerat fortasse eandem Iunonem a Pindaro spectari cum *Nem.* I. 40 „*σπερχθεῖσα θυμῷ*" diceret.

Sequentia „*μέγα δή τι καὶ οὐ φατὸν*" apte comparari possunt cum Hesiodi versu (*Scut.* 230) *ἄπλητοί τε καὶ οὐ φαταί* (cf. Pind. *Ol.* VI. 37 *ἐν θυμῷ πιέσαις χόλον οὐ φατόν*). Formula autem *μέγα δή τι* iterum usus est in hoc hymno vs. 189 „*αἰνήσεις μέγα δή τι*", in qua formula adiectum est „*τι*" eo fere modo quo Homerus adiecit in negatione saepissime, at raro aliis adiectivis veluti o. 365 „*ὀλίγον δέ τί μ' ἦσσον ἐτίμα*".

De verbis *τειρομένην ὠδῖσι* conferri possunt quae dixi pag. 17; versu autem 61 quid movit Callimachum ut in imitando loco homerico *Σ.* 523: „*τοῖσι... δύω σκοποὶ εἵατο*" — qui versus interpretatione profecto non egebat — pro substantivo *σκοποὶ* reponeret „*φρουροί*", vocem cum tota familia ab epica Homeri dialecto remotam? Pro certo nihil affirmem, verum cum video versu sequenti in verbis „*γαῖαν ἐποπτεύοντες*" verbum *ἐποπτεύειν* non sensu *curandi*, quem noverat Homerus (*π.* 140) verum *custodiendi* adhibitum, subit suspicio Aeschyli memoriam hoc loco coluisse poetam. Aeschylo enim, ut Blomfieldius optime monuit, verbum *ἐποπτεύειν* frequentatum est significatione *inspectandi* (exempla praebet ipse *Gloss. ad Ag.* 1241; *ad Choeph.* 1). Inter aeschyleos autem *ἐπόπτας* sive custodes pauci sunt magis noti quam ille qui quondam inter homines eodem prorsus spectandi munere fungebatur, quo nunc inter deos Mars atque Iris: Agamemnonis illum famulum dico, qui ipse quoque ministerium suum *φρουρὰν* dicit (*Agam.* 2; cf. *Prometh.* 144). Ceterum ad eundem praesertim tragicum vocat usus substantivi *πέδον* quod nostro loco plane eadem ratione adhibet poeta, qua Aeschylus *Prometh.* 1 *χθονὸς τήλουρον πέδον*, et *ibid.* 734 *Εὐρώπης πέδον*. Nam rara est haec vox apud Homerum, aliamque ibi obtinet vim. Ita *N.* 796 cum memoratur procella quae „*ὑπὸ βροντῆς πατρὸς Διὸς εἶσι πέδονδε*" (cf. *hymn. in Cer.* 253, *λ.* 598 et *hymn. in Cer.* 456) *humi* significat. Eodem modo nonnumquam tragici, veluti Sophocles *Antigon.* 441 „*νεύειν ἐς πέδον*", quam rationem secutus Callimachus „*πέδον πατεῖν*" (IV. 227) et Apollonius „*πέδον στείβειν*" (III. 836, cf. Soph. *Oed. Col.* 467) dixerunt, et idem

Callimachus II. 38 *πέδῳ λείβουσι* (ubi rectius fortasse legas *πέδοι*). Saepius autem, ea ratione qua Aeschylus in exemplis supra laudatis fecit, genetivum adiecerunt quo aut orbis totius pars aut certa regio indicaretur. Ita ad normam aeschylei *Εὐρώπης πέδον* Sophocles *Aiac.* 730 „*γῆς οἰκείας πέδον*" dixit; at certi cuiusdam loci nomen additur in Sophoclis versu *Philoct.* 1464 *Λήμνου πέδον* et *Electr.* 730 *Κρισαῖον πέδον*, cum quibus convenit Callimachi *Ὀμφάλιον πέδον* (I. 45) et Lycophronis — habet enim in deliciis vocem *πέδον* — *Ἀνεμωρείας πέδον* (vs. 1073). Eodem modo igitur huius vocis usum amplificari videmus ac vocabuli *οὖδας* (cf. p. 124).

Versu 64 non minus homerice *θοῦρον* salutat Martem quam panoplia eum indutum esse indicat hisce verbis „*ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι*" [1]). Contra novas res et Homero incognitas aliunde afferens (vs. 65) de Boreae spelunca, quae ex septem constaret cavernis, iure suo novum procudit adiectivum *ἑπτάμυχος*, neque illud inepte formavit aut inconsulte, cum *μυχοὺς* partes speluncae indicare posse appareret ex *ι.* 236 *μυχὸν ἄντρου* (cf. *ε.* 226 *μυχῷ σπείους* et vide *ν.* 363; *ω.* 6).

Sequens autem versus „*νησάων....εὐρειάων*" docet in eis quoque formis Homerum sectari voluisse Alexandrinos quas praeter omnes leges formatas esse ipsi viderent. Mirum enim versum *ξ.* 199

ἐκ μὲν Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων

spectare Callimachum quivis concedet nisi qui Schneidero obtemperans *εἰναλιάων* legendum esse nostro versu censeat. Alliciunt semper nostrum ad imitationem minus vulgata. Sic sequenti versu Iris (cuius genealogiam non Homerus sed Hesiodus eum docuit *Theog.* 255) vocatur *κόρη Θαύμαντος* ab eodem poeta qui in epicis alibi fideliter epicam formam *κούρη* servat. Causa fuit hymnus homericus *in Cererem* 440 „*κόρην Δημητέρος ἀγνήν*". Sic *ἐπαΐξαι* cum dativo coniungit ut Odysseae versum *κ.* 295 lectoribus in mentem revocet, quo loco *Κίρκῃ ἐπαΐξαι* dixerat Homerus, cum in Iliade cum accusativo coniunctum esset (*τεῖχος ἐπαΐξαι M.* 308).

Vs. 68. *ἔνθ' οἳ μὲν πολίεσσιν ὅσαις ἐπεβάλλετο Λητὼ*
μίμνον ἀπειλητῆρες, ἀπετρώπων δὲ δέχεσθαι.
70 *φεῦγε μὲν Ἀρκαδίη, φεῦγεν δ' ὄρος ἱερὸν Αὔγης*
Παρθένιον· φεῦγεν δ' ὁ γέρων μετόπισθε Φενειὸς,
φεῦγε δ' ὅλη Πελοπηΐς ὅση παρακέκλιται Ἰσθμῷ,

[1]) Cf. de callimacheo usu huius substantivi pag. 76.

ἔμπλην Αἰγιαλοῦ τε καὶ Ἄργεος· οὐ γὰρ ἐκείνας
ἀτραπιτοὺς ἐπάτησεν, ἐπεὶ λάχεν Ἴναχον Ἥρη.

Saepe per hos versus antiquam dictionem deserit. Parvum est quod ἐπεβάλλετο media forma (ad normam fortasse medii ἐπεμίσγετο vs. 39) adhibet, cum activo (accusativum adiungens) usus esset Homerus o. 297 ἦ δὲ Φερὰς ἐπέβαλλεν (quem imitatur poeta *hymni in Apoll.* 427: εὖτε Φερὰς ἐπέβαλλεν); neque gravi culpa peccavit cum substantivum ἀπειλητήρ, quod uno loco (*H.* 97) Homerus contemptim adhibuerat, nunc ad propriam significationem revocat, vel, quod non fecerat Homerus, verbum ἀποτρωπάω cum infinitivo coniungit. Verumenimvero quid sibi vult illud ἔμπλην? Non enim non potuit novisse Callimachus vocem, quamvis insolitam, *B.* 526 nihil nisi πλησίον indicare, eademque significatione eam adhibitam esse a Lycophrone vs. 1029. At ludunt profecto, ut ignaros ludificent, docti Alexandrini in eiusmodi vocibus, quod idem fecit Nicander *Ther.* 322. Cuius scholiastae si credimus (ut fide dignus est) Archilocho hoc debetur, qui etiam vocabulum ἔμπλην eadem vi atque χωρὶς adhibuerat.

Tandem vs. 74 ἀτραπιτοὺς ἐπάτησεν cum tragicis dixit. Non enim *calcandi* vim obtinet (ut *Δ.* 157 καταπατεῖν) verum *eundi* veluti in Sophoclis *Oed. Col.* 37 χῶρον πατεῖν, *Philoct.* 1060 Λῆμνον πατεῖν (cf. IV. 227). Cum fine vero huius versus „ἐπεὶ λάχεν Ἴναχον Ἥρη (cf. fr. 108 Ἄργος Ἥρης ἱερὸν λάχος) apte componi potest *O.* 191 „Ἅιδης ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα". Ceterum eonvenit haec dictio cum loco Herodoti VII. 53 „θεοῖσι οἳ Περσίδα γῆν λελόγχασι".

Vs. 75. *φεῦγε καὶ Ἀονίη τὸν ἕνα δρόμον, αἳ δ' ἐφέποντο*
Δίρκη τε Στροφίη τε μελαμψήφιδος ἔχουσαι
Ἰσμηνοῦ χέρα πατρός· ὃ δ' εἶπετο πολλὸν ὄπισθεν
Ἀσωπὸς βαρύγουνος, ἐπεὶ πεπάλακτο κεραυνῷ.
ἡ δ' ὑποδινηθεῖσα χοροῦ ἀπεπαύσατο νύμφη
80 *αὐτόχθων Μελίη καὶ ὑπόχλοον ἔσχε παρειὴν*
ἡλικος ἀσθμαίνουσα περὶ δρυός, ὡς ἴδε χαίτην
σειομένην Ἑλικῶνος. ἐμαὶ θεαὶ εἶπατε Μοῦσαι,
ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα Νύμφαι;
„Νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
85 *Νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν ὅτε δρυσὶν οὐκέτι φύλλα".* [1])

[1]) Recte post hos versus lacunae signum posuit Schneiderus. Valckenaerius in schedis iam monet responsum deesse quaestioni quam Musis ponit poeta. Id quidem

His versibus dum pergit amplificare et illustrare verba hymni homerici *in Apoll.* 30—47, quasnam rationes sequatur, quo consilio omnem Atticae mentionem omittat, quosnam mythos spectet, unde copiosam doctrinam congesserit quaerere omittimus. At verbo nunc, quoniam totiens offendit aures lectorum Callimachus duris versibus et contortis, laudemus elegantiam versuum 75—81 [1]). — Verba τὸν ἕνα δρόμον iam illustravit Schneiderus, quod autem ad Boeotiae fluvios attinet, nova affert Callimachus epitheta, quorum alterum μελαμψήφις, III. 101 quoque adhibitum, formatum esse suspicor ex imitatione antiqui oraculi et notissimi apud Herodotum I. 55 „πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον", alterum βαρύγουνος [2]) spectat eas res quas enarrat Apollodorus III. 12. 5, sed tamen ita fictum est a poeta quasi alludere vellet ad epitheta quibus Asopum ornaverat Homerus Δ. 383: βαθύσχοινον λεχεποίην. — Sequens illud πεπάλακτο ita nonnulli solent accipere tamquam pro ἐπέπληκτο positum sit [3]). Quem errorem quo iure Callimacho obtrudant non video, nam V. 7 λύθρῳ πεπαλαγμένα cum dixit poeta ostendit verbum παλάσσειν sibi haud incognitum esse; nec dubium videtur quid nunc voluerit. Spectavit enim (quod docet etiam adiectivum βαρύγουνος) locum satis difficilem *P.* 385 *sqq.* et hoc narrat: *turbidam* factam esse aquam et *languidum* flumen fulminis ictu. Hoc vero nemo mirabitur qui recordetur, ex hac Iovis κεραννώσει etiam Apollodori temporibus „ἐκ τῶν τούτου ῥείθρων ἄνθρακας φέρεσθαι".

Utrum ipse Callimachus primus id invenerit, ut pro homerico ὑποτρομέειν (*K.* 95 τρομέει δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα, cf. *K.* 390) vs. 79 poneret ὑποδινηθῆναι, an alii hoc inventum debeat, nescimus; trepidationem autem nostro loco illud verbum indicare, quamquam multi dissentiunt, non dubium mihi videtur. Ceterum putaverim poetam ad hoc compositum adductum esse versu Odysseae, et β. 151 variare voluisse, ubi de aquilis dicitur

ἔνθ' ἐπιδινηθέντε τιναξάσθην πτερὰ πυκνά.

Neglegentius paulo Homerum suum inspexit noster cum sequentem versum pangeret, nisi in ipsa fortasse translatione elegantiam sectatus est. *K.* 376 enim Dolon ab Ulixe et Diomede petitus, fuit

---

dubito an parum recte. Inest enim responsum, quamvis haud copiosum in illis versibus 84 et 85. Non responsum sed pars narrationis deest.

[1]) Obiter moneo formam χέρα, apud Homerum non obviam, tragicis poetis deberi.

[2]) Nonno hoc adiectivum in deliciis fuisse monet Schneider. Conferendus autem inprimis Lib. XXVII. 270 Ἀσωπὸς βαρύγουνος ὀπίστερον ἴχνος ἐλίσσων.

[3]) Cf. Bredau l. l. p. 80.

„χλωρὸς ὑπαὶ δείους· τὼ δ' ἀσθμαίνοντ' ἐκιχήτην ...." Quid nunc Callimachus? Num forte putabat ἀσθμαίνοντ' pro ἀσθμαίνοντα dictum esse? Ipsam saltem nympham metu pallidam fecit et ἀσθμαίνουσαν. Vides ita simul convenire versum cum versu hymni homerici *in Apoll.* 359, nam ibi de dracone dicitur: „ἡ δὲ μέγ' ἀσθμαίνουσα", quae verba sonorum similitudine revocat noster (ἥλικος ἀσθμαίνουσα). Novandi cupidus aliud quoque adiectivum pro χλωρὸν elegit: ὑπόχλοος, cuius novi adiectivi ratio componendi minus solita (nam *adiectiva* cum ὑπὸ componi tali significatione solent) fortasse cum Theocriteo ὑπόδροσος recte comparabitur. Ipsum substantivum χλόος de pallore usurpatur ab Apollonio Rhodio (II. 1248 et alibi).

Postremo contra Schneiderum, qui offensus obscuritate versus 82 Ἑλικῶνος ad sequentia traxit parum nunc quidem elegantiam curans, monendum videtur non *frondes* contremuisse tantum, sed Helicone cum ceteris refugiente *totas quae in monte erant arbores concussas esse*; itaque nympham vidisse „χαίτην Ἑλικῶνος σειομένην". At neget fortasse quispiam χαίτην indicare arbores, cum frondes tantum comis comparari possint non totae arbores. Cui respondeo tamen ita facere placuisse Callimacho cum III. 41 ὄρος κεκομημένον ὕλῃ diceret (cf. supra pag. 59). — Tandem ἥλιξ illa δρῦς, „*nymphae coaeva quercus*" docet, quomodo accipienda sint verba „ἥλικα χαίτην" IV. 297, quod moneo propter Schneideri explicationem huius loci. In extrema qua hi versus desinunt quaestione non habeo quo lectores detineam nisi hoc, incitatum fuisse Callimachum ut hanc de vita nympharum ἀπορίαν proferret loco hymni *in Venerem* vs. 265

τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάται ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ,

et eodem spectare epitheton αὐτόχθων quo Meliam nympham ornat vs. 80. Nam e iudicio poetae nostri nymphae sunt, ut Pindari verbis utar, „ἰσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῖσαι" (fr. 165), at tamen seiunxit ipsas nymphas hamadryades ab arboribus. Qua in re sedulo sequitur eum Apollonius Rhodius II. 477.

Vs. 86. τοῖς μὲν ἔτ' Ἀπόλλων ὑποκόλπιος αἰνὰ χολώθη,
φθέγξατο δ' οὐκ ἀτέλεστον ἀπειλήσας ἔπι Θήβῃ·
„Θήβη τίπτε τάλαινα τὸν αὐτίκα πότμον ἐλέγχεις;
μήπω, μή μ' ἀέκοντα βιάζεο μαντεύεσθαι.
90 οὔπω μοι Πυθῶνι μέλει τριποδήιος ἕδρη,
οὐδέ τί πω τέθνηκεν ὄφις μέγας, ἀλλ' ἔτι κεῖνο
θηρίον αἰνογένειον ἀπὸ Πλειστοῖο παρέρπον

Παρνησὸν νιφόεντα περιστέφει ἐννέα κύκλοις.
ἀλλ' ἔμπης ἐρέω τι τορώτερον ἢ ὑπὸ δάφνης·
φεῦγε πρόσω· ταχινός σε κιχήσομαι αἵματι λούσων
τόξον ἐμόν· σὺ δὲ τέκνα κακογλώσσοιο γυναικὸς
ἔλλαχες. οὐ σύ γ' ἐμεῖο φίλη τροφὸς οὐδὲ Κιθαιρὼν
ἔσσεται· εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην".

Novo vocabulo primo versu ad novam rem indicandam opus erat cum deum in utero matris vaticinantem fingere vellet Callimachus. Nam novum sane erat ille deus qui matrem laborantem fecit *ἐγγαστρίμυθον*. Profecto incognita non erant Callimachi aetate talia vaticinationis prodigia: novimus omnes infantem illum in Marucinis anno 214 in utero matris „*Io triumphe*" clamantem (cf. Livius XXIV. 10), noster vero ad ipsum deorum vatem hanc artem refert. Quod quonam consilio fecerit incertum est, id tantum constat, opinor, eo modo augeri *Deliaci* dei honores, si non *Delphis* tamquam Pythius accepisse sed iam antea habuisse artem vaticinandi Apollo videatur [1]); simul observasse poetam rerum Boeoticarum historiam sacram cum primum vaticinatum esse *ἐν γαστρὶ μητρὸς* deum dicat in eadem regione cuius fuit haud ignobile oraculum Apollinis *Ptoi*, et celeberrimum Ismenii Apollinis oraculum, inter antiquissimas huius dei sedes semper habitum (cf. schol. ad Lycophr. 265 et Paus. IX. 10).

Verum haec in transitu; ipsum vocabulum *ὑποκόλπιος* eiusdem artis est inventum, quae poetam docuerat illud „*μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων*" (pag. 11). Sciens haec novavit; sciens quoque in verbis *αἰνὰ χολώθη* sequitur homericum usum accusativi *αἰνά* — *αἶν' ὀλοφυρόμενος*, *αἰνὰ τεκοῦσα* (quamquam *κεχολωμένος αἰνῶς* dixit τ. 325) — sed inscius fortasse aberravit ab antiquo usu verbi *φθέγγεσθαι*. Nam ita ut noster hic et vs. 107 *ἐφθέγξατο τοῖα*, numquam Homerus, vix autem umquam tragici poetae locuti erant. Hi enim licet obiecti accusativum nonnumquam adiciant (*βοὴν λόγους* talia cf. IV. 265) non tamen ita hoc verbo utebantur quasi a verbo *λέγειν* nihil distaret. Ipsi Homero *φθέγγεσθαι* numquam aliud est nisi *sonum edere*. Fraudi Callimacho potuit esse Φ. 212 *sq.*

εἰ μὴ χωσάμενος προσέφη ποταμὸς βαθυδίνης
ἀνέρι εἰσάμενος, βαθέης δ' ἐκ φθέγξατο δίνης.

Eodem modo ac nostro loco, II. 25 legimus „*ἰὴ ἰὴ φθέγγεσθε*".

---

[1]) Itaque non cum theophania Delphica nec cum sede a Gaea Themideve accepta cohaerere Apollinis *μαντικὴν* censet Callimachus.

Recte autem ἔπι ad ἀπειλήσας traxisse Schneiderum (quem non secutus est Wilamowitz.) arguit *N.* 582.

De voce αὐτίκα („*qui postea erit*") conferatur quaeso pag. 39. — ἐλέγχειν significatione inquirendi e tragoedia sumptum videtur (cf. Aesch. *Agam.* 1351), Aeschylo saltem debetur illud τορώτερον vs. 94, nam τορὸς μῦθος, τορὸν ἔπος frequentata Aeschylo sunt; et τριποδήιος...ἕδρη sensu τοῦ καθίζειν ἐπὶ τοῦ τρίποδος tragice dictum est. De usu adiectivi ταχινὸς vidimus pag. 28 [1]). Versu eodem quamquam haeret in poetae memoria versus homericus *K.* 370 „ἠὲ μέν' ἠέ σε δουρὶ κιχήσομαι", tragicorum tamen sermonem loquitur in extremis verbis τόξον de *sagittis* accipiens, quod numquam fecerat Homerus, haud raro tragici, quamquam, sicut Euripides in *Ione* vs. 159 „μάρψω σ' αὖ τόξοις ὦ Ζηνὸς κήρυξ", plurali numero solent uti quotiens cum sagittis ipse arcus intellegitur [2]); sed λούειν αἵματι τόξον solas sagittas spectat, sicut Simonides (fr. 106 *Bgk.*) dixit ταννυγλώχινας ὀιστοὺς λοῦσεν [3]).

Mixta sunt eodem modo tragica cum homericis versu 96. Nam quamquam λαχεῖν non prorsus eandem vim obtinet in epicis [4]) quam habet nostro loco, conferri tamen poterit Ψ. 79 κὴρ... ἥπερ λάχε γιγνόμενόν περ, et „κακογλώσσοιο γυναικὸς" sono revocat λ. 384 κακῆς ἰότητι γυναικός. Contra vox κακόγλωσσος tragoediam sonat, tragicorum enim sunt eiusmodi composita qualia κακόθρους Soph. *Ai.* 138, κακόστομος Eur. *Iph. Aul.* 1001; ipsum κακόγλωσσος reperitur *Helen.* 661 (κακόγλωσσος βοή).

Vs. 98 iterum forma medii μελοίμην placuit poetae (de quo verbo videatur pag. 46). Num vero ideo ad tragicum exemplum hic versus referendus sit dubito, nam εὐαγὴς non soli tragoediae proprium (εὐαγεῖν legitur Eur. *Bacch.* 1009 εὐαγοῦντ' εὐσεβεῖν), et apte comparabimus *hymn. hom. in Cer.* 274

ὄργια δ' αὐτὴ ἐγὼν ὑποθήσομαι, ὡς ἂν ἔπειτα
εὐαγέως ἕρδοντες ἐμὸν μένος ἱλάσκοισθε [5]).

---

[1]) De adiectivo *αἰνογένειος*, quod apte cum homerico ἠυγένειος componit Bredau l. l. p. 26, et de versibus 92. 93 post copiosam Spanhemii expositionem non habeo quod addam, de subst. ὄφις cf. infra ad II.

[2]) De hoc Ionis loco (quod ad calcem notare liceat) egregie disseruit pseudo-Demetrius de elocutione p. 199. Ceterum de hac voce cf. supra pag. 98.

[3]) Cf. Theocr. XXII. 172 ἴυγξα λοῦσαι.

[4]) Cf. pag. 28 et infra ad II. 43.

[5]) Theocr. XXVI. 30 αὐτὸς δ' εὐαγέοιμι καὶ εὐαγέεσσιν ἄδοιμι non exemplo fuit nostro, sed huius versus imitatio, quales multi insunt in eo carmine quod merito a Theocriteis secerni iubet KNAACK *Analecta* (*Herm.* 25 p. 86).

Vs. 99. ὣς ἄρ' ἔφη· Λητὼ δὲ μετάτροπος αὖτις ἐχώρει.
ἀλλ' ὅτ' Ἀχαιιάδες μιν ἀπηρνήσαντο πόληες
ἐρχομένην, Ἑλίκη τε Ποσειδάωνος ἑταίρη
Βοῦρά τε, Δεξαμενοῖο βοόστασις Οἰκιάδαο,
ἂψ [δ'] ἐπὶ Θεσσαλίην πόδας ἔτρεπε· φεῦγε δ' Ἄναυρος
καὶ μεγάλη Λάρισα καὶ αἱ Χειρωνίδες ἄκραι,
105 φεῦγε δὲ καὶ Πηνειὸς ἑλισσόμενος διὰ Τεμπέων.
Ἥρη, σοὶ δ' ἔτι τῆμος ἀνηλεὲς ἦτορ ἔκειτο
οὐδὲ κατεκλάσθης τε καὶ ᾤκτισας, ἡνίκα πήχεις
ἀμφοτέρους ὀρέγουσα μάτην ἐφθέγξατο τοῖα·

Describere iter Latonae et ad rationes geographicas revocare confusam vagationem neque lubet neque vacat; neque causas quaeremus cur hanc urbem memoraverit, illam omiserit, numve ut Atheniensibus placeret, Atticam hic quoque in refugientium numero non nominaverit. Nunc sermo tantum spectandus est, in quo illud primum offendit quod vs. 99 μετάτροπος scripsit, cum Homerus in tali re ὑπότροπος dicere soleat (Z. 367, 501; υ. 332). Hesiodus (*Theog.* 89) μετάτροπα ἔργα vocavit facta *quae in caput auctoris redeunt* (Hom. παλίντιτα). Accedit autem ad nostri versus significationem Euripides (*El.* 1147) „μετάτροποι πνέουσιν αὖραι δόμων". (cf. Aesch. *Pers.* 973). De voce αὖτις vide supra pag. 13.

Formam Ἀχαιιὰς (vs. 100) Homerus non nisi substantive posuit, adiectivum adhibuit Ἀχαιίς. Optimo iure censuit noster inter utramque formam iustum discrimen non fieri; itaque hic et V. 13 Ἀχαιιάδες, III. 231 Ἀχαιίδες scripsit. Indicari vero nostro loco non urbes Achivas sed eius regionis quae Achaea dicebatur arguit versus sequens. Contra Ἀχαιίδας III. 231 Achivorum naves dixerat. Verbum autem ἀπηρνήσαντο homericum non est et suspicionem movit Valckenaerii qui in schedis adnotat explicationem supra scriptam veram lectionem ἀπηνήναντο obliterasse. Ducebatur fortasse Valckenaerius ad emendationem sanequam elegantem versu homerico *H.* 185, ubi eandem sedem verbum obtinet

„οἳ δ' οὐ γιγνώσκοντες ἀπηνήναντο ἕκαστος."

Attamen, licet Homero ignotum sit verbum compositum, simplex ἀρνεῖσθαι saepius occurrit, et in dictione ἀρνεῖσθαι γάμον (α. 249) sensum obtinet nostro versui haud dissimilem. Quapropter codicum lectionem ἀπηρνήσαντο servandam puto, alio tamen exemplo confirmandam. Recte dici nemo negat, et obversatur menti, dum versum legimus, locus Thucydidis VI. 56 de Harmodio „ἀπαρ-

νηθέντι τὴν πείρασιν". Propius vero accedit aut saltem accedere videbatur Callimacho Sophocl. *Philoct.* 527

χὴ ναῦς γὰρ ἄξει, κοὐκ ἀπαρνηθήσεται,

et satis ille versus lectionem tutatur.

Forma *πολῆες* notabilis est, quia Callimachus hic et IV. 279 nominativum pluralem per *η* scripsit, ceteris autem casibus pluralis numeri *η* non adhibet. Cum vero in iis urbibus a poeta antiquitatum peritissimo memoretur Helice „*Ποσειδάωνος ἑταίρη*", noli dubitare quin id contineat interpretationem homericam. Memorat enim Homerus non solum Helicen, Neptuno sacram urbem Θ. 203

οἳ δέ τοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ Αἰγὰς δῶρ' ἀνάγουσι,

sed etiam *Υ*. 404 deum ipsum dixerat *Ἑλικώνιον*, de quo epitheto cum grave inter Alexandrinos esset bellum non stetit Callimachus ab eorum partibus qui — ut postea Aristarchus — Boeoticum Helicona spectari putarent [1]).

Buram autem *βοόστασιν* vocat aperto lusu nominis, sed substantivum *βούστασιν* debet Aeschylo. Nam *Prometh.* 653 Io illa cuius vagationes, omnem geographiam ludificantes, exemplum praebuerunt nostro, somnio admonetur ut eat „*πολίμνας βουστάσεις τε πρὸς πατρός*". Euripidi *βούσταθμος* (*-ον*) in usu erat. Formatum est vocabulum ad normam substantivi magis noti *ἱππόστασις*. Homerus utrumque stabulum dixerat *σταθμόν*.

De verbo *ἑλίσσεσθαι* vs. 105 passive (cf. vs. 263) adhibito iam dictum est pag. 114. Nisi fallor, huc trahendi non sunt loci homerici, in quibus occurrit significatione prorsus alia medium *ἑλιξάμενος*, licet numerorum similitudine (*ἑλιξάμενος δι' ὁμίλου N.* 204, *ἑλιξάμενος διὰ βήσσας P.* 283) formam illorum versuum imitetur poeta. Contra memorabile est exemplum interpretationis homericae, quod vs. 106 homericum *νηλεὲς ἦτορ* reddit per *ἀνηλεές*, producto *ē*, eodem modo quo Homerus productum habet *ā* in *ἀνηκουστέω*, *ἀνήνυστος*, ipseque in *ἀνήκοος* infra vs. 116. — Cum *ἔκειτο* conferri poterit *ω*. 423 „*ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔκειτο*", quod si revera spectavit noster, apparet eum non vitasse imitationem Odysseae partis extremae, quam spuriam duxit Aristarchus.

Vix homerice loqui ipse sibi videbatur insequenti versu *κατεκλάσθης* adhibens, quamquam ludens lectoribus in animum revocat homericum illud „*κατεκλάσθη φίλον ἦτορ*", *δ*. 48 et alibi semper

---

[1]) Varios harum opinionum testes et auctores refert Ebeling. in lexico hom. *s. v.* *Ἑλικώνιος*.

dictum de animo fracto ex metu sive dolore. Adiecit ne errarent lectores „τε καὶ ὤκτισας", interpretatus additamento verbum quod alio sensu quam Homerus adhibuit. Quod faciens forsitan tenuerit memoria praeclarum locum Platonis in *Phaedone* (117 D) „Ἀπολλόδωρος δὲ καὶ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ οὐδὲν ἐπαύετο δακρύων καὶ δὴ καὶ τότε ἀναβρυχησάμενος κλαίων καὶ ἀγανακτῶν οὐδένα ὄντινα οὐ κατέκλασε τῶν παρόντων". At in re incertissima nihil pro certo affirmaverim.

τῆμος et hic et III. 80 aliter adhibet quam solebat Homerus, qui aut praemittit ἦμος aut ita saltem ponit sententiam ut cogitando adicias relativum. Ita Hesiodus quoque fecit *Opp.* 557, 667. Noster vero III. 80; IV. 147, ita τῆμος scripsit quasi idem valeret ac τότε, (cf. Apollonius Rhod. IV. 252). Contra in eo versu de quo nunc agimus, modo Wilamowitzium audias, post Τεμπέων interpungentem μέσῃ στιγμῇ, secundum antiqui sermonis normam adhibitum τὸ τῆμος poterit videri. At oritur eo modo inde a versu centesimo inelegans admodum sententiarum ordo, et ni fallor non poetam sed librarium corrigemus si illud δ' incommode post ἄψ additum expungemus: id ubi fecerimus non hic ut III. 80 τῆμος positum erit nullo addito relativo, sed praemisso τῆμος sequetur ἡνίκα versu 107, sicut factum videmus in τημόσδε — ὅτε I. 26 (supra pag. 14).

Vs. 109. „Νύμφαι Θεσσαλίδες, ποταμοῦ γένος, εἴπατε πατρὶ
κοιμῆσαι μέγα χεῦμα· περιπλέξασθε γενείῳ
λισσόμεναι τὰ Ζηνὸς ἐν ὕδατι τέκνα τεκέσθαι".

Ut solet libenter adhibere femininas formas in ις numerose cadentes, χορίτιδες, ζευγίτιδες (cf. pag. 52), ita Θεσσαλίδας, non Θεσσαλὰς nymphas salutat, tragicam formam eligens qua Euripides *Alc.* 331 praeierat: „νύμφη Θεσσαλίς". Simul ποταμοῦ γένος eas dixit, ut eodem modo γένος ad personas referret, quo et alibi saepe Homerus et Φ. 186, loco simillimo, „φῆσθα σὺ μὲν ποταμοῦ γένος ἔμμεναι εὐρὺ ῥέοντος" (cf. infra ad II. 74). — Neque vero κοιμῆσαι ab Homeri dictione abscedit, quod immerito Ruhnkenio suspectum erat legere iubenti κοιμίσσαι, quia I. 47 Callimachus ἐκοίμισεν scripsisset (cf. pag. 23). Quod sequitur, χεῦμα, si non homericum attamen antiquae tragoediae proprium est, quamquam genetivus adici solet, qui nostro loco vix requiritur. Verum in verbis περιπλέξασθε γενείῳ dativus, quem omnes codices summa concordia exhibent, tantopere fuit offensioni et editoribus et lectoribus ut plerique Schneidero assensi sint γενείων scribenti, quem genetivum cum sequenti verbo λίσσεσθαι coniungi iubet. Et sane minus vulgatum est περιπλέξασθαι

γενείῳ. Cave tamen quidquam mutes vitiumve librario imputes quod, siquid est vitii, Callimachi fuit; vix enim dubium est in huius verbi usu cum Homero miscuisse nostrum tragicos poetas. Nam hi omnibus verbis amplectendi notionem reddentibus dederunt significationem aliquanto latiorem. Ita Euripides non modo *Med.* 1205 „περιπτύξας δέμας" dixit, sed *Phoen.* 1671 quoque στόμα γε σὸν προσπτύξομαι, quod optimo iure defendit Valckenaerius. Huius licentiae memor noster collatis homericis versibus ξ. 313 „ἴστῳ περιπλεχθείς", ψ. 33 „γρηὶ περιπλέχθη", in constructione verbi Homero tantum non obsecutus, in significatione tragicos imitatus est.

Sequens versus primo obtutu tantopere offendit, ut rem acu tetigisse dixeris eum virum doctum qui olim in codice Taurinensi ad marginem appinxit „δέχεσθαι". Attamen non obtemperandum ei est: manum Callimachi arguit illud τέκνα τεκέσθαι, repetitum, ut praesertim in versus exitu facere solet, ex homericis, nunc autem ex hymno *in Venerem* vs. 127. Sed insolitus profecto et ab omni graecitate fere alienus infinitivus ille est a verbo λίσσεσθαι pendens cum non addatur pronomen ἐμέ. Facili coniectura poteris corrigere: „λισσόμεναι τὰ Διός μ' εἰν ὕδατι κ. τ. λ." Equidem nihil mutandum censeo, quia credo obversatos esse nostro versus Θ. 372

ἦ οἱ γούνατ' ἔκυσσε καὶ ἕλλαβε χειρὶ γενείου
λισσομένη τιμῆσαι Ἀχιλλῆα πτολίπορθον.

Ibi infinitivum cum λισσομένη coniunctum videns, neglegentia peccavit arbitratus Homerum omisisse τοὺς Ἀχαιούς, et quia accusativum cum infinitivo saepius verbo λίσσεσθαι adiunxisset Homerus (*I.* 511 Θ. 30) facili modo in suo versu a lectoribus ἐμὲ adiectum iri putavit.

Vs. 112. „Πηνειὲ Φθιῶτα, τί νῦν ἀνέμοισιν ἐρίζεις;
ὦ πάτερ, οὐ μὴν ἵππον ἀέθλιον ἀμφιβέβηκας.
ἦ ῥά τοι ὧδ' αἰεὶ ταχινοὶ πόδες; ἦ ἐπ' ἐμεῖο
μοῦνον ἐλαφρίζουσι, πεποίησαι δὲ πέτεσθαι
σήμερον ἐξαπίνης; ὃ δ' ἀνήκοος. ὦ ἐμὸν ἄχθος,
ποῖ σε φέρω; μέλεοι γὰρ ἀπειρήκασι τένοντες.
Πήλιον ὦ Φιλύρης νυμφήιον, ἀλλὰ σὺ μεῖνον,
μεῖνον, ἐπεὶ καὶ θῆρες ἐν οὔρεσι πολλάκι σεῖο
ὠμοτόκους ὠδῖνας ἀπηρείσαντο λέαιναι."

Alia est imitandi ars, quae verbis verba reddere cupiat ut singula singulis respondeant, alia qua studeat quis poetae rationem quidem dicendi imitari at propriis suis verbis rem enarrare. Multo frequen-

tius priori illi generi imitationis Callimachus dat operam quam huic difficiliori, et si nostro loco dicendi rationem homericam ipse sua arte reddere conatur fatendum est satis *ἀκαίρως* artis specimen eum dedisse. Studet, ut opinor, imitari acerbam quandam ironiam vel cavillationem qua hic illic utuntur heroes homerici, imitationem autem arguit verbum hoc quidem sensu minus usitatum *ἐλαφρίζειν*. Ducitur enim ad hoc verbum acerbissimo versu homerico *Π.* 745 ubi in longe alia re hostem deridet Patroclus:

ὦ πόποι, ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ· ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ.

Ceterum, neque in reliquis neglegit hanc imitationem liberiorem Homeri. Decantatam velocitatis cum vento comparationem (ut *K.* 437 de Rhesi equis „*θεῖειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι*") innovat interrogatione *τί νῦν ἀνέμοισιν ἐρίζεις*; Odysseae versum *ε.* 371

„ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων"

propter equitationem raro ab Homero memoratam haud indignum putavit, quem ornaret variando *„ἵππον ἀέθλιον ἀμφιβέβηκας"*. Maiore autem libertate, si modo recte eum versum accipio, versu 115 dixit: *„πεποίησαι δὲ πέτεσθαι σήμερον ἐξαπίνης;"* Vix enim putaverim bene haec verba interpretatum esse scholiasten, qui adnotat *„ἀντὶ τοῦ προσποιῇ"*. Ut non prorsus incognitus sit hic verbi *ποιεῖσθαι* usus, parum tamen nunc convenit. Neque vero assentior Graevio ita locum vertenti: *„fecistine <eos> volare hodie?"* Durum enim est subaudire *pedes;* simul latet qua causa motus poeta medio *πεποίησαι* usus sit. Equidem Ernestium secutus locum verterim: *„factusque velox es derepente?"* Id autem si revera voluit poeta, apparet putasse Callimachum, si olim liceret dicere Homero tam *προέηκε πέτεσθαι* quam *ὦρτο πέτεσθαι*, eodem iure ad normam homericae dictionis *„ἐπεὶ ἄρ σε θεοὶ ποίησαν ἱκέσθαι"* (*ψ.* 258) se dicere posse passive *„πεποίησαι πέτεσθαι"*.

Ἀνήκοος (versu 116) Homero incognitum est, neque, ea quidem significatione quam hic obtinet, tam usitatum ut auctorem quaerere supervacaneum sit. Non procul is abest: Lycophro enim vs. 1451 exemplum praebet quod ante oculos fuisse Callimacho admodum est probabile:

τί μακρὰ τλήμων εἰς ἀνηκόους πέτρας
βαύζω;

Contra convenit cum Homeri usu dicendi cum nervos *cunctos* voce *τένοντες* indicat, latiore igitur sensu vocem adhibens quam postea tragici fecerunt, quorum usus exemplum praebet Euripides *Med.* 1176

τένοντ' εἰς ὀρθὸν ὄμμασι σκοπουμένη.

Quod non memorarem nisi frequens hic usus apud recentiores fuisse videretur: Aristarchus saltem non neglexit monere disertis verbis ad *T.* 478 „ὅτι πάντα τὰ τεταμένα νεῦρα τένοντας Ὅμηρος λέγει".

Revertitur Callimachus ad tragicum sermonem cum vs. 118, suaviore versu quam quos pangere solet, Pelion invocat „Πήλιον ὦ Φιλύρης νυμφήιον", substantivum νυμφεῖον a tragoedia mutuatus, cum praeclara illa Antigones querela ei obversaretur (vs. 891) „ὦ τύμβος ὦ νυμφεῖον". In qua re sua tamen utitur licentia, nam non λέκτρα νυμφεῖα respicit Philyrae verum Pelii montem, quo fugiens nympha *pepererat* Chironem (cf. vs. 104). Non possum quin suspicer ad eum singularem vocis usum eo devenisse Callimachum quod observasset saepius illas mulieres deasve quae in flore aetatis primos ederent partus ab Homero νύμφας dici [1]).

De vocabulo ὠδίς quod *fetum* non partus *dolores* nostro loco indicat iam dixi pag. 16. In verbo autem ἀπηρείσαντο (vs. 120) magis fortasse aequalium usum quam antiquum sermonem secutus est. Minus, opinor, *enitendi* vim habet quam ponendi, qua ratione ὁρμὴν, ὀργὴν ἀπερείδεσθαι, τὴν ἐλπίδα εἴς τινα ἀπερείδεσθαι dicitur, quin etiam τὴν λείαν εἰς τόπον τινὰ ἀπερείδεσθαι dixit Polybius cui hoc verbum in frequenti est usu. Idem iam valuisse Callimacho ii loci arguunt quibus simplex verbum legimus. Ita IV. 234 ἐρείδειν πτερὸν dicitur somnus, in qua re iterum tragoedia exemplo esse potuit (Eur. *Iph. Taur.* 1123 ὄμμα εἰς γῆν ἐρείδειν), quamquam favebant quoque huic usui illi versus Homerici a quibus abest notio omnis *adnitendi*, veluti Ψ. 284. „οὔδεϊ δέ σφιν χαῖται ἐρηρέδαται". Ex quibus iure efficias Callimachum non favisse eorum iudicio qui η. 95 (ἓν δὲ θρόνοι περὶ τοῖχον ἐρηρέδατ' ἔνθα καὶ ἔνθα) verbum explicabant tamquam „ἐνηρμοσμένοι ἦσαν", quia *fixas* fuisse sedes putarent.

Ὠμοτόκους satis explicavit Spanhemius, spectare vocem (ni fallor rectius quam Meinekius) putans ad ea quae de leonum partu rettulit Herodotus III. 108.

Vs. 121. τὴν δ' ἄρα καὶ Πηνειὸς ἀμείβετο δάκρυα λείβων·
„Λητοῖ, ἀναγκαίη μεγάλη θεός· οὐ γὰρ ἔγωγε
πότνια σὰς ὠδῖνας ἀναίνομαι — οἶδα καὶ ἄλλας
λουσαμένας ἀπ' ἐμεῖο λεχωΐδας — ἀλλά μοι Ἥρη
125 δαψιλὲς ἠπείλησεν. ἀπαύγασαι, οἷος ἔφεδρος
οὔρεος ἐξ ὑπάτου σκοπιὴν ἔχει, ὅς κέ με ῥεῖα

[1]) Cf. infra ad vs. 215.

βυσσόθεν ἐξερύσειε. τί μήσομαι; ἢ ἀπολέσθαι
ἡδύ τί τοι Πηνειόν; ἴτω, πεπρωμένον ἦμαρ
τλήσομαι εἵνεκα σεῖο, καὶ εἰ μέλλοιμι ῥοάων
δισαλέην ἄμπωτιν ἔχων αἰώνιον ἕρρειν,
καὶ μόνος ἐν ποταμοῖσιν ἀτιμότατος καλέεσθαι.
ἠνίδ' ἐγὼ —, τί περισσά; κάλει μόνον Εἰλείθυιαν.

Uno tenore Penei sermonem exscripsi quo magis appareret quantum, quotiescunque se attollit oratio, dictio Callimachi tragoediae debeat. Tragica primum ratione dicendi utitur deus fluvialis cum necessitatem magnam praedicat deam. Quibus verbis non significat caecam quandam potestatem cuius vim reconditam ipsi quoque di timent, sed nihil nisi *Iunonis iussa minasque* (cf. vs. 125). Itaque exornate exprimens id quod simplicius locutus ita dixisset: „magna est vis necessitatis quae me cogit", tragicorum usum loquendi sequitur, quorum praesertim Euripides eo modo λήθην (*Orest.* 214), λύπην (*ibid.* 399), εὐλάβειαν (*Phoen.* 782) deas vocaverat. Iam vidimus tragoediae deberi vocem ὠδῖνες ad ipsos infantes indicandum usurpatam. Tum δαψιλής, si non tragica, certe neque homerica vox est, a vulgato autem usu noster recedit, cum — id quod cum adiectivi origine ac vi verbi δάπτειν minime pugnat — in malam partem eo vocabulo utitur, qua in re praeiit quodammodo Lycophro tragicorum discipulus vs. 957

ὅπου συνοικεῖ δαψιλὴς ἐρημία.

Verbum ἀπαυγάζεσθαι, quod dixeris formatum ad exornandum vulgatum ἀποβλέπειν, apud antiquiores frustra quaerimus [1]), sed αὐγάζομαι singularem notionem quam habet Ψ. 458 quamque illustrat noster III. 129 (cf. pag. 81), obtinet nonnumquam in tragoedia (cf. v. c. Eur. *Bacch.* 596). Et cum sequenti versu recurrat ad Homerum illud „σκοπιὴν ἔχει" iam saepius repetitum, reducit nos in tragicorum sermonem singularis usus vocis ἔφεδρος ad quem explicandum idoneus est locus Sophoclis in *Aiace* vs. 609 „καί μοι δυσθεράπευτος Αἴας ξύνεστιν ἔφεδρος οἴμοι", magis etiam fortasse gravissimus ille versus Aeschyli (*Choeph.* 866)

τοιάνδε πάλην μόνος ὢν ἔφεδρος
δισσοῖς μέλλει θεῖος Ὀρέστης
ἆψειν·

quamquam fatendum est latiore iam significatione quam apud tragicos nostro loco vocabulum uti.

---

[1]) Iterum occurrit IV. 181.

Quasi haud ingratam inter tot tragoediae ornamenta memoriam Homeri fore arbitratus recurrit ad epica versu 127. Quamquam, si ad formam vocabulorum solam attendimus, hic quoque tragica deprendimus, nam *βυσσόθεν* non Homero sed Sophocli debet, qui in tali sententia dixerat *Antig.* 596 „*κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν θῖνα*". Attamen, neque id mirum, informat suum sermonem Phthiota deus ad Olympiorum deorum dictionem homericam et probe meminerat opinor Iovem ipsum quondam dicere (Θ. 21)

ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν' ὕπατον μήστωρ', οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.

Sicut vero Iovis domus *οὐρανὸς* est, ita Penei *βυσσός*.

Magis autem quam Schneiderus concedat, in sequentibus tragicum sermonem observasse mihi videtur poeta. Nam postquam Aeschyli illud „*τί πάθω, τί δὲ δρῶ, τί δὲ μήσωμαι*" (*Sept.* 1057) aemulatus exclamavit „*τί μήσομαι; ἢ ἀπολέσθαι ἡδύ τι τοι Πηνειόν*"; hoc fluvius (si recte cum plerisque editoribus Schneiderus interpunxit) ait: „*ἴτω πεπρωμένον ἦμαρ*", quod ita vertit vir doctus „*esto veniat fatalis dies*". Frustra tam apud Homerum quam apud tragicos exempla quaero quibus stabiliatur illa interpretatio imperativi *ἴτω* sine adverbio positi [1]). Rectius Meinekius *ἴτω* a sequentibus separavit. Nam secundum constantem tragoediae usum „*ἴτω*" exclamavit Peneus, „*qua loquendi forma*" (sunt verba Elmslei ad Eur. *Med.* 797) „*utuntur qui constanti animo mali quid tolerare aut periculum subire decreverunt.*"

Quae sequuntur verba, in iis profecto aliquanto ulterius progreditur quam Homerus, at tamen eius exemplum sequitur. Ut enim ille saepissime, quotiens *μόρσιμον ἦμαρ* non *diem* letalem sed ipsam *μοῖραν* indicat (cf. *δούλιον, κακὸν, ἀναγκαῖον ἦμαρ*), illa vocabula cum verbis *ῥέπειν ἐπαμύνειν* talibusque coniungit, ita suo iure Callimachus cum id quod „*τὸ μόρσιμον Διόθεν πεπρωμένον*" dixerat Pindarus, homerica ratione significat verbis *πεπρωμένον ἦμαρ*, cum verbo *τλήσομαι* ea vocabula coniunxit, ut hoc exclamet Peneus „*Esto, feram, quidquid fatum constituerit*". Eam enim huius versus esse sententiam, verba „*καὶ εἰ μέλλοιμι*" luculenter demonstrant, quae vix intellegentur nisi concitatam et abruptam Penei orationem hunc in modum suppleas „*πεπρωμένον ἦμαρ τλήσομαι, <καὶ τλαίην*

[1]) *Eundi* enim, non veniendi vim haec imperativi forma apud tragicos obtinere solet, veluti Soph. *Oed. Tyr.* 1458 *ἀλλ' ἤ μὲν ἡμῶν μοῖρ', ὅποι περ εἶσ', ἴτω* (i. e. *evadat*, cf. Plat. *Apol.* p. 19 A. *ὅμως τοῦτο μὲν ἴτω ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον*). Idem valet de verbis „*ἴτω κλάγγα*" Soph. *Trach.* 208.

ἂν> εἰ καὶ μέλλοιμι κ. τ. λ". — Ut elatum servet sermonem, vs. 130 substantivo ἄμπωτις, quae vox ex ἀνάπωτις formata poeticum habet colorem, quamquam occurrit in quotidiano sermone, adiungit adiectivum διψαλέην, quod metaphora qualem prae ceteris adamant tragici, nunc obtinet vim activam, cum alioquin soleat *aridum* indicare (cf. pag. 16). Exempla multa huius licentiae afferre ut in nota re supersedere possum, unum addam, quia idem spectat adiectivum, ex Rheso tragoedia vs. 417, ubi aestivus calor dicitur δίψιον πῦρ θεοῦ. Simul idem fecit in duobus adiectivis διψαλέος et ἀξαλέος Apollonius IV. 678.

Tandem nihil magis tragoediam reddit quam ea verba quibus Peneus orationem abrumpit, de quibus optime disseruit Schneiderus. Fatendum tamen est mirum quantum diminui gravitatem omnem et altitudinem cum tragoediam illam, post verba „ἠνίδ' ἐγὼ.... τί περισσά;" subito in comoediam vertit Peneus exclamans: „κάλει μόνον Εἰλείθυιαν", quasi iam obstetricem arcessi iubeat.

Vs. 133. εἶπε καὶ ἠρώησε μέγαν ῥόον. ἀλλά οἱ Ἄρης
Παγγαίου προθέλυμνα καρήατα μέλλεν ἀείρας
135 ἐμβαλέειν δίνῃσιν, ἀποκρύψειν δὲ ῥέεθρα·
ὑψόθε δ' ἐσμαράγησε καὶ ἀσπίδα τύψεν ἀκωκῇ
δούρατος· ἣ δ' ἐλέλιξεν ἐνόπλιον· ἔτρεμε δ' Ὄσσης
οὔρεα καὶ πεδίον Κραννώνιον αἵ τε δυσαεῖς
ἐσχατιαὶ Πίνδοιο, φόβῳ δ' ὠρχήσατο πᾶσα
140 Θεσσαλίη· τοῖος γὰρ ἀπ' ἀσπίδος ἔβραμεν ἦχος.

Absoluta Penei oratione iam paulisper ad epicum sermonem reversus elegit sibi semel atque iterum ea verba homerica quae aut propter raritatem memorabilia aut obscuritate quadam haud indigna interpretatione videbantur. In quibus est vs. 133 ἠρώησε μέγαν ῥόον: „*fugientes undas inhibuit*". Cum iam saepius in hac parte carminis respicientem viderimus poetam introitum libri *N.* nunc quoque versum quendam eius libri in mente eum habere haud mirabimur. Legitur enim *N.* 57:

τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν περ ἐρωήσαιτ' ἀπὸ νηῶν,

quem versum hodie variis modis tentatum [1]) schol. V explicant „ἐρωήσαιτε· ἡσυχάσαι ποιήσαιτε". Quo iure id fecerit scholiasta non diiudicabimus; sed videmus hanc interpretationem iam valuisse apud

[1]) Christ. scribendum censet „ἐσσύμενός περ ἐρωήσει". Cum nostro versu apte quoque Schneider comparat ε. 451 „ὣς φάθ', ὃ δ' αὐτίκα παῦσεν ἰὸν ῥόον, ἴσχε δὲ κῦμα".

antiquissimos Alexandrinos; nam non solum plane convenit cum nostro loco et Call. fr. 249, sed idem sensit quoque Theocritus (XXII. 174) secutusque est Nicander (*Ther.* 117).

Interpretem iterum agit Callimachus versu sequenti. Nam bellum cum esset inter grammaticos de homerica voce προθέλυμνος aperte docuit quid censeret de eius adiectivi usu *I.* 541 (illum enim versum hic spectat) „πολλὰ δ' ὅ γε προθέλυμνα χαμαὶ βάλε δένδρεα μακρά". Accepit enim, id quod versus noster, ex imitatione hymni *in Apoll.* vs. 383 natus, arguit, ea vi quam habet πρόρριζος, neque stetit ab ea parte cui postea favit Aristarchus qui „ἄλλα ἐπ' ἄλλοις" explicavit [1]).

ὑψόθε omisso ν quamquam in homericis non occurrit suo iure adhibuit Callimachus. Neque nimiae accusabitur licentiae quia verbum σμαραγεῖν quod de personis antiquitus non dicebatur — Eustathius propter *B.* 210, 463 docuit (1230. 56) „τὸ πλέον ἐπὶ ὑδάτων ἤκουν λέγεσθαι" — nunc de Marte dixit. Quod ut faceret suasit ei versus Φ. 198

ἀλλὰ καὶ ὣς δείδοικε Διὸς μεγάλοιο κεραυνὸν
δεινήν τε βροντὴν, ὅτ' ἀπ' οὐρανόθεν σμαραγήσῃ.

Ut enim hoc loco aeque recte verbum σμαραγεῖν ad Δία βροντῶντα referri videbatur atque ad βροντὴν, ita Callimachus licere sibi iudicavit, ut diceret „Ἄρης ἐσμαράγησε", sequentibus accuratius sonum indicans „καὶ ἀσπίδα τύψεν ἀκωκῇ δούρατος". Et hoc quidem minus feliciter. Nam vix putaverim *acie* hastae clipeum a deo pulsatum esse. Verum imitandi studio ductus poeta in usum suum convertisse videtur homerica verba quae rem plane diversam describunt (*Υ.* 259)

---

[1]) Paucis haec absolvo, quoniam accurate de hac re iam dixit de Ian. p. 31, qui huc contulit versus ex hymno hom. in *Apoll.* 383 *sqq.*

ἦ καὶ ἐπὶ ῥίον ὦσεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων
πρώτῃσι προχόῃσιν, ἀπέκρυψεν δὲ ῥέεθρα.

Minime vero mihi persuasit vir doctus cum ex nostro versu efficere voluit, iam Callimachum in altero versu legisse „πέτρῃσι προχυτῇσι" (quod ibi codices exhibent) „*idque interpretatum montem una cum promunturiis et radicibus Apollinem demisisse suo versu reddidisse per* προθέλυμνα". Vix enim talis interpretatio convenit cum vi vocis προθέλυμνος, quam idem valere ac πρόρριζος ipse Ianius quoque censet. Contra versus Callimachi coniecturae Ruhnkenianae „πρώτῃσι προχόῃσι" favere mihi videtur (hae enim προχόαι redduntur per Callimacheum δίνῃσι). Frustra vulgatam lectionem tuetur Gemollius priorem versum corrigens. Is scribit: „Man lese ῥόον (pro ῥίον) *und Alles ist in Ordnung*", sed quo modo versus ita emendatus interpretandus sit, exponere omittit.

De verbi μέλλειν usu callimacheo dicetur infra ad II. 14.

ἦ ῥα καὶ ἐν δεινῷ σάκει ἤλασεν ὄβριμον ἔγχος
σμερδαλέῳ· μέγα δ' ἀμφὶ σάκος μύκε δουρὸς ἀκωκῇ [1]).

Haud ineleganter tamen haec ultima ornatiora reddit poeta. Ut enim Homerus clipei percussi sonitum μυκηθμὸν dicit, translate verbo usus quo proprie boum mugitus indicari solet, ita ἐλελίζειν τὴν ἀσπίδα noster dicit, iubilantium militum clamorem ad clipeum referens. Clipeum autem cum diceret intonare „ἐνόπλιον", nescio an Pindari recordatus sit, a quo versibus nobilissimis Bellerophontes cantatus esset, qui Pegaso vectus „αὐτίκα χαλκωθεὶς ἔπαιζεν ἐνόπλιον", (*Ol.* XIII. 89).

Verbo tantum monebo, nam taedium fere movet continua illa imitationum investigatio, redire poetam ad exordium libri *N* cum vs. 137 memoret Ossae iuga trementia — *N.* 17 descendente Neptuno „ἐξ οὔρεος" etiam „τρέμε δ' οὔρεα μακρὰ καὶ ὕλη" — tum, verbis „ἐσχατιαὶ Πίνδοιο" illustrari locum Odysseae (γ. 294) ubi „ἐσχατιῇ Γόρτυνος" dictum erat non prorsus eodem sensu quem ceteris locis (β. 391; δ. 517; ε. 238) obtinet vocabulum ἐσχατιὴ apud Homerum; postremo nondum accuratam illam vocis φόβος notitiam habuisse Callimachum quae postea fuit Aristarchi, aut saltem non curasse ne latiore sensu quam Homerus verba φόβος et φοβεῖν adhiberet. Nam „φόβῳ ὠρχήσατο πᾶσα Θεσσαλίη" dixit, terrorem non fugam indicans, idque ne nunc quidem verbis suis usus sed Aeschyli qui aliquanto rectius *Choeph.* 167 dixerat

λέγοις ἄν· ὀρχεῖται δὲ καρδία φόβῳ.

Tandem autem suum fortasse affert cum aoristum scribit ἔβραμεν. Quam formam, aliunde non cognitam, intactam relinqui iure iubet Schneiderus, eo magis quod etiam substantivum ἦχος pro ἠχὴ recentioris Graecitatis esse videtur. — De adiectivo δυσαὴς paucis disputatum est supra pag. 71.

Vs. 141. ὡς δ' ὁπόθ' Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
σείονται μυχὰ πάντα κατουδαίοιο γίγαντος
εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο,
θερμάστραι τε βρέμουσιν, ὑφ' Ἡφαίστου τε πυράγρῃ·
145 ἔργα θεοῦ, δεινὸν δὲ πυρίκμητοί τε λέβητες
καὶ τρίποδες πίπτοντες ἐπ' ἀλλήλοις ἰαχεῦσι·
τῆμος ἔγεντ' ἄραβος σάκεος τόσος εὐκύκλοιο [2]).

[1]) Num forte propter verbi σμαραγεῖν usum suspicari licebit Callimachum quoque iam legisse eo loco σμερδαλέον et cum sequentibus id coniunxisse?

[2]) De vs. 144 disputavi *Mnem.* XIX. p. 73 ubi recipiendum esse dixi Blomfieldia-

Ecce, post Homerum et tragicos, procedit Pindarus. Quem non ad verbum quidem reddit noster, neque aemulari studet, sed ante oculos tamen habet ita ut sua arte suisque verbis imaginem reddat, olim a Pindaro inventam. Et quamvis immutatam, agnoscimus tamen in Callimacheis praeclaram Aetnae descriptionem quam dederat Pindarus *Pyth.* I. 21. Summae lyrices specimen decurtando laedere nolo; exscribam igitur quo simul et lectoribus et mihi brevis sit *ἀνάπαυλα* ab artificiis Callimachi.

τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἀγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί. ποταμοὶ δ' ἀμέραισιν μὲν προ-
[χέοντι ῥόον καπνοῦ
αἴθων'· ἀλλ' ἐν ὄρφναισιν πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖαν φέρει πόν-
[του πλάκα σὺν πατάγῳ.
κεῖνο δ' Ἀφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
δεινοτάτους ἀναπέμπει· τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι,
[θαῦμα δὲ καὶ παρεόντων ἀκοῦσαι,
οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς
καὶ πέδῳ, στρωμνὰ δὲ χαράσσοισ' ἅπαν νῶτον πο-
[τικεκλιμένον κεντεῖ.

In brevius contraxit Callimachus magnifica lyrici verba, et suo modo immutavit; redit tamen imago gigantis quem describens non meminisse Pindari non potuit. Illum gigantem variis nominibus Pindarus Typhoea, noster Briarea, postea Vergilius Enceladum dixit, spectat tamen Callimachus nomen antiquum cum Pindari „αἴθωνα ῥόον καπνοῦ" suis reddit verbis: „ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο". Ceterum quamquam non solum μυχὰ illa *Αἰτναίου ὄρεος* Pindarica respiciunt sed prae ceteris vs. 142 revocat imaginem Typhoei qui defessum latus mutare conetur quia, ut id habet Pindarus, „χαράσσει στρωμνὰ νῶτον", multum tamen abest ut aut ubique aut solum sequatur noster poetam Thebanum. Id arguit inprimis vox haud vulgatissima κατουδαῖος, quam aut Hesiodo debet, aut — quod magis probabile videtur — hymno homerico *in Mercur.* vs. 112 (*πολλὰ δὲ κάγκανα κᾶλα κατουδαίῳ ἐνὶ βόθρῳ*). — De voce ἐπωμλὶς vs. 143 iam uberius disseruit Spanhemius; verbum autem κινυμένοιο notare sufficit apud Homerum non nisi aut passive aut reflexive adhiberi.

---

num *θερμάστραι* pro vulgato *θερμαῦστραι* quod defendit Schneiderus, et reliqua „*ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρῃ, ἔργα θ' ὅμου*" ita mutanda esse suspicatus sum ut nunc exscripsi, quo facto hic erit sensus verborum: „*fremunt camini, fremunt in ipsius Vulcani forcibus opera dei, fremuntque* (quae iam perfecta erant) *tripodes et lebetes.*"

Sequentibus versibus ex suae aetatis mythologia auget et ornat Pindarica dum adicit imagini ardentes Cyclopum officinas. In quibus vocabulo θερμάστραι (ita enim cum Meinekio legendum est) caminos indicavit poeta, quos proprio nomine Homerus non indicaverat, is enim in Vulcani officina describenda πῦρ modo dixerat (Σ. 474 „χαλκὸν δ' ἐν πυρὶ βάλλεν"); πυράγρην autem ex hoplopoeia noster desumpsit.

Vs. 146 lebetas quos Homerus αἴθωνας nonnumquam dixit, πυρικμήτους vocat noster, homericum πολύκμητος innovans. — ἰαχεῦσι cum recentioribus scripsit; praesentis enim forma ἰαχέω, in tragoedia haud infrequens, ipsi Homero incognita erat qui praesenti tempore ἰάχω tantum adhibet. Non tamen longe Callimachus in hac re aberravit; occurrit enim in homericis hymnis aoristus ἰάχησεν (*hymn. in Cerer.* 20). Neque magis culpandus est, quod ἄραβος de clipei fragore dixit, cum Homerus semel (K. 375) eo substantivo usus crepitum dentium ἄραβον vocasset. Quod immutat noster, verbum ἀραβῆσαι et ἀμφαραβῆσαι recordatus.

Versus 147 structuram minime elegantem ne coniecturis corrigamus iure monet Schneider. Auget versus duritatem vocabuli τῆμος usus insolitus de quo dixi supra pag. 135. De verbo γέντο vide pag. 24.

Vs. 148. *Πηνειὸς δ' οὐκ αὖτις ἐχάζετο, μῖμνε δ' ὁμοίως*
καρτερὸς ὡς τὰ πρῶτα· θοὰς δ' ἐστήσατο δίνας,
εἰσόκε οἱ Κοιηῖς ἐκέκλετο· „σώζεο χαίρων,
σώζεο· μὴ σύ γ' ἐμεῖο πάθῃς κακὸν εἵνεκα τῆσδε
ἀντ' ἐλεημοσύνης· χάριτος δέ τοι ἔσσετ' ἀμοιβή."

De voce αὖτις iam dictum supra pag. 13. Quod sequitur, ἐχάζετο, secundum usum homericum adhibuit accuratius, opinor, quam „καρτερὸς ἔμιμνε" quod vix epice dictum videtur, nam nihil aliud valet nisi „ἐκαρτέρησε"; talis autem usus vocis καρτερὸς vereor ne non satis defendatur versu δ. 242 quo Helena Ulixem ταλασίφρονα laudavit: „ἀλλ' οἷον τόδ' ἔρεξε καὶ ἔτλη καρτερὸς ἀνήρ". Itidem recentiorum magis quam Homeri usum sequitur memorans Peneum „στήσασθαι τὰς δίνας". Ita enim Attici dicere solent, στήσασθαι τὸν ῥοῦν, quod noster alio modo indicavit vs. 133 „ἠρώησε μέγαν ῥόον". Contra apud Homerum Φ. 313 „ἴστη κῦμα" *attolle undas* valet, at ἴσχεσθαι Φ. 366 *inhibere* aquas. — Versu 150 εἰσόκε, vitiose dictum, iniuria tamen editores post Meinekium corrigunt. Commune enim vitium id esse omnibus qui Callimachi exemplum sequuntur, multis docuit Schneiderus.

Singulari consilio vs. 150 poeta dixit: „σῴζεο χαίρων". Non enim ignorabat epicae dictionis esse verbum σαοῦν quod saepius usurpat (cf. IV. 22. 197; V. 142; VI. 135), cum σῴζειν nisi hoc loco in Callimacheis non occurrat. Dixeris igitur eum suae aetatis valedicendi formulam cum homerica coniungere voluisse, et iam eum quoque observasse quod Aristarchus, teste Aristonico, adnotavit ad ν. 39 (πέμπετέ με σπείσαντες ἀπήμονα, χαίρετε δ' αὐτοί): „ὅτι οἱ παλαιοὶ καὶ ἐν τῷ ἀφίστασθαι τὸ χαῖρε ἔλεγον ὥσπερ νῦν τὸ σῴζου φαμέν". Ipsa enim abitura Peneum salvere iubet Latona.

De versu 151 omnino audiendus videtur Schneiderus, qui monet peccantem facere Callimachum contra leges metricas, qui τῆσδε ad sequentia trahant; observasse enim diligenter imitatores Homeri quod memorat schol. in Od. β. 77 „οὐδέποτε ὁ εἰκοστὸς χρόνος τοῦ ἡρωϊκοῦ στιγμὴν ἐπιδέχεται". In ipso autem vocabulo ἐλεημοσύνη innovat Callimachus. Homerus enim, licet semel adiectivo ἐλεήμων utatur, ε. 191, substantiva tantum novit ἔλεος et ἐλεητύς (Ω 44. ξ. 82). Nemo tamen ob hanc quidem licentiam Callimachum magno opere vituperabit, nam convenit forma cum homerica dictione et admodum frequens est in homericis usus substantivorum in -σύνη, tam eorum qui adiectivis in ων respondent veluti ὑποθημοσύνη μνημοσύνη σωφροσύνη, quam aliorum qualia sunt μαντοσύνη, κερδοσύνη, πλαγκτοσύνη. — At cum eodem versu dicit „χάριτος δέ τοι ἔσται ἀμοιβή" minus homerice loquitur, quam tragice. Tragici solent dicere „ἀμείβεσθαι χάριν" sive ἀμείβειν (Aesch. *Ag.* 711; Soph. *El.* 134). Non tamen pugnare cum homerica lingua eum usum substantivi χάρις docet Ξ. 235 „ἐγὼ δέ κέ τοι ἰδέω χάριν ἤματα πάντα". Quapropter dubito an ita quoque acceperit noster Minervae preces γ. 58 „δίδου χαρίεσσαν ἀμοιβήν", quasi idem haec verba valerent ac „χάριτος ἀμοιβήν".

Vs. 153. ἦ, καὶ πολλὰ πάροιθεν ἐπεὶ κάμεν, ἔστιχε νήσους
εἰναλίδας· αἳ δ' οὔ μιν ἐπερχομένην ἐδέχοντο,
155 οὐ λιπαρὸν νήεσσιν Ἐχινάδες ὅρμον ἔχουσαι,
οὐδ' ἥτις Κέρκυρα φιλοξεινωτάτη ἄλλων,
Ἶρις ἐπεὶ πάσῃσιν ἐφ' ὑψηλοῖο Μίμαντος
σπερχομένη μάλα πολλὸν ἀπέτραπεν· αἳ δ' ὑπ' ὁμοκλῆς
πανσυδίῃ φοβέοντο κατὰ ῥόον ἤντινα τέτμοι.

Gravitatem quandam ut addat narrationi suae quae in iterando deae vagantis labores facile languescat, ad rariora recurrit. Haec fuit causa ut vs. 153 ἔστιχε adhiberet, aoristum satis rarum (simplex

forma semel occurrit in Homero *Π.* 258) neque significatione aptissimum ad deae iter indicandum quae mare pervadit; simul suo more verbum movendi cum accusativo sine praepositione iungit. Eadem ratione ductus aut ipse formavit, aut ab alio gratus recepit εἰναλίδας, quodammodo aemulatus Aratum qui (*Phaen.* 918) adiectivo elegantius composito dixerat „εἰναλιδῖναι αἶθυιαι". Sed vulgatiorum adiectivorum loco talia derivata placuerunt recentioribus, qui eodem modo pro adiectivo οὐράνιος formarunt οὐρανίς (*Anth.* XV. 5 οὐρανίδες τελεταί). Et habebant quibus se defenderent. Extabat iam diu ἑσπερίς pro adiectivo ἑσπέριος dictum nec multum abest „τιμῆς βασιληΐδος" Z. 193. Quanta autem earum formarum, praesertim in plurali numero, utilitas sit in dactylicis, non opus est demonstrare. Ceterum conferri possunt quae dixi pag. 52.

Dixeris eiusdem elegantiae quaesitae amorem incitasse nostrum ut Echinadum portus „λιπαρὸν ὄρμον" praedicaret, epitheto nulli navium stationi quamvis tutae bonaeque valde idoneo [1]). Exemplum ei praebuit hymnus quem in hoc carmine componendo numquam e manibus deposuit, hymnum homericum *in Apollinem* dico, cuius poeta vs. 38 Chium laudaverat „ἣ νήσων λιπαρωτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται". Mox aptius Callimachum hunc versum imitari videbis cum (vs. 164) Samos ab eo vocatur „λιπαρή τε καὶ εὔβοτος". Quod ad nostrum attinet locum, ne Dionysio quidem Periegetae adiectivum λιπαρὸν potuit placere. Correxit enim potius quam imitatus est nostrum vs. 617 insulas memorans „νησῖν ἐπήρατον ὅρμον ἐχούσας". — Corcyram autem quod vs. 156 φιλοξεινωτάτην dixit Callimachus argumento est, eum quoque Phaeacibus in ea insula sedes tribuisse. — De verbo σπερχομένη iam dixi pag. 125. Quod autem optimi codices nostro loco omnes „ὑπ' ὁμοκλῆς" exhibent, contra vs. 231 ὁμοκλήν, id discrimen tolli iure vetat Schneiderus. Res iterum documento est quam anxie quam religiose in homericis grammatici Alexandrini versari soliti sint. Noverat Callimachus formam adspiratam, nam ubique in Iliade legerat. At meminerat quoque in hymno *in Venerem* vs. 88 dici „τοὶ δ' ὑπ' ὁμοκλῆς ῥίμφ' ἔθεον"; eum versum nunc imitatus accurate Ionicam formam servandam censuit. — Πανσυδίη versu sequenti διὰ τοῦ ν̄ scripsit ita ut postea etiam invitis codicibus scribendum esse monuit Aristarchus; verum simul contra usum homericum illud adverbium cum verbo

[1]) Valckenaerius in schedis suspicatur legendum esse „τηλίπορον". Sed moleste tum aberit οὐ.

fugiendi coniunxit. Habuit in ea re praeeuntem Aratum, cuius verba (*Phaen.* 641) „*πανσυδίῃ φεύγουσιν*" ita tamen secutus est ut magis ad homericam dictionem adaptaret, dixit enim *φοβέοντο*. In versus 159 fine *τέτμοι* magis petendi vim obtinet quam inveniendi, *ῥόος* autem de maris undis non habet quod offendat, cf. Od. *ι*. 80 *κῦμα ῥόος τε*, et in eadem versus sede ac versu nostro *μ*. 204 *βόμβησαν δ' ἄρα πάντα κατὰ ῥόον* [1]).

Vs. 160. *ὠγυγίην δ' ἤπειτα Κόων Μεροπηίδα νῆσον*
ἵκετο, Χαλκιόπης ἱερὸν μυχὸν ἠρωίνης.
ἀλλά ἑ παιδὸς ἔρυκεν ἔπος τόδε· „μὴ σύ γε μῆτερ
τῇ με τέκοις· οὔτ' οὖν ἐπιμέμφομαι οὐδὲ μεγαίρω
νῆσον, ἐπεὶ λιπαρή τε καὶ εὔβοτος, εἴ νύ τις ἄλλη·
165 *ἀλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος*
ἐστί, σαωτήρων ὕπατον γένος, ᾧ ὑπὸ μίτρην
ἴξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνι κοιρανέεσθαι
ἀμφοτέρη μεσόγεια καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται,
μέχρις ὅπου περάτη τε, καὶ ὀππόθεν ὠκέες ἵπποι
170 *Ἥλιον φορέουσιν. ὃ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός.*"

Copiosam doctrinam mythologicam de Cois insulae rebus discipulis Theocrito et Callimacho ni fallor tradidit Philetas Cous, quem et ipsum Coam historiam tractasse constat (cf. schol. ad Theocr. VII. 6 et Hesych. *ι. ν. Θεσπαλαί*). Nos tamen in hanc eruditionem nunc non inquiremus, nisi quando ipse nominum usus ad mythologiam sponte nos trahet. Sicuti nunc occasione oblata notare non abs re videtur quanta cura hic illustraverit noster quae imitari vellet. In homerico hymno *in Apoll.* vs. 42 insula Cos audit

Κόως τε πόλις Μερόπων ἀνθρώπων.

Minus hoc placuit Callimacho: ne quis enim confunderet *Meropes* illos atque *μέροπας ἀνθρώπους* maximum erat periculum [2]). Pherecydes „*Μεροπίδα*" Coem insulam iam appellaverat (cf. schol. Ξ. 255) at ne hoc quidem satis accurate. Ipse mavult *Μεροπηίδα*; etenim ita melius apparebit insulam habitatam esse a *regis Meropis progenie*, quod sequenti quoque versu indicat, quamquam latet qua causa mo-

[1]) Offendit tamen Reiskium qui coniecit *κατ' ἀθρόον*. Haec autem viri sagacissimi coniectura propter ea quae statim sequuntur (*ἤντινα τέτμοι*) multo minus placet, quam quod in schedis proposuit Valckenaerius collato versu 75: „*κατὰ δρόμον*" *anfugiebant celeriter*.

[2]) Mortales ipse quoque „*διζυροὺς μέροπας* dixit fr. 418, adiectivo homerico pro substantivo, ut saepius fecit, usus.

tus insulam eo versu dixerit *Chalciopes heroinae „ἱερὸν μυχὸν"* nisi templum sacellumve indicaturus in quo sui aequales divinis honoribus Chalciopen celebrarent [1]).

De adiectivo *ὠγύγιος* iam dictum est pag. 10. Ceterum, licet Apollinem etiam in utero homericis verbis vaticinantem facere voluerit poeta, nonnumquam tamen aberrat. Mihi saltem frustra Schneiderus id egisse videtur ut vs. 163 verba *ἐπιμέμφομαι* et *μεγαίρω* magis ad homericam dictionem conformaret divellens substantivum *νῆσον* ab his verbis, et scribi iubens *νῆσος ἐπεὶ κ. τ. λ.* [2]). Traditam enim lectionem tutatur aequalium ac sequiorum usus dicendi. Dixit noster *„ἐπιμέμφομαι"* quo sensu antiquior quivis scriptor dicturus fuerat *μέμφομαι*, fecitque talia non hic solum sed saepius ut addita praepositione augeret vim verbi. Simile quid facientem Nicandrum videbis cum eo sensu quo solet dici *μεμπτὸς* mavult *„ἐπιμεμφής"* (fr. 74. 15 Schneid. p. 19); prorsus idem vero ac noster faciet multo postea Macedonius (Anth. VI. 83)

τὴν κιθάρην Εὔμολπος ἐπὶ τριπόδων ποτὲ Φοίβῳ
ἄνθετο· γηραλέην χεῖρ' ἐπιμεμφόμενος.

Itidem vereor ne in verbo *μεγαίρειν* maiora sibi licere poeta putaverit quam quod concedit Schneiderus, qui ita versum interpretatur „noli me in hac quidem insula edere; *non vitupero (hoc) nec recuso (quominus hic me edas)*". Verbi *μεγαίρειν* significatio quam parum inter grammaticos recentiores constiterit, docere poterit Eustathii explicatio, sane absurdissima (1334. 21) *„γίγνεται δὲ τὸ μὲν μεγαίρειν ἀπὸ τοῦ μέγα καὶ τοῦ αἴρω. ὁ γὰρ μεγαίρων ἤτοι φθονῶν τὸ μεγαλεῖον αἴρει πως τοῦ φθονουμένου"*. Ad istius modi interpretationem num quid deducere potuit Eustathium eiusve auctores, nisi olim abisset propria vis verbi, quae est: *aliquid nimis magnum ducere?* Sensim videtur nata esse opinio, *φθονεῖν* et *μεγαίρειν* parum differre nisi quod in verbo *μεγαίρειν* ad invidiam accederet notio spernendi sive contemnendi et *repudiandi*. Quodsi in verbi sensu aberrarunt, non mirum constructionem quoque mutatam esse. Id autem non solum factum videmus in extrema graecitate cum idem

---

[1]) Ad fontem Burinam Chalcodon sive Chalcon colebatur heroicis honoribus (cf. Theocr. VII. 5 *c. Schol.*). Haud nimiae audaciae fortasse erit suspicari, aequo honore incolas veneratos esse sororem, cuius pietatem in patrem antiquitus mythis celebratam esse constat ex Hygini verbis quamvis obscuris *fab.* 254.

[2]) Vide quae Schneiderus de hoc loco disputat in excursu. Neque Wilamowitzio ea persuaserunt. Is autem cum pro *οὔτ' οὖν* vs. 163 *οὐ τὴν* legi iubet temere particulam *οὖν* tollit qua vix carere potest sententia.

quem modo laudavi Macedonius epigrammatum poeta minime invenustus Sardes celebrans (Anth. IX. 645) urbem dicentem fecit:

πάντα με κοσμήσαντο· πολὺς δ' ἐμὲ πολλάκις αἰὼν
ἄστεσιν ὀλβίστοις εὗρε μεγαιρομένην,

sed prima quoque eruditionis Alexandrinae aetate. Etenim Apollonius Rhodius, qui III. 485 „*οὔτι μεγαίρω*" homerico plane more adhibet, prorsus insolita loquendi ratione usus dicit IV. 1669

ἐχθοδοποῖσιν
ὄμμασι χαλκείοιο Τάλω ἐμέγηρεν ὀπωπάς,

constructione non tantum sed etiam significatione ab Homero longissime remotus. Subest autem in hoc verbi usu, quo fere *fascinare* significat, *odii* notio quae a nostro loco non abest, licet propius ad antiquam vim verbi accedat Callimachus; nostro enim versu fere idem valere videtur ac latinum *spernere*. Hanc verbi significationem cum Homeri usu minime convenire ipse quoque poeta fortasse non ignorabat; fieri tamen potest ut putaverit exempla non deesse in homericis accusativi cum verbo *μεγαίρειν* coniuncti, quia primo saltem obtutu ita factum esse videretur β. 235

ἀλλ' ἤ τοι μνηστῆρας ἀγήνορας οὔ τι μεγαίρω
ἔρδειν ἔργα βίαια κακορραφίῃσι νόοιο.

Versu 165 genetivi forma *μοιρέων* docet etiam in iis genetivis, quos Homerus in *έων* exeuntes non finxerat, hanc formam adhibuisse Callimachum. Legerat enim in Homero suo genetivum *μοιράων* K. 253, nisi (quod vix putaverim) ut Zenodoto et Aristophani sic iam ipsi quoque spurii illi versus visi sunt; pluralem autem numerum in hac ipsa voce minus apud Homerum solitum ex sui temporis usu adhibuit. — E fato deberi deum illum insulae dicens verbo *ὀφείλεσθαι* utitur. Hanc formam igitur in homericis quoque unice probandam opinatus non fecit cum eis qui in Odyssea, ubi passiva forma *ὀφείλεται* legeretur γ. 367 (cf. Λ 686—698), melius aeolicum *ὀφέλλεται* legi perhiberent. Ceterum homerice non dicitur alicui ex fato *deberi* aliquid, et sumsit ni fallor hanc dicendi rationem noster ex Aeschylo, cuius notus est versus (fr. 306 A)

τῷ πονοῦντι δ' ἐκ θεῶν
ὀφείλεται τέκνωμα τοῦ πόνου κλέος.

At in regis sui cognomine, versu 166, epicam formam, cuius maior erat gravitas, servavit. Homerus ille quidem *servatores* ρ. 187, 223 *ῥυτῆρας* dixerat, at in hymnis bis vel semel occurrit nomen *σωτὴρ*, quod noster, ut ad antiquiorem epices formam redigeret, solvit in *σαωτήρ*. Neque mirum, quoniam, si vs. 150 huius hymni

excipias, formae σῴζειν semper τὸ σαοῦν praefert. Simul γένος de uno filio dicens consulto imitatur Homeri dictionem minus usitatam; tum quod ὕπατον eum filium appellat, in ea re certe contra usum homericum non pugnat; quonam autem aptius epitheto *regem* exornare potuit quam quo summum *Iovem* salutare Homerus solitus erat? [1])

Licentiae, qua utitur poeta versu 166 dicens „ᾧ ὑπὸ μίτρην ἴξεται" apud tragicos fortasse quaerenda exempla, qui, cum semel ex homerica dictione „ὑπὸ σκήπτρῳ δαμάσσαι" illa orta esset translatio ut voce „σκῆπτρα" ipsa βασιλεία indicari posset, saepius eo modo „σκῆπτρα καὶ θρόνους" coniunxerunt. Audacter eorum exemplum aemulatur poeta noster, at haud feliciter. Nam cum voce μίτρη regis imperium significat cui haud invitae terrae se subicient, obliviscitur, potentiae regiae et coercitionis symbolum non esse diadema sed dignitatis tantum ornamentum, quo domari nemo potest.

Versu 167 ἀέκουσα κοιρανέεσθαι verba ex imitatione Homeri „ἀέκοντα νέεσθαι" (Σ. 240) nata, satis est notare, at verbo dicam de forma Μακηδόνι. Regem suum eo salutat nomine, quo gaudent Lagidae: „ἔχαιρον γὰρ δή", recte monet Pausanias X. 7, 8 „Μακεδόνες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενοι βασιλῆς καθάπερ γε ἦσαν". At profecto non inconsulte egit aut metro versus soli prospexit cum illud nomen διὰ τοῦ η̄ scripsit. Nonne apertum est hoc fieri ut regiae stirpis proavum atque originem lectoribus in mentem vocet, illum „Μακηδόνα ἱππιοχάρμην" de quo iam cecinerat olim Catalogi poeta (fr. 23 *Kink.*)? — Utinam tam aperta esset causa quae adduxerit poetam ut vs. 168 terram continentem μεσόγειαν vocaret quam vs. 178 cum ceteris mortalibus „ἤπειρον" dixit. Num forte cum III. 37 opposuisset inter se urbes μεσσόγεως et νήσους, quo iam paululum a vulgato usu deflectit, sensim ad hunc usum delatus esse putandus est? An ex nomine eius loci in Lesbi *litore*, cui (teste Myrsilo in Muelleri *fragm. Hist. Graec.* IV. 459) nomen fuit *Μεσόγειον*, efficere licebit, iam antea immutatam esse huius vocis significationem? Res incerta; id tantum constat, etiam ante Callimachum „ἠπειρώτης" et ἠπειρωτικὸς" dixisse scriptores ubi aptius „μεσόγειος" dicturi fuerant (cf. Herodot. I. 151. Xen. *Hell.* VI. 1. 4). — Insulae eodem versu indicantur verbis „αἳ πελάγεσσι κάθηνται. Quod, licet homerice dictum non sit, immerito tamen sollicitant editores. Praeierunt enim hic quoque tragici, quorum fortasse aptius exemplum non extat quam Euripidis fragm. 1068

[1]) De verbis σαοῦν et σῴζειν cf. pag. 117 et 146; de voce γένος vide p. 135 et infra ad II. 74.

πρόσω δὲ βάντι ποταμὸν Ἦλις ἡ Διὸς
γείτων κάθηται.

Vocem περάτην de qua propter ψ. 243 magna erat inter grammaticos Alexandrinos dissensio, a nostro vs. 170 pro *occidente* poni, aliter autem censuisse Aratum (*Phaen.* 499) et Apollonium (I. 1281) iam docuit Merkelius (*proleg.* ad Apoll. Rhod. pag. CXL). — Longe autem aberravit poeta in eiusdem versus exitu, qui cum praecedentibus male cohaeret: nam perperam putavit, ad normam homericae locutionis „αἴσιμα εἰδὼς" aut „μήδεα εἰδὼς" aequo iure dici posse „ὁ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός", in qua re insuper eo peccavit quod substantivum ἤθεα eo adhibet sensu quo numquam ab Homero adhibitum fuerat.

Vs. 171. „καί νύ ποτε ξυνός τις ἐλεύσεται ἄμμιν ἄεθλος
ὕστερον, ὁππότ' ἂν οἳ μὲν ἐφ' Ἑλλήνεσσι μάχαιραν
βαρβαρικὴν καὶ Κελτὸν ἀναστήσαντες Ἄρηα
ὀψίγονοι Τιτῆνες ἀφ' ἑσπέρου ἐσχατόωντος
ῥώσωνται νιφάδεσσιν ἐοικότες ἢ ἰσάριθμοι
τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται,
φρούρια καὶ . . . . . .
καὶ πεδία Κρισαῖα καὶ ἤπειροι . . . . . .
ἀμφιπεριστείνωνται, ἴδωσι δὲ πίονα καπνὸν
γείτονος αἰθομένοιο, καὶ οὐκέτι μοῦνον ἀκουῇ"
. . . . . .

Ut solet, cum novas res de suo exponit, multis per hos versus ab antiqua epica dictione decedit. De forma Ἑλλήνεσσι conferri possunt quae dicta sunt ad III. 4 (pag. 47). Neglegentius eodem versu ex usu aequalium gladium Gallorum μάχαιραν dixit, quod vocabulum non *gladium* verum *cultrum* apud Homerum indicare postea docuit Aristarchus. Neque unquam „ἀναστῆσαι Ἄρηα" dixerat Homerus cui solemne est in tali re „ὀτρύνειν ὀξὺν Ἄρηα." Sed haec leviora. Gravius est quod vocavit Gallos illos „ὀψιγόνους Τιτῆνας", ita enim verbis homericis indicat eos quos neque Homerus neque Hesiodus unquam *Titanes* dixerat. Nam quis negat Gigantes poetae obversatos esse? Atque id sane non absurde fecit, ut alteros Gigantes nuncuparet eos barbaros qui Delphici Apollinis templum erant aggressuri, quod templum ipsa poetae aetate etiam metopis suis celebraret victoriam qua olim priores illi Gigantes essent profligati. Meminerat profecto Callimachus, quantis laudibus extulisset ea metopa Euripides in Ione, et eundem poetam exquisita quadam

eruditione nunc imitari voluisse videtur cum eius exemplo (*Hec.* 472. *Iph.* 224) se adduci pateretur ut *Titanes* appellaret quos ceteri mortalium Gigantes vocassent.

In verbis ἑσπέρου ἐσχατόωντος non offendimur, nam licet Homerus substantivo ἕσπερος occidentem non indicaverit, adiectivum ἑσπέριος eo sensu cognitum est ex uno loco Θ. 29 (ἠὲ πρὸς ἠοίων ἢ ἑσπερίων ἀνθρώπων). Neque ἐσχατόων, neque ῥώσωνται (quod verbum Λ. 50, Π. 166 eadem vi positum est in eadem versus sede) habet quod nos detineat. Cum vero Gallorum catervas super Graeciam effusas vs. 175 νιφάδεσσιν ἐοικότας dicit, comparatione utitur in Iliade frequentissima. Ita *M.* 156 utrimque ruentia tela, *M.* 278 lapides ab utraque parte coniecti cum cadente nive comparantur. Comparatio autem quam praecipue spectat, magnifica illa quidem et praeclara, legitur *T.* 357 de ingentibus Myrmidonum copiis

ὡς δ' ὅτε ταρφεῖαι νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται,

et quae sequuntur. Suo tamen more, id est erudite, exornat Homerum; nam in hac comparatione imitanda verbis revocat alteram ex tertio Iliadis libro 222 ubi verba Ulixis contionantis dicuntur „νιφάδεσσιν ἐοικότα". Quo hoc saltem constat, nondum placuisse nostro tantam tamque variam artem quaerere in comparationibus homericis, qualem inesse credebant grammatici quorum verba referuntur in Schol. BL ad *Γ.* 222 „ἢ εἰκὼν ἀφορᾷ πρὸς τὸ τάχος τῆς ῥητορείας. διὰ μὲν γὰρ τοῦ πλήθους δηλοῖ τὸ πυκνὸν τοῦ λόγου, διὰ δὲ τοῦ λευκοῦ τὸ σαφὲς, διὰ τῆς νιφάδος τὴν ῥρίκην τῶν ἀκουόντων." Immo quasi disertis verbis monere vellet lectores ne aliam ac multitudinis notionem in hac comparatione inesse putarent, adiecit alteram comparationem, atque eam minime idoneam, qua Gallorum turbata caterva cum stellarum choro componitur. In hac comparatione, ut omittamus usum substantivi ἀήρ, de quo abunde egit Schneiderus, notandum est, Callimachum τείρεα vocasse non *astrorum signa* verum *singulas stellas*. Uno loco ea voce usus Homerus (*Σ.* 485) dixerat:

ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται,

ubi ex sequentibus liquet non singulas stellas sed signa seu sidera eum intellexisse. Alexandrini autem quid de vocis derivatione iudicarint parum constat, verum quod ad significationem pertinet, neque Callimachus nostro loco neque Apollonius III. 1362 („τείρεα λαμπετόωντα διὰ κνέφας") inter ἀστέρας et τείρεα ullum fecit discrimen. Neque magis apud Aratum, qui vs. 692 voce τείρεα utitur pro certo tale discrimen constituas. Ceterum, quoniam Aratea attigimus

obiter observabimus correxisse quodam modo nostrum artem Arati, cum stellas quas hic saepissime ἕλκεσθαι sive ἑλίσσεσθαι dixisset, elegantius narraret βουκολέεσθαι.

Sequentes versus 177—180, quos tantum exscripsi ne quid deesset, nimis aut corrupti sunt aut lacunosi quam ut de dictione poetae quidquam certi inde eliciatur.

Vs. 181. „ἀλλ' ἤδη παρὰ νηὸν ἀπαυγάζοιντο φάλαγγας
δυσμενέων, ἤδη δὲ παρὰ τριπόδεσσιν ἐμεῖο
φάσγανα καὶ ζωστῆρας ἀναιδέας ἐχθομένας τε
ἀσπίδας αἳ Γαλάτῃσι κακὴν ὁδὸν ἄφρονι φύλῳ
185 στήσονται· τέων αἳ μὲν ἐμοὶ γέρας, αἳ δ' ἐπὶ Νείλῳ
ἐν πυρὶ τοὺς φορέοντας ἀποπνεύσαντας ἰδοῦσαι
κείσονται, βασιλῆος ἀέθλια πολλὰ καμόντος
ἐσσόμεναι· Πτολεμαῖε τά τοι μαντήια φαίνω.
αἰνήσεις μέγα δή τι τὸν εἰσέτι γαστέρι μάντιν
190 ὕστερον ἤματα πάντα· σὺ δὲ ξυμβάλλεο μῆτερ."

Si incertis abstineamus, quaerere nolimus quaenam vis praepositionis sit in composito ἀπ-αυγάζομαι vs. 181, nam fieri potest ut spectaverit ad ea quae post versum 180 interierunt. Attamen versu 125 quoque ἀπαυγάζεσθαι adhibuit, ubi fere redit eodem ac vulgatum ἀποβλέπειν, hic contra dixeris praepositionem tantum adiectam esse ut vim sententiae adderet, itaque eodem consilio quo versu insequenti τρίποδες plurali numero ponuntur, ubi tamen non votivos tripodes sed ipsam cortinam indicari pronomen ἐμεῖο lucide demonstrat. Levia haec sunt, neque digna quae memorem nisi ut appareat quam infirmis nitatur subsidiis et quantopere ipsa languescat ars Callimachi, cui tantum ab imitatione vita affluat.

Quod autem ad eam imitationem attinet, Homerum imitatus ζωστῆρας (sintne *baltei* an *cingula* diiudicare non poteris nisi Lycophronis versum 1323 „καὶ φασγάνου ζωστῆρα καὶ ξίφος πατρός" obversatum esse nostro putaveris) ἀναιδέας dixit. Unde hoc lucrabimur: quoniam arma illa epitheto ornat eius generis cuius sunt apud Homerum νηλὴς (νηλέα χαλκόν), ἀναιδὴς (λᾶας ἀναιδής Δ. 521, ἀναιδέος ἕγματα πέτρης N. 139), probabile est non idem Callimacho de hoc adiectivi ἀναιδὴς usu homerico visum esse ac postea Aristarcho, qui „τὸ ἀνέκδοτον καὶ σκληρὸν" indicare istis versibus τὸ ἀναιδὲς iudicabat. Contra Callimachus censuisse videtur „λᾶαν ἀναιδέα" interpretandum esse *implacabilem* eodem modo quo E. 593 dictum esset „Κυδοιμὸν ἀναιδέα δηιοτῆτος". Non ad ipsum ferrum igitur spectare illud epitheton

arbitratur, sed ad animum eius qui telum gerit. Ceterum ne nunc quidem prorsus congruit cum Homero, nam *ζωστῆρες ἀναιδέες* non *crudelium* aut *durorum* hostium arma ei sunt sed eorum „*οἷσιν οὐκ ἔπεστιν αἰδώς*". Hostes autem non arma spectari verba „*ἐχθομένας τε ἀσπίδας*" (i. e. *ἀσπίδας τῶν θεοῖς ἐχθρῶν*) lucide demonstrant.

Illi igitur *ζωστῆρες ἀναιδέες* — id est ea *ἀναίδεια* quae gentem barbaram adegit ut contra deum arma accingeret — „*Γαλάτῃσι κακὴν ὀδὸν στήσονται*". Sufficeret haec dixisse, postquam iam arma *ἀναιδέα* increpuit et *ἐχθόμενα*. Sed ita deerit versiculo pars extrema. Subvenit laboranti poetae memoria prompta: extare alicubi in Odyssea (*φ*. 105) versum, qui exeat in verba „*ἄφρονι θυμῷ*" commode occurrit. Id igitur leniter immutatum adicit sententiae: „*ἄφρονι φύλῳ*". — In ceteris huius versus verbis magis fortasse tragoediam imitatur. nam recte Schneiderus attulit, quo vulgatum *στήσονται* defenderet, Aesch. *Eum.* 811 *στήσητε δύσκηλον χθόνα*.

Ut versu 184 finem versus homerici arripuit, ita vs. 186 exordium. Nam *ἐν πυρὶ* sane homericum sonat (cf. *Ω*. 38); neque imitari Homerum per reliquam eiusdem versus partem desinit, quamquam *ἀποπνεύσαντας* dixit nullo obiecto addito, cum Homerus addere solitus esset *θυμόν* (cf. *Δ*. 524; *N*. 654). In extremis autem huius partis versibus imitandi neglegentia quadam peccat quam et alibi deprendimus. Parum enim apte ad ipsum regem quem summis voluit tollere laudibus verba refert „*πολλὰ καμόντος*", quae cuivis lectori in memoriam revocant sive deos, frustra laborantes *adversus vim Iovis* („*οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε*" *Θ*. 22) sive bubulcum illum, strenuum sane hominem sed humilem (*ξ*. 65 „*ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι*). Versu autem 190 *ξυμβάλλεο* dixit quo sensu Homerus „*σὺ δὲ συνθέο*" dicere solitus erat. — De voce *εἰσέτι* dixi ad III. 77, pag. 67.

Vs. 191. „*ἔστι διειδομένη τις ἐν ὕδατι νῆσος ἀραιὴ*
πλαζομένη πελάγεσσι· πόδες δέ οἱ οὐχ ἑνὶ χώρῳ,
ἀλλὰ παλιρροίῃ ἐπινήχεται ἀνθέρικος ὥς,
ἔνθα νότος, ἔνθ' εὖρος, ὅπῃ φορέῃσι θάλασσα·
τῇ με φέροις· κείνην γὰρ ἐλεύσεαι εἰς ἐθέλουσαν".

Homerico utitur exordio. Amat enim Homerus ubi eo modo sententiam orditur, adicere verbo *ἔστι* pronomen indefinitum: „*ἔστι δέ τις ποταμὸς*" vel *πόλις* vel *σπέος εὐρύ*, vel (*γ*. 293) „*ἔστι δέ τις λισσὴ αἰπειᾶ τε εἰς ἅλα πέτρη*", et tandem, in quo versu imitando nunc delectari nostrum monet nos nominis similitudo, *δ*. 845

ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα
. . . . . .
Ἄστερις οὐ μεγάλη.

Mutavit autem illud *οὐ μεγάλη* adiectivo *ἀραιὴν* insulam accuratius depingens, voce homerica de cuius non solum significatione sed etiam forma parum constabat. De forma, si codicibus fides est, non idem Callimachus iudicavit quod Aristarchus qui (test. Schol. BL ad *E.* 425) „*τὸ ἀραιὴν ἐπὶ μὲν τοῦ ἀσθενῆ δασύνει ἐπὶ δὲ τοῦ ἐπιβλαβῆ ψιλοῖ*". Verum dubito an ne hoc quidem Aristarcho assensurus fuerit Callimachus, posse indicari *τὸ βλαβερὸν* voce *ἀραιός*. Quid enim? Ex hoc ipso loco apparet, Callimachum in eo versu homerico, ubi postea Aristarchus *ἀραιὸς* interpretabatur *βλαπτικός* (*Π.* 161 de lupis qui aquam lambunt „*γλώσσῃσιν ἀραιῇσι*"), nihil aliud intellexisse quam *longas tenuesque* luporum linguas, quoniam Delon insulam, quae tenuis angustaque et nusquam in latitudinem patens „*ἐλαχεῖα τετάνυσται*", adiectivo *ἀραιὸς* indicavit quod recte scholiasta interpretatur „*λεπτή*". — At quod adiecit *διειδομένη*, multos offendit; quin etiam omnino mutandum nonnulli editores censuerunt, veluti Valckenaerius qui in schedis suadet ut corrigamus „*ἀειδομένη*". Memoro summi viri coniecturam propter elegantem correctionis lenitatem, sed ipse quin locus sanus sit, non dubito, dummodo ne cum scholiasta interpretemur „*διαφαινομένη*" i. e. *conspicua*. Nam ita sane occurrit in Iliade *διαείδεται N.* 277

ἐς λόχον, ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρός,

a quo non nimium distat Apollonii Rhodii versus II. 579

ἤδη δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διὰ πλατὺς εἴδετο πόντος,

nostro autem versu ita fere verbum adhiberi mihi videtur, ut indicet insulam, *per mare* dum vagatur *longo cursu conspicuam*, quod imitatus accuratius expressit Apollonius I. 545 venuste cursum navis sic describens:

μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι,
ἀτραπὸς ὣς χλοεροῖο διειδομένη πεδίοιο,

quod rectissime interpretatur scholiasta: „*καθάπερ ἀτραπὸς διὰ χλοηφοροῦντος πεδίου*".

Speciosum denuo laboris Alexandrini documentum versu sequenti poeta dedit, ex eruditae doctrinae lapillis opus suum tessellatum componens, dum simul cum Homeri memoria Lycophronem colit. Depinxerat Homerus ε. 430 Ulixem in maris fluctibus luctantem:

παλιρρόθιον δέ μιν αὖτις
πλῆξεν ἐπεσσυμένον, τηλοῦ δέ μιν ἔμβαλε πόντῳ,

quam rem, more suo, involvens obscuritate et recondita doctrina exornans ita enarrat Lycophro ut tamen *παλιρροθίου κύματος* memoria servetur (vs. 755)

παρ' ἄλλου δ' ἄλλος ὡς πεύκης κλάδον
βύκτης στροβήσει φελλὸν ἐνθρώσκων πνοαῖς.
μόλις δὲ Βύνης ἐκ παλιρροίας κακῆς
ἄμπυξ σαώσει κ. τ. λ.

Quid Callimachus? Placuit ei *παλίρροια*, at, ut imagine praeceptorem vinceret, quaesivit quod levius cortice esset. Nec frustra, quid enim levitate *spicam* superet? Itaque innabit mari insula spicae instar „*ἀνθέρικος* ὥς". Qua comparatione, haud inepta in tenui insulae forma, simul aperuit poeta, quamnam nominativi formam probaret huius substantivi quod non nisi semel in Iliade occurrit (*T.* 227).

Vs. 196. *αἳ μὲν τόσσα λέγοντος ἀπέτρεχον εἰν ἁλὶ νῆσοι·*
Ἀστερίη φιλόμολπε, σὺ δ' Εὐβοίηθε κατήεις,
Κυκλάδας ὀψομένη περιηγέας, οὔ τι παλαιὸν,
ἀλλ' ἔτι τοι μετόπισθε Γεραίστιον εἴπετο φῦκος·
200 . . . . . ,
. . . . . *φλέξας ἐπεὶ περικαίεο κῆρι,*
τλήμον', ὑπ' ὠδίνεσσι βαρυνομένην ὀρόωσα·
„Ἥρη, τοῦτό με ῥέξον ὅ τοι φίλον· οὐ γὰρ ἀπειλὰς
ὑμετέρας ἐφύλαξα· πέρα, πέρα εἰς ἐμὲ Λητοῖ".

Si quis fontes Callimachi in his versibus indagare velit, parum proficiat ex ipsis verbis. Id saltem constat haud fidelissime dictionem homericam hic eum servasse. Quando enim ille maris insulas ita indicaverat ut diceret „*εἰν ἁλὶ νήσους*"? Quod si nihilominus noster fecit — et fecisse puto, nam cum verbo *ἀπέτρεχον* coniungi vix poterit illa praepositio — niti se posse fortasse putavit versu, quem modo laudavi, *γ*. 291 „*ἔστι δέ τις λισσὴ αἰπεῖά τε εἰς ἅλα πέτρη*"; quamquam dubitanter tantae neglegentiae accuso eruditum poetam, ut non viderit ibi coniungenda esse verba *εἰς ἅλα* cum adiectivo *αἰπεῖα*.

Neglegenter utique Homerum sequitur, si dum homerice loqui vult *Εὐβοίηθε* abiecto *ν̄* dicit (cf. fr. 217 *Κυπρόθε*), etsi Homerus in iis adverbiis, quae *θεν* suffixo a substantivis formantur *ν̄* non abiecerat. An putemus Pindari usum respexisse nostrum (*Nem.* IX. 1. *Σικυώνοθε*), siquidem adiectivum *φιλόμολπος*, Homero incognitum, a Pindaro (*Nem.* VII. 9) videtur sumsisse?

Cycladas, parum apte iam nunc ita vocatas, *περιηγέας* dixit

Callimachus, voce Alexandrinis pergrata, quam, semper Ionice per $\bar{\eta}$ scriptam, eodem sensu atque hic adhibet fr. 66[b], at sensu *rotundi* II. 59 ubi ita λίμνη indicatur quam olim Theognis τροχοειδέα dixerat. Ceterum non magis homericum est quod sequitur οὔ τι παλαιὸν, quamquam defenditur homerico „οὔ τι νέον γε".

A sequentibus, de quibus copiose disseruit Schneiderus, in hac disputatione manus abstinere satius. Pauca tamen sunt notanda, in quibus primum est adiectivum τλήμων vs. 202. Accurate quidem de huius vocis usu homerico observavit Aristarchus (ad *K.* 231) „ὅτι τλήμονα οἱ νεώτεροι τὸν ἀτυχῆ, ὁ δὲ Ὅμηρος τὸν τλητικὸν, τὸν ὑπομενητικόν", at non diu tam arctis finibus usum adiectivi circumscriptum fuisse docet substantivum τλημοσύνη *hymn. hom. in Apoll.* 191 de miseriis dictum, quae a dis mortalibus imponuntur. Quae significatio in tragoedia praevaluit et a Callimacho nostro loco recepta est. — Versu 203 neglegi positionem in verbis τοῦτό με ῥέξον, quae observata erat III. 200 „ἱερά τε ῥέζουσι" at neglegitur denuo V. 85 τί μοι τὸν κοῦρον ἔρεξας et IV. 245 ἀποθύμια ῥέξω nemo miratur: viderat poeta eam inconstantiam in ipsis Homeri carminibus, et cum causam ignoraret tamen sedulo sectatus est. Maioris momenti est Callimachum in pronomine ὑμέτερος iam id commisisse ut pro singulari forma pluralem poneret [1]). Nam *solam* Iunonem allocuta „ὑμετέρας ἀπειλάς" dixit, quae verba non nisi vi ad custodes illos quos sibi adiunxit Iuno, Martem dico et Iridem, traxeris. Eadem igitur licentia qua in primae personae pronomine multos, Homerum (Z. 414 πατέρ' ἀμὸν, *Π.* 244 ἡμέτερος θεράπων) secutos vidit plurale ἀμὸς vel ἡμέτερος adhibere pro singulari — noverat nonnumquam Pindarum dixisse „ὕμνοι ἀμέτεροι" et talia — eadem putabat in secunda persona sibi uti licere [2]). Quod cum faceret, nescio an in memoria habuerit locos qualis est Solonis fragm. 19

νῦν δὲ σὺ μὲν Σολίοισι πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἀνάσσων
τήνδε πόλιν ναίοις καὶ γένος ὑμέτερον,

vel Pindari *Pyth.* VIII. 66. „τὸ δ' ἑκαταβόλε πάνδοκον ναὸν εὐκλέα διανέμων Πυθῶνος ἐν γυάλοις... δόσιν πενταεθλίου σὺν ἑορταῖς ὑμαῖς ἐπάγαγες" (cf. Pind. *Pyth.* VII. 15). In his vero locis inest causa quaedam enallages et ratio talis quali explicatur notissimum illud Vergilianum

„Vos o Calliope precor adspirate canenti."

---

[1]) Cf. III. 229 (pag. 102) et IV. 233 ubi σφίτερος ad unam tantum personam pertinet.
[2]) Cf. Apollon. Dysc. *pron.* p. 142 B. sqq. (ed. R. Schneid. p. 112).

Qua excusatione quoniam noster locus caret, statuendum videtur iam in secundae personae pronomine eiusdem licentiae seu mavis neglegentiae apud Callimachum extare vestigia quam apud sequiores deprendimus, veluti apud Nonnum *Dion.* V. 340 VI. 302 [1]).

Verbo ἐφύλαξα, quod mire explicat scholiasta „ἀντὶ τοῦ φυλάξω", mutata quidem sententia imitatus est Homeri verba *Π.* 686 „εἰ δὲ ἕπος Πηληιάδαο φύλαξε". Eodem versu περᾶν, quod saepe cum accusativo θάλασσαν sive μέγα λαῖτμα θαλάσσης solebat coniungere Homerus, absolute utitur tragicorum exempla secutus, quibus tam frequentatum est hoc verbum sensu *eundi* vel *veniendi* ut exempla citare opus non sit.

Vs. 205. ἔννεπες· ἦ δ' ἄρρητον ἄλης ἀπεπαύσατο λυγρῆς·
ἕζετο δ' Ἰνωποῖο παρὰ ῥόον, ὅντε βάθιστον
γαῖα τόϑ' ἐξανίησιν, ὅτε πλήϑοντι ῥεέθρῳ
Νεῖλος ἀπὸ κρημνοῖο κατέρχεται Αἰθιοπῆος·
λύσατο δὲ ζώνην, ἀπὸ δ' ἐκλίθη ἔμπαλιν ὤμοις
210 φοίνικος ποτὶ πρέμνον ἀμηχανίης ὕπο λυγρῆς
τειρομένη· νότιος δὲ διὰ χροὸς ἔρρεεν ἱδρώς.
εἶπε δ' ἀλυσθμαίνουσα· „τί μητέρα κοῦρε βαρύνεις;
αὕτη τοι φίλε νῆσος ἐπιπλώουσα θαλάσσῃ·
γείνεο γείνεο κοῦρε, καὶ ἤπιος ἔξιθι κόλπου."

De verbo ἔννεπες conferri potest pag. 69, de voce ἄρρητον (quae longius quam solet ab adiectivo suo remota est) adeundus est Schneiderus recte contra DILTHEI „ἀρητὸν" lectionem traditam defendens. Neque multa de substantivo ἄλη dicenda sunt, voce praecipue homerica, quam adhibet noster memoria tenens o. 342 „ὅττι μ' ἔπαυσας ἄλης καὶ ὀιζύος αἰνῆς". Sequentibus autem versibus, cum caute admodum tangit fabulam vulgo apud Deliacos creditam, quae Nilum subterraneo itinere cum Inopo coniunctum tradebat (Lycophr. 575 Ἰνώπου πέλας Αἰγύπτιον Τρίτωνος ἕλκοντες ποτόν) [2]), verbis epicis rem enarrat, sed tamen hic illic deflectens paululum ab usu homerico, veluti vs. 207 cum homericum ποταμῷ πλήϑοντι (*E.* 87) inmutans πλήϑοντι ῥεέθρῳ dicit, etsi Homerus fluenta non nisi plurali numero ῥεέθροις indicat, (ut noster IV. 135), vel sequenti versu cum vocem κρημνὸς multo latiore sensu adhibet quam fecerat Homerus. Neque vero mihi videtur adiectivo βάθιστος vulgata sig-

[1]) Gravius vero et minime excusandum iudicat Apollonius Dyscolus (l. l.) quod inversa vice pro plurali singularem numerum noster adhibet (fr. 11 et 420).

[2]) Cf. Paus. II. 5, 3 (οἶδα δὲ καὶ Δηλίων τοιοῦτο ἀκούσας), Strab. VI. 271. C.

nificatione uti voluisse Callimachus; solitae notioni *profundi* additur sensus *pleni* atque *largi*, hoc enim vult poeta: *plenissimo fluvio terram emittere* (ἐξανιέναι cf. Σ. 471) Inopum eo anni tempore cum plenus sit Nilus. Quamobrem putasse Callimachum suspicor, suo se iure eam vim simplici adiectivo tribuere posse quam in compositis, qualia sunt homericum βαθυλήιος, tragicorum βαθύπλουτος et talia, obtinere videbat. — Versu 208 ἅπαξ εἰρημένον homericum „Αἰθιοπῆας" (Α. 423) repetitum esse, id notari satis est.

Post longas ambages tandem vs. 209 reversus ad notiora saepiusque narrata in quibus antiquus poeta praeierat, Callimachus diligentia summa, ut suae aetatis ars postulat, singula exponit, itaque accuratius quam factum erat Latonae parturientis habitum describere conatur. Quare hymni homerici versus 117 *sqq.*

„ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισεν
λειμῶνι μαλακῷ"

longissima narratione illustrat et exornat. Copiose de hisce versibus disserentes tam Spanhemius quam alii iam fontes indicarunt e quibus sua hausit Callimachus, brevi igitur, ne acta agam, absolvam ea tantum attingens quae ad epicam dictionem pertinent. Vs. 209 ἀποκλίνεσθαι, quod verbum Od. τ. 556 et *hymn. hom. in Ven.* 168 aliam vim obtinet, ita hic accipi vult poeta, ut deam fingamus *in latus reclinantem* (cf. vs. 236) dum altero humero — epicum enim exemplum secutus plurali numero utitur licet de uno tantum humero cogitet — adnititur arbori. Ea autem imagine simul corrigit illud „κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος", minus accurate dictum arbitratus in homerico hymno *in Apoll.* vs. 17, nam legisse eum in suis exemplaribus versus 17 *sqq.* qui hodie damnari solent, ipsa verborum similitudo arguit.

At vs. 211 Homerum ipsum denuo illustrat. Is enim Α. 811 dixerat „κατὰ δὲ νότιος ῥέεν ἱδρὼς ὤμων καὶ κεφαλῆς". Quod quoniam ita reddit noster ut putasse eum appareat eodem iure de sudore qui per totius corporis *superficiem* effunditur dici posse ῥεῖν διὰ χροός, iam liquet quid de versu Α. 398 iudicaverit, ubi Diomedes

καθεξόμενος βέλος ὀξὺ
ἐκ ποδὸς ἕλκ', ὀδύνη δὲ διὰ χροὸς ἦλθ' ἀλεγεινή.

Nam ita hic χρόα indicare corporis superficiem arbitratus, ut ipse hanc vocem adhibet I. 17 et 32, verba διὰ χροὸς accepit de dolore qui raptim summum corpus herois percurreret neque intus penetrasset.

Ad versum 212 de verbo ἀλυσθμαίνουσα accurate egit Schnei

derus, nec multa de his versibus restant notanda, nisi quod ad usum in antiqua epica dictione rariorem respicit Callimachus cum pro *παῖ* semel atque iterum *κοῦρε* dicit, de qua re egimus supra pag. 112. Ut praeiit hoc usu poeta hymni in *Merc.* 490 (*καί τοι ἐγὼ δώσω ταύτην Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε*), ita secutus est Theocritus in eo hymno, quo nostrum aemulatur, XVII, vs. 66 „*ὄλβιε κοῦρε γένοιο*". — De verbo *γείνομαι* iam dictum est pag. 54.

Vs. 215. *Νύμφα Διὸς βαρύθυμε, σὺ δ' οὐκ ἄρ' ἔμελλες ἄπυστος*
δὴν ἔμεναι· τοίη σε προσέδραμεν ἀγγελιῶτις,
εἶπε δ' ἔτ' ἀσθμαίνουσα, φόβῳ δ' ἀνεμίσγετο μῦθος·
„Ἥρη τιμήεσσα, πολὺ προΰχουσα θεάων,
σὴ μὲν ἐγώ, σὰ δὲ πάντα, σὺ δὲ κρείουσα κάθησαι
220 *γνησίη Οὐλύμποιο καὶ οὐ χέρα δείδιμεν ἄλλην*
θηλυτέρην. σὺ δ' ἄνασσα τὸν αἴτιον εἴσεαι ὀργῆς".

Substantivi *νύμφη* usum apud Callimachum non prorsus iisdem finibus circumscribi quibus usum homericum iam vidimus supra pag. 138; nostro autem loco consulto formam adhibet vocativi, quae bis tantum occurrit apud Homerum: nam adludere eum ad homericum illud „*νύμφα φίλη*" (*Γ.* 130; *δ.* 743) non dubium. Sed in eo ab antiquiore usu recedit quod „*Διὸς νύμφην*" Iovis uxorem salutat, quae neque recens nupta esset neque ipsa primo aetatis flore frueretur. Ad eam rem ducitur Callimachus aliquatenus tragicorum exemplo quibus saepius placuit dearum reginam quam „*Διὸς ἄλοχον*" dixerat Homerus, appellare *Διὸς* sive *δάμαρτα* sive *σύλλεκτρον* quin etiam *ὑπαγκάλισμα*. Eos aemulatus nunc noster decrevit Iunonem *νύμφην Διὸς* nuncupare. Eandem autem cum diceret *βαρύθυμον* adiectivo utebatur in quo alia est vis *τοῦ βαρὺς* quam quae Homero cognita fuerat in eius adiectivi compositis. Noverat ille *κακότητα βαρεῖαν*, *ἄτην βαρεῖαν* et *ἔριδα*, at composita significatione translata non habet. In hymnis tantum *βαρύκτυπος* et *βαρύφθογγος* occurrunt, tragici autem demum et Pindarus *βαρύδικος βαρύλογος βαρύμηνις* formarunt; et eorum exempla secutus Lycophro *βαρύζηλος* et hoc ipsum *βαρύθυμος* adhibuit.

Ἄπυστος utramque vim qua utitur apud Homerum in Callimachi carminibus obtinet. Active, de eo *qui rem non audiit*, est in Odyssea *ε.* 127, unde sumsit noster hunc ipsum versum: „*οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος Ζεύς*". Item ut cum genetivo coniungit Homerus *δ.* 675 „*ἄπυστος μύθων*" ita Callimachus fr. 469 *παιδὸς ἄπυστος*. At passive, ut notum illud „*οἴχετ' ἄϊστος ἄπυστος*" (*α.* 242), in hymno VI (vs. 9)

memorantur raptae Proserpinae „ἄπυστα ἴχνια". Quanta autem in eiusmodi imitationibus fidelitas fuerit Alexandrinis saepe vidimus, idque nunc denuo inde efficies, quod cum casu accidisset in Homeri carmine ut priore significatione vox ἄπυστος ultimam versus teneret sedem, altero sensu in tertio trochaeo posita esset, fideliter id servavit Callimachus, tam in iis quos laudavi locis, quam, ut videtur, fr. 272. — Vs. 216 ἀγγελιῶτις suspectum fuit Schneidero, qui dubitans proposuit ἄγγελος Ἶρις. Minime vero necessaria haec videtur mutatio, idque eo minus quo gratior fuit Callimacho haec substantivorum feminina forma. [1])

Vs. 217 εἶπε δ' ἔτ' ἀσθμαίνουσα. Ut re, ita significatione diversus est versus quem verborum sono sequitur, *hymn. hom. in Apoll.* 359; ibi enim draco „κεῖτο μέγ' ἀσθμαίνουσα". Elegantiam imitandi talem nemo nostrum profecto laudabit. Ceterum de ipso verbo ἀσθμαίνειν plura dicta sunt pag. 130. Quod autem hunc versum attinet non solum in verbo ἀναμίσγεσθαι ab usu Homeri recedit sed substantivum quoque φόβος confirmat quod vidimus p. 143, Callimachum, licet vs. 159 optime φοβεῖσθαι sensu fugiendi adhibuerit, non magis quam Zenodotum perspexisse φόβον timoris sensum apud Homerum non obtinere.

Parum honoris adiectivo τιμήεσσα (vs. 218) illi deae addi dixeris, quae ipsa de se praedicet „θεάων ἔμμεν' ἀρίστη" (Σ. 364). Accedit, quod illud adiectivum casu quodam non nisi de mortalibus mortaliumve rebus antiqui dixerant; — quamquam τιμάοχος audit Ceres *hymn. hom. in Cer.* 269. Et vix minus languidum videbitur verbum προέχειν si comparaveris cum antiquo ὑπείροχος. Sed haec levia sunt. Dignius est quod notetur illud „κρείουσα γνησίη Οὐλύμποιο" (vs. 219) non solum quod κρείουσα, eodem modo ac hymno III. 267 — si quidem recte post solemne χαῖρε μέγα ibi interpunximus — substantivi vicem obtinet, verum propter singularem quoque usum vocis γνησίη. Nam γνήσιοι apud Homerum dicuntur filii ingenui, e iustis nuptiis nati. Nunc vero Callimachus cogitasse videtur de usu eius adiectivi arctiore quem notavit accurate Aristophanes quoque Byzantius; is enim (Cram. *Anecd. Ox.* III. 192) τοὺς μὲν γνησίους καλεῖ ὅσοι ἐκ τῶν αὐτῶν ἔφυσαν γονέων. Eodem modo nunc germanam Olympi reginam Iris salutat Iunonem illam quae Iovis erat *et soror et coniunx*: „κασιγνήτη τ' ἄλοχός τε."

Novum plane est quod eodem versu timorem ita suum declarat

[1]) De verbo μέλλειν vide infra ad II. 14.

Iris Iunoni „*καὶ οὐ χέρα δείδιμεν ἄλλην θηλυτέρην*". Nam notissima ea quidem est apud omnes scriptores ratio loquendi qua tamquam digito quis monstratur, cum non statim ipsa persona nomine suo indicatur, sed praemittunt „*οὐκ ἄλλος*", semper autem sequitur aut „*εἰ μὴ*" aut „*ἀλλά*". Saepe adicitur *τόσον ὧδε πρόσθεν* talia; non vero sic nude, si quis dicere velit „*σὺ ἐποίησας*" dicere solet „*οὐκ ἄλλος ἐποίησεν*". Gravius autem peccatum erit si, dicere volentes „*οὐδένα μᾶλλον δέδιμεν ἢ σέ*" aut „*οὐδένα τοσοῦτον δέδιμεν ὅσον σέ*", simpliciter dixerimus „*οὐκ ἄλλον δέδιμεν*". Neque ita solebat loqui Homerus. Rem planissimam exemplis illustrare vix opus est. Unum tantum dabo quod de ipsa Iunone dicitur *Φ*. 275:

ἄλλος δ' οὔ τίς μοι τόσον αἴτιος Οὐρανιώνων
ἀλλὰ φίλη μήτηρ.

Aliquantum ab hoc versu dicendi ratione distat locus quo in errorem Callimachum inductum esse suspicor. Versus exscribam, quia certum esse arbitror eos poetae nostro continuo ante oculos fuisse haecce componenti [1]); hymni homerici *in Apollinem* versus 51 et sequentes sunt:

„Δῆλ' εἰ γάρ κ' ἐθέλοις ἕδος ἔμμεναι υἷος ἐμοῖο,
Φοίβου Ἀπόλλωνος, θέσθαι τ' ἐνὶ πίονα νηόν·
ἄλλος δ' οὔ τις σεῖό ποθ' ἅψεται, οὐδέ σε τίσει,
οὐδ' εὔβουν σε ἔσεσθαι ὀίομαι, οὔ τ' εὔμηλον,
οὐδὲ τρύγην πολλὴν, οὔτ' ἄρ φυτὰ μυρία φύσεις·
αἰ δέ κ' Ἀπόλλωνος ἑκαέργου νηὸν ἔχῃσθα,
ἄνθρωποί τοι πάντες ἀγινήσουσ' ἑκατόμβας,
ἐνθάδ' ἀγειρόμενοι."

Videtis aliquid interesse inter Iliadis locum quem laudavi atque hos versus. Et tamen, quoniam hoc fere voluit dicere hymni poeta: „Quia neque armentis unquam florebis neque fructuum copia, nemo unquam te colet — *nisi ego qui nunc te adeo*", poterat videri Callimacho ita iam antiquitus locutos esse poetas ut post „*οὐκ ἄλλος*" verba *εἰ μὴ* vel *ὅσον* omitterent. Ulterius itaque progredi licere opinatus iam dicere non verebatur „*οὐκ ἄλλην*" ubi volebat „*τὴν σὴν μάλιστα* (*χέρα δείδιμεν*)".

Vs. 222. „*Λητώ τοι μίτρην ἀναλύεται ἔνδοθι νήσου.*
ἄλλαι μὲν πᾶσαί μιν ἀπέστυγον οὐδ' ἐδέχοντο·

---

[1] Cf. cum hymn. hom. vs. 46 Call. 223, et vs. 222 „*ἔνδοθι νήσου*" minus vulgata locutio cum hymn. vs. 52 et 92.

Ἀστερίη δ' ὀνομαστὶ παρερχομένην ἐκάλεσσεν,
Ἀστερίη πόντοιο κακὸν σάρον· οἶσθα καὶ αὐτή.
ἀλλὰ φίλη, δύνασαι γὰρ, ἀμύνειν πότνια δούλοις
ὑμετέροις, οἳ σεῖο πέδον πατέουσιν ἐφετμῇ".

Versu 222 indulget noto in composita verba amori cum *ἀναλύεσθαι μίτρην* (ut 237 *ἀναλύεται ζώνην*) dicit pro simplici *λύεσθαι*, quod in tali re solemne fere est. Fieri potest ut hic quoque uti sibi visus sit exemplo homerico, *ἀνά τε πρυμνήσι' ἔλυσαν*. Minus saltem in hac re languida *παρέλκει* praepositio *ἀνὰ* quam *ἀπὸ* quod placuit Oppiano cum, rem iocosam, de leaena parturiente *Cyn.* III. 56 narraret:

„πεντάκι θηλυτέρη δὲ τόκων ἀπελύσατο ζώνην".

Sequenti versu dignum est ad quod attendamus verbum *ἀπέστυγον*. Nam apud tragicos poetas verbis *στυγεῖν* et *ἀποστυγεῖν* odii fere magis subest notio quam timoris, veluti Eurip. *Ion.* vs. 488 *τὸν ἄπαιδα δ' ἀποστυγῶ βίον ᾧ τε δοκεῖ ψέγω*, (cf. Soph. *Oed. Col.* 186), neque ea vis aliis locis callimacheis deest, ut fr. 109 et *Hecal.* fr. 52 [1]). In Homero autem discrimen notabant grammatici Alexandrini, ut Aristarchus qui accurate observavit ad *O.* 183: *„ὅτι ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἐν διαφορᾷ μετάγεται· νῦν μὲν δεδίασιν („τόν τε στυγέουσι καὶ ἄλλοι"), ὅταν δὲ εἴπῃ· „σμερδαλέ' εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ" ἀντὶ τοῦ μισοῦσι"*. Et ita Callimachus alibi *ἀντὶ τοῦ μισεῖν* verbo *ἀποστυγεῖν* usus, nunc *τὸ δεδιέναι* voluit indicare. Non enim odio motae sed terrore perculsae insulae Latonam aversantur, nam, ut est in homerico hymno, *„μάλ' ἐτρόμεον καὶ ἐδείδισαν, οὐδέ τις ἔτλη Φοῖβον δέξασθαι"* (*hymn. hom. in Apoll.* 47).

Vix *Ὀλυμπίως* at certe non *ὁμηρικῶς* loquitur Thaumantias cum vs. 225 Asterien increpat *„πόντοιο κακὸν σάρον"*, substantivo usa rarissimo et eam ob causam gratissimo poetae glossographo. Ipsum nomen utrum alii cuidam debeat an Ioni, a quo famulam vetulam *„παλαιὸν οἰκίας σάρον"* vocatam esse Hesychius testatur, equidem non diiudicem, at hoc pro certo fere adfirmare ausim, imaginem ei suppeditatam esse a Lycophrone. Chalcidicus enim iste *σκοτεινὸς* vs. 387 de Aiace dixerat:

τὸν δ' οἷα δύπτην κηρύλον διὰ στενοῦ
αὐλῶνος οἴσει κῦμα γυμνήτην φάγρον,
διπλῶν μεταξὺ χοιράδων σαρούμενον.

Imagine, quae ut par est delectabat nostrum, paululum inmutata

---

[1]) Constanter ita Lycophro: vide vss. 421, 761, 1392.

insulam quae tamdiu κατὰ πόντον ἁλωμένη aequora *verrisset* „πόντοιο σάρον" nunc dicere statuit.

Qui fortasse miretur, vs. 226 minus verecunde Iridem adversus Iunonem allocutione φίλη usam esse, is cogitet, *adiectivi* vicem eam vocem hic obtinere, ac πότνια nunc substantivum esse. Observarant enim Alexandrini, vocem πότνια in homericis plus quam semel (id quod saepius fit in tragoedia) vim habere substantivam, ut testatur Apollonius Lex. (134. 9) „σεβαστὴ καὶ ἔνδοξος. ὁ δὲ Ἀπίων δέσποινα, τιμία". Et citabatur ad hanc significationem (δέσποινα) vindicandam non solum Φ. 470 „πότνια θηρῶν", verum etiam hymn. *in Cerer.* 203 „πότνιαν ἀγνήν". Callimachus autem modo, sicut saepissime Homerus, deae cuiusdam nomini adiungit πότνια (V. 55 πότνι' Ἀθηναία, VI. 50 πότνια Δαμάτηρ) modo, quod frequens in hymnis homericis, nullo nomine addito ponit, idque plerumque in versus sede prima (III. 136, 210, 225, 259; IV. 123; V. 86; VI. 10;), aut denique sive adiectivo sive articulo addito plane pro substantivo utitur. Cf. VI. 60

οἳ μὲν ἄρ' ἡμιθνῆτες, ἐπεὶ τὰν πότνιαν εἶδον,
ἐξαπίνας ἀπόρουσαν.

Eodem modo φίλη πότνια nostro loco dictum est.

In extremo versu obiter notandum est δούλοις. Res est notissima Homerum, licet δουλοσύνη et δούλιος noverit, substantivo δούλη duobus tantum locis usum esse. Quorum altero „Μεγαπένθης, ἐκ δούλης" (δ. 12) scholia monent nonnullos Dulen pro nomine proprio accepisse „διὰ τὸ μηδέποτε λέγειν οὕτω τὸν ποιητὴν τὴν θεράπαιναν" et eam ipsam ob causam eosdem grammaticos spurium duxisse versum Γ. 409 „εἰσόκε σ' ἢ ἄλοχον ποιήσεται, ἢ ὅ γε δούλην", (cf. Aristonicum ad Γ. 395). Non videtur eorum opinioni favere noster, idque fortasse non iniuria; at translate ut hic substantivo usus, tragicorum, certe non Homeri, sermonem loquitur.

De plurali ὑμετέροις ad vs. 204, de verbis „πέδον πατέουσιν" ad vs. 62 huius hymni dictum est. Voci autem ἐφετμῇ eam dedit sedem quam tantum non semper occupat apud Homerum.

Vs. 228. ἦ, καὶ ὑπὸ χρύσειον ἐδέθλιον ἷζε κύων ὡς,
Ἀρτέμιδος ἥτις τε, θοῆς ὅτε παύσεται ἄγρης,
230 ἷζει θηρήτειρα παρ' ἴχνεσιν, οὔατα δ' αὐτῆς
ὀρθὰ μάλ', αἰὲν ἑτοῖμα θεῆς ὑποδέχθαι ὁμοκλήν.
τῇ ἰκέλη Θαύμαντος ὑπὸ φρόνον ἷζετο κούρη,
κείνη δ' οὐδέ ποτε σφετέρης ἐπιλήθεται ἕδρης,

οὐδ' ὅτε οἱ ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείσῃ·
ἀλλ' αὐτοῦ μεγάλοιο ποτὶ γλωχῖνα θρόνοιο
τυτθὸν ἀποκλίνασα καρήατα λέχριος εὕδει.
οὐδέ ποτε ζώνην ἀναλύεται οὐδὲ ταχείας
ἐνδρομίδας, μή οἵ τι καὶ αἰφνίδιον ἔπος εἴπῃ
δεσπότις.

Multi de hisce versibus disputarunt multa, magnaque est de tota hac parte doctorum virorum dissensio. Plurimum vero a ceteris distat Schneiderus, qui contra Meinekium aliosque praefracte negat, „θηρήτειρα a voce κύων in enuntiationem relativam esse retractum" et quod idem Meinekius ἴχνεσιν interpretatur (Dianae) ποσὶν iniuria factum esse iudicat, quia non adiectum sit „Ἀρτέμιδος vel θεῆς vel aliud quid quod eius (deae) esse ἴχνη intellegenda doceat"; ipse autem verba „θηρήτειρα παρ' ἴχνεσιν" ita interpretatur, ut canis etiamnunc venationis non oblita *assidere vestigiis ferarum* putetur. Equidem in neutra re viro doctissimo adstipulari possum. Nam primum quod contendit, retractionem qualem hic statuit Meinekius „admitti non posse nisi transposita vox etiam enuntiationi relativae apta sit", etiamsi iure perhibeatur (et aliquatenus valere nemo negaverit) nequaquam eo efficitur, ut Callimachus non recte se ita dicere posse putaverit ut dixisse eum Meinekius opinetur. Habuit enim ante oculos versus homericos in quibus idem usu venire non sine veritatis specie contendere posset. Ita *P.* 640

εἴη δ' ὅστις ἑταῖρος ἀπαγγείλειε τάχιστα,

non multum distabat *H.* 186:

ἀλλ' ὅτε δὴ τὸν ἵκανε φέρων ἀν' ὅμιλον ἁπάντῃ
ὅς μιν ἐπιγράψας κυνέῃ βάλε φαίδιμος Αἴας,

et magis etiam notus erat *I.* 131 (quo loco codices Alexandrinorum variabant)

τὰς μέν οἱ δώσω, μετὰ δ' ἔσσεται ἣν τότ' ἀπηύρων
κούρη(ν) Βρισῆος.

Neque vero iure negat Schneiderus vocem ἴχνεσιν genetivo carere suo. Nam nihil obstat quin genetivum Ἀρτέμιδος cum sequentibus coniungamus, neque cum Schneidero ad substantivum κύων in praecedentem versum trahamus. Ceterum, licet comparationem Iridis cum cane venatica debeat noster Homero, cui frequens est talis vigilantiae imago (*K.* 183; *O.* 579; *X.* 189; *al.*), verbis suis usum homericum non fideliter servavit: „παρ' ἴχνεσιν" numquam dixerat ille ubi voluit indicare παρὰ ποσίν. Tragicorum est pedes ἴχνη vo-

care. Rei satis notae unum exemplum afferam atque id luculentissimum, euripideum illud ex *Bacchis* (vs. 1134)

ἔφερε δ' ἡ μὲν ὠλένην
ἡ δ' ἴχνος αὐταῖς ἀρβύλαις.

Eundem satis frequentem usum tragicorum sequitur quoque in hac ipsa voce Callimachus in secundo hymno (vs. 12) cum monet choreutas, ne eorum sit „ἄψοφον ἴχνος", qui usus substantivi optime convenit cum eiusdem Euripidis *Orest.* vs. 140 „λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης τίθετε, μὴ κτυπεῖτε". Quotiescunque vero noster eo vocabulo non pedes aut ipsum βῆμα indicare vult, verum *vestigia* pedum, solet dicere ἴχνιον ἴχνια, de qua forma pauca dixi pag. 73.

Vs. 228 Iunonis thronus dictus est „χρυσεῖον ἐδέθλιον" quae vox non homerica est, sed tamen ad homericorum vocabulorum normam formata. Cognoverat enim Homerus θέμεθλον; cognitum tragicis erat γένεθλον; Hesiodus „ἐχέτλη" dixerat, ex quo Nicander *ther.* 825 habet ἐχέτλιον, et sine discrimine adhibent tam noster quam aequales utramque formam ἔδεθλον et ἐδέθλιον. Significatione nihil distant a simplici forma ἕδος [1]), at placent Alexandrinis formae pleniores. Ita ἔδεθλον habes II. 72, Lycophr. 887, Apollon. Rhod. IV. 330; ἐδέθλιον — in quo vocabulo deminutiva forma omnem vim deposuit — nostro loco et II. 62, Lycophr. 800, Apollon. Rhod. IV. 631.

Vs. 229 lucide demonstrat quod verbo iam notavi pag. 68 et 99, (cf. II. 59 ἀγρώσσουσα) non distinxisse nostrum inter se θήρη θηρητὴς θηρεύω et ἄγρη ἀγρευτὴρ ἀγρεύω. Neglexit igitur cum scriptoribus Atticis id quod apud Homerum constare videtur discrimen. Hic enim cum μ. 330 „ἄγρην ἐφέπεσκον" dixisset, adiecit „ἰχθῦς ὄρνιθάς τε"; altero loco, χ. 306 „χαίρουσι δέ τ' ἀνέρες ἄγρῃ" non nisi de *avibus* (falconum auxilio) *captis* accipi ἄγρη potest. Etiam ε. 53 „ἰχθῦς ἀγρώσσων" demonstrat, poetam a verbo ἀγρεῖν id derivare; neque unquam his verbis usus est, cum cogitaret de ea venatione quae vi fiat et armis. Callimachus vero et hic de Dianae ἄγρῃ simul ac de cane θηρητείρᾳ agit et II. 59 ipsam deam Venatricem inducit ἀγρώσσουσαν.

Dicitur autem (vs. 231) canis arrectis auribus adsidere semper parata θεῆς ὑποδέχθαι δμοκλήν. In quibus hoc primum monendum, eam vim quam nunc verbo ὑποδέχεσθαι tribuit Callimachus, in antiqua dictione epica id verbum non obtinere. Neque recte conferri poterit Hesiodi *Theogon.* 419 ubi *deus* dicitur hominum „εὐχὴν

[1]) Cf. tamen ad II. 62.

ὑποδέχεσθαι". Cum vero eo sensu, quem nunc verbum compositum habet, simplex apud scriptores non infrequens sit — nam eodem fere redit Thucydidis „*ὀξέως δέχεσθαι τὰ παραγγελλόμενα*" (II. 11) — potius dixeris ad ornandum firmandumque verbum ex more Alexandrinorum additam esse praepositionem. Vocabulum *ὁμοκλή*, quod si fides est codicibus hic aspero spiritu scripsit (cf. vs. 158), aptissimum ad indicandas incitationes quibus evocari canes solent (cf. Xen. *Cyn.* VI. 13 *sqq.*) ita adhibuit, ut appareat eum stetisse ab eorum partibus qui statuerent non necessario in ea voce inesse sensum *cum minis increpitandi*, cf. Ψ. 337; *hymn. in Cer.* 88; et Apoll. *Lex.* 120. 27.

De pronominis *σφετέρης* usu, quod adhibet vs. 233 „*σφετέρης ἐπιλήθεται ἕδρης*" leniter versum homericum *δ.* 455 „*δολίης ἐπελήθετο τέχνης*" (cf. *hymn. hom. in Merc.* vs. 76) inmutans, iam dictum est supra ad vs. 203. — Eodem versu *τεχνικῶς* de custodis statione *ἕδρη* dicit, quod unde habeat equidem ignoro, in epica dictione certe novicium est. — Sequens vero versus ut verbis ita re ab antiquo sermone deflectit. *Soporiferam* enim Somni *alam*, cum ne alatum quidem noverit Homerus somnum, nemo in homericis quaeret. Sed mittamus indagare quis inter antiquiores poetas alis primus somni deum ornaverit; quaerere praestat, cuinam poetae noster debeat illud *ληθαῖον πτερόν*. Haud indignabitur Callimachus si contendamus eum hoc loco miscuisse Lycophronis verba homericis. Lycophro enim vs. 1127 adiectivo non usitatissimo *σκότον* dixerat *ληθαῖον*. Mutuatus ab eo illud adiectivum Callimachus tamen, cum alam *Somni* *ληθαῖον* diceret simul recordabatur, quibus verbis Homerus *ν.* 85 laudasset somni beneficia:

ὃ γάρ τ' ἐπέλησεν ἁπάντων,
ἐσθλῶν ἠδὲ κακῶν, ἐπεὶ ἄρ βλέφαρ' ἀμφικαλύψῃ.

De verbo *ἐρείδειν* conferri potest quod adnotavi pag. 138. De substantivo *γλωχῖν* dictum est ad IV. 31 (pag. 119).

Quae restant breviter absolvam. Nam *ἀποκλίνειν* et *ἀποκλίνεσθαι* supra ad vs. 209 tractavi; pluralem numerum *καρήατα* de uno capite dictum — qui usus praesertim tragoediae est proprius — exemplis illustravit Schneiderus; accusativus ille *ἰντερόν* adverbii loco positus, tam frequens in Homero est, ut exempla afferre ineptum sit. — Adiectivum *λέχριος* minus vulgatum est sane quam *πλάγιος*, et haud temere suspicabimur illud suppeditasse vocabulum Xenophontis de Venatione librum, quem in aula Philadelphi in honore fuisse nemo miretur. Haerebat opinor in poetae memoria imago canis vigilantis, quam ita depinxit Xenophon (*Cyn.* IV. 3) „*ἰχνευέτω-*

σαν δ' ἐκ τῶν τριμμῶν ταχὺ ἀπαλλαττόμεναι, τιθεῖσαι τὰς κεφαλὰς ἐπὶ γῆν λεχρίας." Numquam tamen quidquam inornatum relinquit noster. Et nunc quidem ex tragoediae arca ornat Xenophontem cum dicit „*ποτὶ γλωχῖνα θρόνοιο τυτθὸν ἀποκλίνασα καρήατα λέχριος εὗδει*". Id enim tragicis praesertim in deliciis est, ut adiectivis verba standi, sedendi, eundi ornent. Genere autem communi, minime usitato, „*λέχριος*" scripsit noster quo propius accederet imitatio ad exemplum Sophoclis, in cuius *Oed. Col.* 195 chorus monet Oedipodem ut consideat „*λέχριός γ' ἐπ' ἄκρου λᾶος βραχὺς ὀκλάσας*".

Nemo propter vocem *αἰφνίδιος* (vs. 238) arguat Callimachum leges epicae dictionis vitiasse: licet enim adiectivum non occurrat in epicis, cognitum est Homero *ἐξαίφνης* pro *ἐξαπίνης*; versu autem 239 *δεσπότις* solitae formae *δέσποινα* praeposuit eodem amore ductus quo *ἀγγελιῶτις* vs. 216, *ἐργάτις* fr. 77, *ἀλετρίς* infra vs. 242 dixit.

Vs. 239. *ἦ δ' ἀλεγεινὸν ἀλαστήσασα προσηύδα·*
„οὕτω νῦν ὦ Ζηνὸς ὀνείδεα καὶ γαμέοισθε
λάθρια καὶ τίκτοιτε κεκρυμμένα, μηδ' ὅθι δειλαὶ
δυστοκέες μογέουσιν ἀλετρίδες, ἀλλ' ὅθι φῶκαι
εἰνάλιαι τίκτουσιν, ἐνὶ σπιλάδεσσιν ἐρήμοις".

Licet Callimachus animum Iunonis dolore infensum depingat verbis vere homericis, nam *M.* 163 eodem modo dictum erat „*ἀλαστήσας ἔπος ηὔδα*", ipsa tamen regina deorum neque dignitati Olympi neque epicae dictionis gravitati quidquam consulit. Vix homerico sermone dignum est quod aemulas suas *Ζηνὸς ὀνείδεα* increpat. Nam etsi *ὄνειδος* apud Homerum tam iurgium quam dedecus indicare solet et proxime ad hunc versum accedit illud „*σοὶ γὰρ ἐγὼ καὶ ἔπειτα κατηφείη καὶ ὄνειδος ἔσσομαι*" (*Π.* 498; *P.* 556), non tamen *ipsas personas ὀνείδεα* dicit Homerus. Immo potius quam Homerus Aristophanes hic nostro exemplo esse potuit, cuius novimus illud „*Χολαργέων ὄνειδος*" (*Acharn.* 855). Fieri tamen potest, ut id inprimis suppeditaverit Callimacho vocabulum *ὄνειδος*, quod meminerat in re haud omnino dissimili ita Auroram allocutam esse Tithonum (*hymn. hom. in Vener.* 248):

„αὐτὰρ ἐμοὶ μέγ' ὄνειδος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ἔσσεται ἠματα πάντα διαμπερὲς εἵνεκα σεῖο.

Ceterum verbis *γαμέοισθε* et *τίκτοιτε* accusativos *λάθρια*, *κεκρυμμένα* adiciens tamquam adverbii loco, morem sequitur tragicorum, neque homerice verbo *γαμεῖσθαι* utitur in illicito amore (qua de re dictum est pag. 84), nunc quidem ab Homeri ser-

mone non inscius deflectens, nam ipsum adverbium arguit eum cogitare de dictione homerica „λάθρῃ μίσγεσθαι". Recordatur interea Homeri cum Iunonem insequenti versu — quo versu deorum reginam minus similem depinxit deae quam praepotenti Alexandrinae cuidam uxori quae maritum cum ancillula turpiuscule peccantem increparet — facit exclamantem „μηδ' ὅθι δειλαὶ δυστοκέες μογέουσιν ἀλετρίδες", nam his verbis parat locum vix dignum in carmine suo uni illi γυναικὶ ἀλετρίδι, cuius labores *v.* 105 *sqq.* praeclare enarraverat Homerus, aliam mehercle ob causam eam molitricem δειλὴν appellans (vs. 115) [1]). At redit poeta ad id carmen, quod prae ceteris nunc aemulatur, homericum dico hymnum in Apollinem, versu 242 phocas memorans, querelamque illam illustrans, quam Delos insula ediderat *hymn. hom.* 77:

πουλύποδες δ' ἐν ἐμοὶ θαλάμας φῶκαί τε μέλαιναι
οἴκια ποιήσονται,

phocas autem μελαίνας illas nunc εἰναλίας vocat, non tam ut alludat ad alterum phocarum epitheton homericum ἁλιοτρεφὴς quam ut contemptim dicere Iuno videatur, in ipso fere mari eas parere.

Vs. 244. „Ἀστερίῃ δ' οὐδέν τι βαρύνομαι εἵνεκα τῆσδε
ἀμπλακίης, οὐδ' ἔστιν ὅπως ἀποθύμια ῥέξω
τόσσα δέοι· μαλὰ γάρ τε κακῶς ἐχαρίσσατο Λητοῖ
ἀλλά μιν ἐκπαγλόν τι σεβίζομαι, οὕνεκ' ἐμεῖο
δέμνιον οὐκ ἐπάτησε, Διὸς δ' ἀνθείλετο πόντον."

Vs. 244 notandum est verbum βαρύνομαι (cf. βαρύθυμος supra vs. 215) eo sensu dictum, quo Homerus solebat dicere κεχόλωμαι (cf. Call. IV. 86); is enim βαρύνειν metaphorice non adhibuerat. Docuerunt hoc Callimachum tragici; exemplo sit Sophocles in *Aiace* vs. 41 „χόλῳ βαρυνθεὶς τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων" (cf. *Oed. Reg.* 731, Pind. *Pyth.* I. 85). — Neque vero adverbii loco οὐδέν τι dixit Homerus, quod saepius apud Herodotum neque raro apud tragicos invenitur; contra saepissime οὔ τι in homericis occurrit eo sensu, ut pronominis τι vis sit adverbialis, veluti *I.* 523 πρὶν δ' οὔ τι νεμεσσητὸν κεχολῶσθαι. Cum autem nonnumquam Callimachus legisset in Homero suo οὐδὲν tali vi adhibitum (cf. δ. 195 νεμεσσῶμαί γε μὲν οὐδέν), atque illud οὐδὲν prorsus eadem significatione dictum cen-

[1]) De forma plurali δυστοκίες (δύστοκος) cf. Schneiderus, qui aptissime comparavit homericum δυσπονίος καμάτοιο (δύσπονος) *s.* 493.

serent Alexandrini quasi esset *οὐ* (cf. Aristarch. ad *A.* 244, Lehrs *Arist.* p. 310), haud nimiam fore licentiam iudicasse noster videtur si in hac re epicam cum tragicorum dictione miscuisset.

Versu 245 *ἀμπλακίη*, ut *ἀμπλάκημα* et *ἀμπλακεῖν*, tragicorum est, verum *ἀποθύμια ῥέξω* homericum *ἅπαξ εἰρημένον*, de quo quid statuerit Callimachus, indagari haud inutile. Legitur Ξ. 261

ἄζετο γὰρ μὴ Νυκτὶ θοῇ ἀποθύμια ἔρδοι,

in quo versu significatio vocis *ἀποθύμια* apud omnes constabat. Verum rarum erat adiectivum. Usus erat fere eodem sensu quo Homerus Hesiodus *Opp.* 708: *ἤ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον ἠέ τι ἔρξας*, (cf. quoque Herod. VII. 168). Cum vero et Hesiodus et Herodotus ita locum homericum accepissent ut *ἀποθύμιον* id indicaret quod *Nocti* ingratum esset, dixeris Callimachum aliud quid voluisse. „*Non est*" Iuno inquit, „*quare quidquam inimicum in Asterien moliar*", i. e. quidquam quo *suam* iram atque inimicitiam contra Asterien testetur, nam parum convenit Iunoni hoc dicere: „minime faciam quae *Asteriae* ingrata erunt." Quapropter ita Callimachus adiectivum interpretatus esse videtur, ut arctissime cohaerere iudicaret cum ea dictione, qua Iuppiter utitur contra Iunonem *A.* 562 „*ἀλλ' ἀπὸ θυμοῦ μᾶλλον ἐμοὶ ἔσεαι*". Itaque *ἀποθύμια* facit is secundum Callimachum, qui factis testatur *alium sibi ἀπὸ θυμοῦ εἶναι*.

Adiectivum *τόσσα* pro relativo et hic posuit Callimachus et alibi (v. c. II. 94). Putabat enim, quod in antiquissima Graecitate in pronominibus relativo atque demonstrativo usu veniret, id, quamquam non haberet subsidium in Homeri exemplo, eodem iure fieri posse in derivato *τόσος*. Qua in re laudare potuit exemplum Pindari qui eodem modo *τόσος* pro *ὅσος* posuit *Nem.* IV. 4:

οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον γε μαλθακὰ τεύχει
γυῖα, τόσσον εὐλογία φόρμιγγι συνάορος.

Secutum Callimachi exemplum videmus Nicandrum *Ther.* 762; *Al.* 232.

Vs. 247 „*ἀλλά μιν ἔκπαγλόν τι σεβίζομαι*" dicit Iuno, adiecto pronomine *τι* quod est in deliciis poetae, simul deflectens ab epico sermone eo quod pro homerico *σέβομαι* (*Δ.* 232) sive *σεβάζομαι* (Z. 167, 417) tragicam formam adhibere mavult. Accedit quod significationem verbi leviter immutat: solent enim apud tragicos regem populus, deos homines *σεβίζειν* vel *σεβίζεσθαι*. At deorum regina si memor est pristinae in Asteria pudicitiae, magis tamen *θαυμάζειν* quam *σέβεσθαι*, colere potius quam revereri dea nympham putanda est. Conferri fortasse poterit cum hoc usu verbi id quod

dixit Sophocles „εὐσέβιαν σεβίζεσθαι" (*Ant.* 943) vel euripideum „καινὰ λέχη σεβίζειν" (Eur. *Med.* 155), et „ἀπτολέμους εὐνὰς σεβίζουσα" (*ibid.* 640) quod dicitur de Venere ipsa et idem valet ac προτιμᾶν. — Eadem via in sequenti versu exemplum Callimachi quaerendum puto. Etenim in verbis „οὕνεκ' ἐμεῖο δέμνιον οὐκ ἐπάτησε" colit memoriam versus ex Odyssea sat celebrati Θ. 314 „εἰς ἐμὰ δέμνια βάντες", quem versum ita tamen immutat ut verbo πατεῖν sensum contemnendi addat. Et sane inerat, ut par est, haec vis verbo πατεῖν etiam apud Homerum, qui facili et iusta imagine dixit: „κατὰ δ' ὄρνια πιστὰ πάτησαν" (*Δ.* 157). Sed novimus iam tragoediae sermonem in maxima et fere confusa copia imaginum atque metaphorarum auxisse comparationis libertatem, quae, nisi adsit divinum Musae ministerium, in licentiam facile evadat. Euripidis saltem tragoedia iis imaginibus scatet, quarum licentia risum censoris merito movebat. Quid mirum igitur si noster, cui eruditio pro Musa erat, parum sensit quantum inter νόμους πατῆσαι atque δέμνια πατῆσαι interesset, putavitque, aequo iure atque Aeschylus „λακτίζειν Δίκας βωμὸν (*Agam.* 384) dixisset, se iam δέμνιον πατεῖν dicere posse. — Itidem tragoediae debere videtur in extremo versu „Διὸς δ' ἀνθείλετο πόντον", quibuscum comparari poterit Euripidis *Cycl.* 310 τὸ δ' εὐσεβὲς τῆς δυσσεβείας ἀνθελοῦ.

Vs. 249. ἦ μὲν ἔφη. κύκνοι δὲ θεὸν μέλποντες ἀοιδαῖς
Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
ἑβδομάκις περὶ Δῆλον, ἐπήεισάν τε λοχείῃ,
Μουσάων ὄρνιθες, ἀοιδότατοι πετεηνῶν·
(ἔνθεν ὁ παῖς τοσάσδε λύρῃ ἐνεδήσατο χορδὰς
ὕστερον ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἄεισαν).
255 ὄγδοον οὐκέτ' ἄεισαν, ὃ δ' ἔκθορεν· αἳ δ' ἐπὶ μακρὸν
νύμφαι Δηλιάδες, ποταμοῦ γένος ἀρχαίοιο,
εἶπαν Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος· αὐτίκα δ' αἰθὴρ
χάλκεος ἀντήχησε διαπρυσίην ὀλολυγήν.
οὐδ' Ἥρη νεμέσησεν, ἐπεὶ χόλον ἐξέλετο Ζεύς.

Vs. 249, si recte correxit Ruhnkenius [1]), docet Callimachum in

[1]) Codd.: θεοῦ μέλποντες ἀοιδοί. In coniecturarum ingenti copia Ruhnkenianam praetuli, quamquam hodie editores Meinekium secuti legere solent: „θεοῦ μέλλοντες ἄοζοι". Servanda enim videtur omnino codicum lectio μέλποντες, ne taciti adnatare videantur canori aves quorum semper cantu resonat Cayster. Neque eleganter (si Meinekio obtemperamus) idem aves vs. 249. θεοῦ μέλλοντες ἄοζοι vocantur (quod insuper parum Graece dici videtur omisso infinitivo ἴσασθαι) qui vs. 252 „Μουσάων ὄρνιθες" audiunt.

verbo μέλπεσθαι atque in substantivo μολπὴ nondum statuisse quod postea monuit Aristarchus (cf. Ariston. ad *A.* 474, Lehrs p. 138) eas voces ab Homero de ludo semper dici, numquam de cantu. Spectat enim nunc Callimachus versum *A.* 474 „μέλποντες ἑκάεργον" quod igitur cum recentioribus de cantu accepit, eodem modo quo II. 7 substantivum μολπὴ ipse adhibuit.

Proximis versibus in tragoedia moramur. Pariter enim περικυκλοῦσθαι (cohaeret enim cum verbo praepositio quamvis remota, cf. p. 91) ac ἐπαείδειν tragicis debet (cf. Eur. *Electr.* 864), neque minus λοχεία, cui substantivo frustra, ut epice sonaret, formam Ionicam induit noster λοχείην scribens. Ipse autem exitus versus 252 „ἀοιδότατοι πετεηνῶν" licet ex imitatione homerici „τελειότατον πετεηνῶν (Θ. 247) nata sint verba, tamen superlativi forma haud vulgari tamquam digito monstrare mihi videtur poetam cuius vestigia nunc noster premit. Quantum novimus, nemo ante Euripidem hac forma usus erat. Qui (*Helen.* 1109) in chori exordio suavissimo ἀηδόνα δακρυόεσσαν celebrans „ἀοιδοτάταν ὄρνιθα μελῳδὸν" suffragantem habuit Theocritum (XII. 7). At Callimacho placuit nunc quidem alii avi palmam cantilenae deferre, cycno, quem ipse quoque Euripides saepe propter cantus dulcedinem laudasset, idque praesertim uno loco, quem nunc spectat Callimachus cycnos „Μουσάων ὄρνιθας" appellans. Hanc enim ipsam insulam Delon cantans Euripides in *Iphig. Taur.* vs. 1103 memoraverat λίμνην τροχοειδῆ

λίμναν θ' εἱλίσσουσαν ὕδωρ κύκλιον
ἔνθα κύκνος μελῳδὸς Μούσας θεραπεύει.

Mire ab hac imitationis arte composita et laboriosa distant versus sequentes. Et iam novimus Callimachi morem. Quotienscunque doctam de suo adnotationem tamquam subicit versibus, descendit ad orationem vitae cotidianae. Redit autem statim ad graviorem dictionem epicam, exemplumque homericum immo sententiarum nexum exempli sui imitando illustrat, cum vs. 255 *sq.* repetit copiosius quae ita enarraverat homerici hymni *in Apollinem* poeta antiquior (vs. 119)

ἐκ δ' ἔθορε πρὸ φόωσδε· θεαὶ δ' ὀλόλυξαν ἅπασαι.

Quae autem apud nostrum cantu suo deum recens natum excipiunt non deae sunt at *Deliades nymphae*, quae antiquo poetae audiunt κοῦραι Δηλιάδες Ἑκατηβελέταο θεράπναι (vs. 157). Nisi fallor consulto eas dearum loco substituit Callimachus, ut Deliacarum virginum choro, quae ipsius aetate mense Artemisio Deli deorumque

amborum laudes celebrare solerent, origines vindicaret divinas. Simul, dum eas *Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος* cantantes facit, Olenis vatis antiqui recolit memoriam. [1])

Revertitur ad Homerum ipsum Callimachus, cum vs. 258 dicit *αἰθέρα χάλκεον ἀντηχῆσαι διαπρυσίην ὀλολυγὴν*, in quibus consulto eum immutasse dicas homerica verba (*P.* 425 *σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς χάλκεον οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος ἀτρυγέτοιο*), ut appareret sibi quidem minus probari id discrimen quod factum esse ab Homero inter vocabula *οὐρανὸς* et *αἰθὴρ* contenderent Alexandrini [2]). Ceterum quamquam „*διαπρυσίην ὀλολυγὴν*" sumsit ex hymno *in Venerem* (vs. 19), ipsa locutio „*αἰθὴρ ἀντηχεῖ ὀλολυγὴν*" tragoediam sapit.

Versum 259 primo obtutu, tamquam plane supervacaneum et post ea quae iam dixerat Iuno inepte adiectum, damnare forsitan quispiam velit. Addidit autem ipse ni fallor poeta centonem parum eleganter ex frustulis homericis (Θ. 189; Z. 234) conglutinatum, ut in Deli honorem id mitigaret quod in hac ipsa parte carminis antiqui vetus memoraverat poeta (*hymn. hom. in Apoll.* 95): *omnes adfuisse deas* „*νόσφιν λευκωλένου Ἥρης*".

Vs. 260. *χρύσεά τοι τότε πάντα θεμείλια γείνετο Δῆλε,*
χρυσῷ δὲ τροχόεσσα πανήμερος ἔρρεε λίμνη,
χρύσειον δ' ἐκόμησε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης,
χρυσῷ δ' ἐπλήμμυρε βαθὺς Ἰνωπὸς ἑλιχθείς,
αὐτὴ δὲ χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος εἵλεο παῖδα,
265 *ἐν δ' ἐβάλευ κόλποισιν, ἔπος δ' ἐφθέγξαο τοῖον·*

Taedium vereor ne lectoribus moveam si pergam per versus antiqui hymni singula verba verbis Callimachi opponere. Etiam non admonitus quivis videt prorsus corrumpi nostri abundantia antiquum illud „*χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα ἤνθησε*". Id tantum libet adnotare, quam erudite exornet versus pristinos, simul quam diligenter caveat ne, quibus Delphi fruantur, Delos careat honoribus. Etenim dum legimus atque relegimus versus illos 260—263, magis magisque nobis persuademus, ante oculos habuisse, immo aliquatenus aemulari voluisse Callimachum Alcaei carmen illud cuius memoriam servavit Himerius (cf. Lyr. Gr. ed. Bergk. III. 148), in quo carmine expositum erat quae Delphis in Apollinis *ἐπιδημίᾳ* fierent: tunc enim „*ῥεῖ καὶ ἀργυροῖς ἡ Κασταλία νάμασι καὶ Κήφισος μέγας*

[1]) De aoristi forma *εἶπαν* cf. pag. 75.
[2]) Plura de hac re dixit de Ian. p. 46 sqq.

αἴρεται πορφύρων τοῖς κύμασι". Omnino non ad verbum expressisse contendo Callimachum Alcaei versus quos hic reddit Himerius. At si rem spectas, quid interest inter illos Delphicos fontes argento redundantes et lacum Deliacum *χρυσῷ ῥέοντα*? Num quid distant Cephisus qui *μέγας αἴρεται πορφύρων*, et Inopus qui *βαθὺς ἑλιχθείς ἐπλήμμυρε*? Nam id omnino tenendum est, *βαθὺν* dici a nostro fluvium non altum modo sed large fluentem (cf. vs. 206), et verbo *πλημμύρειν*, licet fortasse Homeri memoria id nunc suppeditaverit (*ι.* 486 „*πλημμυρὶς ἐκ πόντοιο*), iam diu ante Callimachum ampliore sensu usos esse poetas ut aestuantes undas significarent; quod si verum est, hoc ipsum respondet illis „*πορφύρων τοῖς κύμασι*" quae ex Alcaeo sumit Himerius.

Non substitisse hic eruditam imitationem poetae nostri docet ni fallor vs. 260. Quaenam enim illa sunt *θεμείλια* quae ibi memorantur? Num solum est insulae? At *οὖδας* aureum habemus vs. 264. An fundamenta aedificiorum sacrorum? Non opinor, nam omnibus caret aedificiis insula nuperrime nata. Sunt ipsa insulae fundamenta haec *θεμείλια*, quibus infixa Delos iam non amplius movebitur. Et, si quid video, succurrit in hac re Pindari, quod saepius respexit, *προσόδιον*. Quos Thebanus poeta (fr. 88) appellaverat *ἀδαμαντοπεδίλους κιόνας*, Callimachus simplicius dicit *θεμείλια*. — Sequenti versu ex Theognide sumsit *τὴν τροχοειδῆ λίμνην* (Theogn. vs. 7), quem lacum quo consilio noster *τροχόεσσαν* dicere maluerit, ignoro.

Varias evocavit interpretationes „*γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης*" vs. 262. Meinekius *arborem olivarum feracem* explicat. Schneider mavult ita locum intelligi ut dictum sit *γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης* pro „*γένεθλον*" sive „*γενέθλη ἐλαίης*". Neuter mihi persuasit. Nam in hac quoque re potius dixerim ita cum homericis tragicum sermonem miscuisse nostrum, ut reddat illud *ἔρνος ἐλαίης* verba „*φοίνικος νεὸν ἔρνος*" (ζ. 163), sed adiectivum *γενέθλιος* ea ratione hic adhibeatur qua adhibuit Aeschylus *Eum.* 293 *Τρίτωνος ἀμφὶ χεῦμα γενεθλίου πόρου*, ita igitur ut adiectivo *γενέθλιος* eam arborem indicaverit poeta, *iuxta quam* „*ἐγένετο ὁ Φοῖβος*".

κόλποισι vs. 265, cum alio sensu dixisset I. 15; IV. 214, (cf. p. 11), nunc ut III. 71 accipi voluit secundum dictionem homericam (nisi quod plurali numero utitur); spectat enim *hymn. hom. in Cer.* vs. 287 „*παῖδ' ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα ἑῷ ἐγκάτθετο κόλπῳ*", qui versus ipse imitatur Ξ. 223. — De verbo *φθέγξασθαι* cf. pag. 131.

Vs. 266. „*ὦ μεγάλε πολύβωμε πολύπτολι, πολλὰ φέρουσι*

πίονες ἤπειροί τε καὶ αἳ περιναίετε νῆσοι,
αὐτὴ ἐγὼ τοιήδε δυσήροτος· ἀλλ' ἀπ' ἐμεῖο
Δήλιος Ἀπόλλων κεκλήσεται, οὐδέ τις ἄλλη
γαιάων τοσσόνδε θεῷ πεφιλήσεται ἄλλῳ·
οὐ Κερχνὶς κρείοντι Ποσειδάωνι Λεχαίῳ
οὐ πάγος Ἑρμείῃ Κυλλήνιος, οὐ Διὶ Κρήτη,
ὡς ἐγὼ Ἀπόλλωνι· καὶ ἔσσομαι οὐκέτι πλαγκτή".

Quoniam ad augendam Deli insulae gloriam conciliandamque Ptolemaei regis gratiam consulto traditis mythologumenis addit, ipsam insulae deam lacte suo deum recens natum nutrivisse, necesse est eum homerici hymni verba, quamvis respiciat, iam minus fideliter servare. Unde vero nova, quibus insula deum salutat, epitheta πολύβωμε πολύπτολι habeat, parum id quidem constat, neque magni momenti videtur [1]), cum praesertim cetera quoque careant certi cuiusdam exempli vestigiis. Frustula sane homerica in hac quoque parte non desunt. Ut noster ita Homerus φέρειν de terrae fertilitate dixit (τ. 111) et divites agros πίονας laudavit; ipsaque versus 267 constructio revocat homerica illa δ. 177: μίαν πόλιν αἳ περιναιετάουσι", ι, 23 „νῆσοι ναιετάουσι", B. 626 „νήσων αἳ ναίουσι πέρην ἁλός", neque haec fortasse digna sint memoratu nisi ut inde efficias non incidisse Callimachum in eum errorem, quem commisit Zenodotus, qui scribendum opinatus οἳ ναίουσι (ἐπὶ τῶν ἀνδρῶν), merito ob eam causam castigatur ab Aristarcho.

Aliquantulo fortasse magis utile est, ut artificia Callimachi perspiciamus, observare quomodo versum ι. 123 in usum suum converterit. Dixerat Homerus eo loco „ἀλλ' ἦ γ' ἄσπαρτος καὶ ἀνήροτος", Callimachus autem quam proxime potest ad exemplum suum se applicans (quod suadet ne audiamus Stanleium, qui coniecit αὐτὰρ a Meinekio receptum) metri legibus tamen aliquid mutare cogitur, itaque pro ἀνήροτος scribit „αὐτὴ ἐγὼ τοιήδε δυσήροτος". Atque in hac ipsa quoque re rarius occurrens exemplum homericum spectat, dum adiectivo δυσήροτος addit, adverbii fere vice, τοιήδε; nam sequitur eo π. 205

ἀλλ' ὅδ' ἐγὼ τοιόσδε παθὼν κακὰ πολλὰ δ' ἀληθείς.

Versu autem 270 πεφιλήσεται, nova, ut videtur, forma ostendit poetam observasse epicos in futuri passivi secundi ac tertii formis discrimen non fecisse. Quod si ita est, ultro oboritur rogare quid Callimachus et aequales iudicarint de formis qualis est πεφιδήσεται,

[1]) Cf. supra ad III. 225 pag. 101.

quas hodie ab aoristo reduplicato solemus derivare. Quoniam autem *πεφιλήσεται* hoc versu ad normam homerici *πεφιδήσεται* formatum esse tantum non certum videtur — collocatum est in eadem versus sede et sonorum similitudine revocat homericum „*ἀλλὰ μάλ' ἐνδυκέως ἱκέτεω πεφιδήσεται ἀνδρός*" (Ω. 158, cf. 187) — admodum est probabile hanc quoque formam homericam futuro exacto adscriptam esse a Callimacho, iamque eius aetate Alexandriae valuisse opinionem, quam servant scholia V ad Ω. 158: „*πεφιδήσεται μετ' ὀλίγον μέλλων, ἀπὸ τοῦ φιδῶ*". Idem iudicasse videtur Herodianus cuius haec sunt verba (I. 441. 11) „*τὸ γὰρ πείθω μετάγεται εἰς περισπώμενον πιθῶ οὗ ὁ μέλλων πιθήσω, ὁ ἀόριστος ἐπίθησεν, ὡς τὸ φείδω γίνεται φιδῶ περισπώμενον καὶ πεφιδήσεται*" (cf. Schol. B L ad *O.* 215 „*ἀπὸ τοῦ φείδω φιδῶ, ὡς πείθω πιθῶ, τεύχω τυχῶ*".

Vs. 271 *κρείων Ἐχαΐος* dicitur Neptunus — nam praeter necessitatem id ab editoribus mutari in *Ἐχαίου* demonstravit Schneiderus; — hic quoque igitur, quod supra p. 110 et 162 vidimus, vocabulum *κρείων* substantivi vicem apud Callimachum obtinet. Denique *πλαγκτὴν* Delum insulam nominans aperte suffragatur noster eorum opinioni qui *μ.* 61 *τὰς Πλαγκτὰς* ideo ita vocari iudicarent, quia credidisset Homerus eas „*ὡς τὴν Δῆλον κινεῖσθαι καὶ φέρεσθαι*". (Cf. Schol. V ad *μ.* 61).

Vs. 274. *ὧδε σὺ μὲν κατέλεξας, ὃ δὲ γλυκὺν ἔσπασε μαζόν·*
τῷ καὶ νησάων ἁγιωτάτη ἐξέτι κείνου
κλήζῃ, Ἀπόλλωνος κουροτρόφος· οὐδέ σ' Ἐλευθὼ,
οὐδ' Ἄιδης, οὐδ' ἵπποι ἐπιστείβουσιν Ἄρηος,
ἀλλά τοι ἀμφιετεῖς δεκατηφόροι αἰὲν ἀπαρχαὶ
πέμπονται, πᾶσαι δὲ χοροὺς ἀνάγουσι πόληες,
280 *αἵ τε πρὸς ἠοίην, αἵ θ' ἕσπερον αἵ τ' ἀνὰ μέσσην*
κλήρους ἐκτήσαντο, καὶ οἳ καθύπερθε βορείης
οἰκία θινὸς ἔχουσι, πολυχρονιώτατον αἶμα.

Eadem licentia qua saepius Callimachum usum videmus in verbis dicendi quibus aut orditur orationem aut claudit (cf. IV. 133 *εἶπε* III. 158 *ὣς ἔνεπεν* — addi potest etiam IV. 249 *ἦ μὲν ἔφη*) nunc usu venit in verbo *καταλέξαι*, quod apud Homerum non loquendi, sed enumerandi vel enarrandi vim habere solet. Callimachus eundem prorsus huic verbo sensum tribuit quem inesse iudicat Schol. B ad *K.* 413: „*τὸ καταλέξω οὐκ ἔστιν ἁπλῶς ἐρῶ, ἀλλ' εἰς τέλος τοῦ λόγου ἀφίξομαι .... τὸ διεξελθεῖν οὖν τὸν λόγον μέχρι τοῦ ἀπολῆξαι*". — Tali huius verbi usu noster profecto quin homerice

loqueretur non dubitavit; at non ignorabat recentiora se dictioni admiscere epicae, cum in exitu huius versus ipse sua verba „σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζόν" (I. 48) ita variaret ut nostro loco legimus. Ea enim significatione, quam nunc obtinet, verbum σπᾶν Homerus nunquam, tragici perraro adhibuerunt. Ut poetae Romani „*ducere* pocula" dicunt, ita notum est apud Atticos „σπᾶν ἄκρατον", quamquam saepius occurrit ἕλκειν; utrumque verbum coniunxit Euripides *Cycl.* 417 ita dicens: „ἕσπασέν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας"; verum novum est atque insolitum, si infantes qui mammam sugunt, non „θηλάζειν" sive „θηλάζεσθαι" dicuntur, sed „μαζὸν σπάσαι", *ducere ubera*! Nec tamen hoc innovavit ipse noster; debet Lycophroni qui vs. 1327 Herculem memoraverat „σπάσαντα δηίας .... μαστὸν εὔθηλον θεᾶς".

Cetera in his versibus minoris sunt momenti [1]), ut superlativus ἁγιωτάτη, forma neque in epicis obvia neque tragicis familiaris admodum, genetivus νησάων (de quo conferri potest pag. 127), nominativi forma Ἐλευθὼ pro *Εἰλείθυια* reddita Callimacho Schneideri coniectura, quam iure certissimam dixit ipse; tum ἐπιστείβειν, quod licet ex tragoedia sit desumtum (Sophocl. *Oed. Col.* 56 ὃν δ' ἐπιστείβεις τόπον), ita tamen hic dictum est ut appareat Homeri non prorsus immemorem fuisse poetam, nam ille quoque de bellatoribus equis bis hoc verbum adhibuerat (*Λ.* 534; *Υ.* 499).

Retinent nos in tragoedia sequentes quoque versus; nec mirum quoniam in posterioribus hymnis libenter ad tragicum lyricumve sermonem Callimachus se applicavit, praesertim cum tractat materiem ab antiquis epicis nondum tractatam. Atqui quae insequentibus versibus de Hyperboreis cultuque deliaco exponit ut mythologiae doctrina sunt refertissima ita non ex antiquissimis fontibus hausta videntur. — Vs. 278 sacra memorat quae quotannis ad insulam sanctissimam missurae sint urbes Graecae, vocatque ea sacra „ἀμφιετεῖς δεκατηφόρους ἀπαρχάς". Tragicorum sunt illae δεκατηφόροι ἀπαρχαὶ et iure interpretes Aeschyli „δαφνηφόρους τιμάς" (*Suppl.* 676) iam dudum contulerunt; neque obscura est significatio. Verum ἀμφιετεῖς (vs. 278) quid vult et unde nostro venit? Insolenter compositum esse vocabulum arguunt Grammaticorum interpretationes, Hesychii Suidae Moeridis, quorum tamen verba non exscribam, quia de significatione dubitari vetat reliqua sententia: ἀμφιετῆ enim (ut apud sequiores ἀμφιετηρίδες, ἀμφιέτηρα) ea sacra sunt quae *quotannis* mittuntur. In quibus compositis praepositio offendit, admodum in-

[1]) De voce ἐξίτι cf. infra ad II. 47.

usitate adhibita. Iure fortasse suspiceris Pindari et tragicorum exemplo inductum esse quicunque primus hoc adiectivum formavit. Pindarus enim prae ceteris poetis adamat praepositioni ἀμφὶ vim addere temporalem, modo (quod saepius fecit) cum accusativo coniungens ut *Ol.* I. 97 „ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον ἔχει μελιτόεσσαν εὐδίαν" (cf. *Ol.* II. 30), modo cum dativo ut *Ol.* XIII. 37 „ἀελίῳ ἀμφ' ἑνί" (cf. *Nem.* II. 17). Frustra vero in hisce, quae simpliciter temporalia sunt, eam significationem quaeras ut indicet τὸ κατ' ἔτος. Eius usus exemplum praebere videtur fragmentum Sophoclis (448 D.)

κρυμὸν φέρων γνάθοισιν ἐξ ἀμφημέρου. .

Indicari enim ita febrim *cotidianam* et locus Platonis e Timaeo 86 A docet, ubi πυρετὸς ἀμφημερινὸς opponitur τῷ τριταίῳ (tertianae), et testimonia declarant quae Piersonus adduxit ad Moeridem p. 45.

Docta est et fines huius disputationis egreditur quae subsequitur enarratio de Hyperboreis; quam vs. 280 ingrediens homericum illud Θ. 29 (ἠὲ πρὸς ἠοίων ἢ ἑσπερίων ἀνθρώπων) ita exornat, ut regiones meridiem versus spectantes μέσσην (i. e. μέσσην ἡμέραν) dicat, μεσημβρίαν fortasse ut minus poeticam vocem evitans [1]). Ceterum, in verbis „αἵ θ' ἕσπερον, αἵ τ' ἀνὰ μέσσην" praepositio non solum ad μέσσην pertinet sed etiam ad ἕσπερον trahenda est, secundum eam dicendi rationem qua utitur quoque noster II. 8 „μολπήν τε καὶ ἐς χορόν". Quaeri potest quis quaesitae huius elegantiae exemplum praebuerit nostro. Quadamtenus potest conferri locutio „νηῶν ἄπο καὶ κλισιάων" in Iliade saepe obvia, multo iam propius accedit μ. 27 „ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς". Quod licet hodie nonnullos, iure fortasse, offendat [2]), quia haec praepositionis collocatio, quamvis frequens apud Atticos, in homericis nisi hoc uno loco non occurrat, Callimacho tamen offensioni non fuisse ex nostro loco fit verisimile. — Sequentes versus ad Callimacheae poeseos indolem ipsiusque poetae ingenium cognoscenda quam maxime valent. Quoniam vero mythologumena Callimachi tractare non est huius loci, hoc tantum moneo Callimachum verbis „καὶ οἳ καθύπερθε βορείης οἰκία θινὸς ἔχουσι" nominis Hyperboreorum origines indicantem spectare Hecataei Abderitae doctissimi historici verba, cuius hominis sententiae de rebus divinis ceteroquin minime faveat. Hecataeus enim (fragm. 2 *Müll.* F. H. G. II. 386) enarraverat „ἐν τοῖς ἀντιπέραν τῆς Κελτικῆς τόποις κατὰ τὸν

---

[1]) Aeschylus tamen adiectivo μεσημβρινὸς ea significatione utitur *Prom.* 721.

[2]) Cf. v. Leeuwen a. l.

Ὠκεανὸν εἶναι νῆσον οὐκ ἐλάττω τῆς Σικελίας· ταύτην ὑπάρχειν μὲν κατὰ τὰς ἄρκτους, κατοικεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ὀνομαζομένων Ὑπερβορέων ἀπὸ τοῦ πορρωτέρω κεῖσθαι τῆς βορείου πνοῆς". Simul autem hymnum homericum *in Apoll.* vs. 160 erudite illustraturus, quos vetus poeta „*ἄνδρας τε παλαιοὺς ἠδὲ γυναῖκας*" dixerat eos „*πολυχρονιώτατον αἷμα*" i. e. *γένος πολυχρονίων* sive *παλαιῶν* vocat Callimachus, alio sensu nunc *πολυχρόνιον* adhibens quam III. 132 (p. 81); vix enim dubium videtur quin idem indicare voluerit quod Pherenicus Heracleensis (quem aptissime quamquam ipse subdubitans in hanc rem laudat Crusius in Roscheri Lexico I. 2823) ita habet

τοὺς μὲν ἄρα προτέρων ἐξ αἵματος ὑμνείουσι
Τιτήνων βλαστόντας κ. τ. λ.

Vs. 283. *οἳ μέν τοι καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτοι*
ἀσταχύων φορέουσιν, ἃ Δωδώνηθι Πελασγοὶ
285 *τηλόθεν ἐσβαίνοντα πολὺ πρώτιστα δέχονται*
γηλεχέες θεράποντες ἀσιγήτοιο λέβητος·
δεύτερον ἱερὸν ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης
ἔρχονται· κεῖθεν δὲ διαπλώουσιν Ἀβάντων
εἰς ἀγαθὸν πεδίον Ληλάντιον· οὐδ' ἔτι μακρὸς
290 *ὁ πλόος Εὐβοίηθεν, ἐπεί σεο γείτονες ὅρμοι.*

Nihil est versus 283 nisi interpretatio illorum quae memoravit Herodotus IV. 33 „*ἱρὰ ἐνδεδεμένα ἐν καλάμῃ πυρῶν*", quibus verbis adicit explicandi causa epicum vocabulum *δράγματα*. At versu 286 Lycophronis sui more modoque id est *αἰνιγματωδῶς* indicat Sellos, quos Homerus *Π.* 235 dixerat „*ὑποφήτας ἀνιπτόποδας χαμαιεύνας*". Atque hoc solum varietatis causa facit, quod homericum *χαμαιεύνης* reddit voce *γηλεχὴς*, Sophoclem aemulatus, qui (*Trach.* 1167) eos *χαμαικοίτας* vocaverat; illud vero doctius suaeque aetatis eruditione dignius, quod memorat „*τὸν ἀσίγητον λέβητα*". Lebetem (de quo prae ceteris conferenda sunt quae ex Polemone Periegeta Stephanus Byzantius affert i. v. *Δωδώνη*) nuncupans *ἀσίγητον* neque obscuro ornat epitheto neque lectoribus suis incognito. Alludit enim ad proverbium idem quod spectat fr. 306 „*μή με τὸν ἐν Δωδῶνι λέγοι μόνον οὕνεκα χαλκὸν ἤγειρον*", (cf. Steph. Byz. „*ἔστι καὶ Δωδωναῖον χαλκίον παροιμία ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων*") [1]).

---

[1]) *Δωδώνηθι* cum plerisque editoribus scripsi vs. 284, quia codicum lectio *Δωδώνηθε*, quam frustra defendit Schneiderus (nam in versu *Anthol. Pal.* IX. 506, cuius alia est ratio, nihil est subsidii), non nisi constructione verborum admodum contorta

Versu 287, quem versum epicae dictionis memor ita claudit ut secundum Homeri morem αἴης ultimam sedem obtineat, homericum quoque prothysteron (quod recte monet Schneiderus) ita imitatur ut antiqui poetae verbis „οἶκον ἐυκτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν" (δ. 476) respondeant „ἱερὸν ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης", nam οὔρεα *totam* Malida regionem indicant montuosam. At sequentibus docte illustrat denuo hymnum homericum *in Apollinem* vs. 220: „στῆς δ' ἐπὶ Δηλάντῳ πεδίῳ"; revocat enim ad regem *Lelantum* campi nomen, Λήλαντον in Δηλάντιον corrigens. Adornat quoque adiectivo haud indigno fertilissimum eum agrum, ἀγαθὸν vocans „πεδίον Δηλάντιον"; sed ne hoc quidem ipse invenit; debet ni fallor Theognidi qui vs. 892 dixerat „Δηλάντου δ' ἀγαθὸν κείρεται οἰνόπεδον".

Vs. 291. πρῶταί τοι τάδ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν
Οὖπίς τε Λοξώ τε καὶ εὐαίων Ἑκαέργη,
Θυγατέρες Βορέαο, καὶ ἄρσενες οἳ τότ' ἄριστοι
ἠιθέων· οὐδ' οἵ γε παλιμπετὲς οἴκαδ' ἵκοντο,
295 εὔμοιροι δ' ἐγένοντο, καὶ ἀκλέες οὔποτ' ἐκεῖνοι.
ἦ τοι Δηλιάδες μὲν, ὅτ' εὐηχὴς ὑμέναιος
ἤθεα κουράων μορμύσσεται, ἤλικα χαίτην
παρθενικαῖς, παῖδες δὲ θέρος τὸ πρῶτον ἰούλων
ἄρσενες ἠιθέοισιν ἀπαρχόμενοι φορέουσιν.

Quoniam omnino non constat, quibus ex fontibus suam de Hyperboreis narrationem hauserit Callimachus, non magis de *flavis* Arimasporum *crinibus* quidquam pro certo constituere possumus, quam de adiectivo εὐαίων; quamquam et significatione vocabulum, e tragoedia desumptum, minime obscurum est, et ipse noster id interpretatur cum V. 117 dicit „ὀλβίσταν δ' ἐρέει σε καὶ εὐαίωνα γενέσθαι". [1]) Id vero non omittendum, εὐαίωνα non solam Hecaergen praedicari. Secutus enim in eo quoque tragicorum morem Callimachus videtur quod adiectivum ad omnia simul substantiva pertinens ultimo nomini adiunxit, sicuti id fecerat, ne alios nominem, Euripides *Suppl.* 23 „τό τ' ἔγχος τήν τε δυστυχεστάτην στένων στρατείαν".

---

explicari potest. „Δωδώνηθι Πελασγοί" dixit poeta, memoria tenens versum homericum Π. 233 „Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικὲ τηλόθι ναίων."

[1]) Nimis argutatur ni fallor Schneiderus, qui negans nunciam εὐαίωνα dici posse Hecaergen cum postea demum εὔμοιρος facta sit, εὐαίμων proposuit. Offenderat iam Valckenaerium idem adiectivum, coniecit enim in schedis εὔυμνοι.

In sequentibus hic illic Homeri memoria recurrit, praesertim, quasi tum maxime deficientibus poetam propriis viribus, in versuum exitu: ita vs. 292 „ἄρσενες οἳ τόϑ' ἄριστοι" cf. Z. 314 „σὺν ἀνδράσιν, οἳ τόϑ' ἄριστοι", vs. 293 „παλιμπετὲς οἴκαδ' ἴκοντο" cf. ε. 27 „παλιμπετὲς ἀπονέωνται"; attamen sunt in quibus discedat ab Homeri dictione, veluti cum voci ἄρσενες vim tribuit substantivi quam apud Homerum numquam obtinet. Et possis rogare, num nostro loco pro substantivo accipi debeat. Nam non defuerunt qui versum 293 „ϑυγατέρες Βορέαο, καὶ ἄρσενες οἳ τόϑ' ἄριστοι ἠιϑέων" ita explicandum opinarentur, ut coniunctim virgines puerosque substantivo ἠίϑεος indicavisse poeta putandus esset. Quod si fecisset, contra Homeri sane consuetudinem peccasset, non tamen contra aequalium usum; quandoquidem constat iam ante Callimachi aetatem Eupolin dixisse „κόρη ἤϑεος"; tum quoque Nicandrum, Callimachi sectatorem sedulum, forma usum esse feminina. Tamen id voluisse poetam nostrum negaverim. Nec enim favet isti interpretationi versus II. 49, et maxime, si quidem recte eum versum, de quo statim sum dicturus, interpretor, refragatur huius hymni vs. 299.

Sed prius dicendum erit de vocabulis εὔμοιροι et ἀκλέες (vs. 295). Alterum omnium fortasse primus ita Callimachus adhibuit, ut opponeretur τῷ ἄμμορος vel δύσμορος, et τὸν ὄλβιον indicaret, nullo substantivi genetivo addito. Haud audacissima immutatio, neque gravissima. At magis fortasse digna ad quam attendamus est forma ἀκλέες, quae nobis sicubi in Homero occurrit abicienda videtur, at grammaticis Alexandrinis etiamsi molestiam afferret tamen interpretanda. Legebant enim (quos locos hodie sanarunt editores nonnulli) δ. 728 „ἀκλέα ἐκ μεγάρων", B. 115 „δυσκλέα Ἄργος ἱκέσθαι", atque iis versibus adigebantur quidam, ut etiam H. 100 legendum censerent „ἀκήριοι ἀκλέες αὕτως". Etenim extat Eustathii adnotatio ad H. 100: „τὸ δὲ ἀκλεὲς εὐϑεῖά ἐστι πληϑυντικὴ ἀντὶ τοῦ ἀκλεεῖς, ἀπελϑόντος τοῦ ι,.... ἄλλοι δὲ παροξύνουσιν, ὡς γὰρ ἀγακλέες κατ' ἔλλειψιν τοῦ ἑνὸς ε, οὕτω φασὶ καὶ ἀκλέες". Reddidisse Eustathium Herodiani opinionem monet Lentzius (Herod. I. 422. 13); Callimachum autem vides non dubitasse quin pluralis esset forma, quod ad accentum attinet posteriori sententiae eum suffragatum esse noster versus docet, si quidem codicibus fides est praeter unum Vaticanum I omnibus ἀκλέες (παροξυτόνως) exhibentibus. Quoniam autem Herodiani mentio facta est, non abs re videtur obiter notare in voce παλιμπετὲς (III. 256; IV. 293) nondum Callimachum id dictum putasse pro παλιμπετεῖς (Herodian. II. 142. 8)

licet in adiectivo βιοπλανὲς ita fecisse videatur Herodiano (Call. fr. 497).

Vs. 297 suae aetatis virgines, quae hymenaeum carpere solent, „tacita ah! quem mente requirunt", potius quam homericas respexit Callimachus contendens Hymenaeum „ἤθεα κουράων μορμύσσεσθαι", et ut re ipsa recedit ab heroicorum temporum simplicitate, ita verbis ab Homero. Nam ἤθεα dictum de mente atque animo ut apud antiquiores legas (non tamen apud Homerum), novicium est cum genetivo ita id nomen coniungere ut non *mores* sed ipsum *pectus* indicet. Quid enim poeta voluit nisi hoc: „ἐκφοβεῖ τὴν καρδίαν"? — Tum εὐηχής non sine docta eruditione a nostro hymenaeus vocatur. Euripidem, cui inter tragicos haud infimum tribuit locum, forte meminerat in *Alcestide* (vs. 915) Admetum talia querentem fecisse:

τότε μὲν πεύκαις ξὺν Πηλιάσιν
ξύν θ' ὑμεναίοις ἔστειχον ἔσω
φιλίας ἀλόχου χέρα βαστάζων,
πολυάχητος δ' εἴπετο κῶμος.

Tamen magis quam εὐήχητος vel πολυήχητος placuit poetae εὐηχὴς, quod rectius cum homericis δυσηχὴς πολυηχὴς (*B.* 686; *Δ.* 422) conveniret et in Pindari verbis (Pyth. II. 14) „εὐαχέα ὕμνον" exemplum haberet. An forte cum elegit adiectivum a substantivo formatum, haerebat in eius mente memoria Hesiodi, qui cum in *Scuto* (vs. 273 *sqq.*) celeberrimam hymenaei descriptionem ex libro *Σ.* 493 imitaretur, homericis adiecisset de suo: „περὶ δέ σφισι ἄγνυτο ἠχώ" (vs. 279)?

Versus 297—299 multis offenderunt Schneiderum, qui ut corrigeret quae vitiose tradita censebat legendum proposuit:

ἥλικα χαίτην
παρθενικαί, παῖδες δὲ θέρος τὸ πρῶτον ἰούλων
εἴρενες ἡμιθέοισιν ἀπαρχόμενοι φορέουσιν,

ex quibus „παρθενικαί" est in codicibus, „εἴρενες ἡμιθέοισι" debetur Schneideri coniecturae. Equidem tam vehementi medicina minime opus esse puto, quae eo minus placet, quod vix recte Hyperboreorum virgines atque adolescentuli „ἡμίθεοι" salutari possunt, non enim tanto sunt dignandi honore. Aliquanto lenior est (quam recepit Wilamowitzius) anonymi correctio marginalis in cod. *E* παρθενικαῖς nec parvum est ei coniecturae subsidium in ipso Homero, qui et ipse vocem παρθενικαὶ substantivi loco adhibens opposuit τοῖς ἡιθέοις suavi versu *Σ.* 567:

παρθενικαὶ δὲ καὶ ἡίθεοι ἀταλὰ φρονέοντες.

Virgines illae Deliades vovent *τὴν ἥλικα χαίτην*, sibi coaevam „*παρθενίαν χλιδὴν*", non (quod voluit Schneiderus) Hyperboreis virginibus *ὁμήλικα* (cf. pag. 130). Iuvenes autem obtulisse dicuntur „*θέρος τὸ πρῶτον ἰούλων*" in quibus novicium est *θέρος*, quod apud antiquos epicos nihil nisi *aestatem* indicat; nostro vero loco *messem* valet ex recentiorum Atticorum more vulgato.

Iam venimus ad Deli solemnem invocationem bis incohatam vs. 300 et 316 ad eam hymnorum normam quam fideliter observat noster, qui salutandi verba in hymni fine, sive pluribus sive paucioribus versibus interpositis iterare solet. Ut hic „*Ἀστερίη θυόεσσα*, et vs. 316 „*Ἀστερίη πολύβωμε*", sic hymno III vs. 225 „*πότνια πουλυμέλαθρε*" et vs. 259 „*πότνια Μουνυχίη*"; hymn. I. 91 „*χαῖρε μέγα, Κρονίδη*", vs. 94 „*χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι*"; hymn. II. 97 „*ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν*" et vs. 103 „*ἰὴ ἰὴ παιῆον ἵει βέλος*". — Sed ipsa verba videamus.

Vs. 300. *Ἀστερίη θυόεσσα, σὲ μὲν περί τ' ἀμφί τε νῆσοι*
κύκλον ἐποιήσαντο καὶ ὡς χορὸν ἀμφεβάλοντο·
οὔτε σιωπηλὴν οὔτ' ἄψοφον οὖλος ἐθείραις
Ἕσπερος, ἀλλ' ἀεί σε καταβλέπει ἀμφιβόητον·
οἳ μὲν ὑπαείδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος,
305 *ὅν τοι ἀπὸ Ξάνθοιο θεοπρόπος ἤγαγεν Ὠλήν·*
αἳ δὲ ποδοῖν πλήσσουσι χορίτιδες ἀσφαλὲς οὖδας.
δὴ τότε καὶ στεφάνοισι βαρύνεται ἱρὸν ἄγαλμα
Κύπριδος ἀρχαίης ἀριήκοον, ἥν ποτε Θησεὺς
εἴσατο, σὺν παίδεσσιν ὅτε Κρήτηθεν ἀνέπλει.
310 *οἳ χαλεπὸν μύκητα* [1]) *καὶ ἄγριον νΐα φυγόντες*
Πασιφάης καὶ γναμπτὸν ἕδος σκολιοῦ λαβυρίνθου,
πότνια, σὸν περὶ βωμὸν ἐγειρομένου κιθαρισμοῦ
κύκλιον ὠρχήσαντο· χοροῦ δ' ἡγήσατο Θησεύς.
ἔνθεν ἀειζώοντα, θεωρίδος ἱερά, Φοίβῳ
315 *Κεκροπίδαι πέμπουσι τοπήια νηὸς ἐκείνης.*

Asterien *θυόεσσαν* salutat poeta aulicus non sine proprio consilio. Diligenter enim dat operam ut iis inprimis laudibus eaque gloria insulam Regi suo gratissimam ornet, quas in alias celebres deorum sedes contulerant antiquiores. Ita saepius iam vidimus Delphorum honores in Delon collatos, ita nunc eo praecipue cognomine

---

[1]) Schneiderus *μυκητά*. Dicetur de hac forma infra pag. 187.

sacram insulam laudat, quo usus erat poeta hymni homerici *in Cererem* (97. 319) Eleusina celebraturus.

Eodem autem versu ad verba σὲ μὲν περί τ' ἀμφί τε sufficiat exemplum citare Homeri, qui in eadem versus sede his vocabulis collocatis dixerat *P.* 760 „πολλὰ δὲ τεύχεα καλὰ πέσον περί τ' ἀμφί τε τάφρον"; addendum vero hoc est, Callimachum nihil inter ἀμφὶ atque περὶ distinxisse neque igitur observasse eum — nec magis eius imitatiores, quorum ingentem copiam contulit Schneiderus — Homero haec duo verba coniunctim posita idem valuisse ac si dixisset „ἀμφοτέρωθεν περὶ τάφρον".

Sequens versus, id quod fortasse factum est quia verbis „κύκλον ἐποιήσαντο" ad *Cycladum* nomen alludere volebat poeta, humi fere serpit; versum exornare quodammodo conatur insolitum medium ἀμφεβάλοντο pro activo adhibens. Quod tamen si, quia insolitum sit, tollas cum Schneidero et χορὸς legas, ut habeat vim reflexivam illud medium, vereor ne poetam corrigas non librarium. Saepissime enim formas medii pro activo adhibet Callimachus, quod facientem viderat tam Homerum quam tragicos poetas. Et extat in Aeschyli codicibus ipsum medium περιβαλέσθαι eo modo adhibitum in lugubri at dulcissima illa querela *Agam.* 1146:

ἰὼ ἰὼ λιγείας μόρον ἀηδόνος
περιβάλοντό οἱ πτεροφόρον δέμας
θεοὶ γλυκύν τ' αἰῶνα κλαυμάτων ἄτερ,

et licet valde suspectus sit locus, et variis post Blomfieldium coniecturis tentatum sit ipsum illud medium, fieri tamen potest ut pro activo posuerit Aeschylus, aut ita legerit Callimachus. Sed, num in haud insueto medii usu loco Aeschyleo defendendus sit noster dubito; certius vero est in sequenti versu adiectiva σιωπηλὸς et ἄψοφος (eodem modo coniuncta II. 12) ex tragicorum hortis eum decerpsisse. Et σιγηλὸς enim frequens est apud poetas tragicos et σιωπηλός; verum hoc innovavit Callimachus quod praedicavit οὐ σιωπηλὴν non lyram sed insulam in qua numquam ἡ λύρα σιωπᾷ.

De adiectivo οὖλος iam dictum est pag. 25, et de verbo καταβλέπειν satis erit notari ipsum βλέπειν non legisse Callimachum in Homero suo, at extare tamen in Iliade ab eadem stirpe formatum βλέφαρον et adiectivum παράβλωψ.

Ad sequentia (vs. 304) „οἱ μὲν ὑπαείδουσι νόμον" κ. τ. λ. adnotavit Scheer. (*l. l.* p. 12) cui assensus est de Ian (p. 29), ex hisce verbis apparere Callimachum, cum III. 242 (cf. supra p. 106) ita homericum versum Σ. 570 accepisset ut λίνον chordas ex lino factas inter-

pretatus esset, nunc in hymno IV sententiam ab Aristarcho postea commendatam amplexum esse, et intellexisse λίνον „γένος τι ὕμνου". Summa, opinor, iniuria tantae inconstantiae poetam nostrum incusarunt viri docti. III. 242 enim ita aperta est imitatio versus Σ. 570, ut verba ὑπήεισαν δὲ λίγειαι σύριγγες clare demonstrent in homerico quoque versu eum putasse verbum ὑπαεῖσαι subiecto (λίνον) instructum esse. Contra in eo versu de quo nunc agimus nullum est imitationis homericae vestigium, neque quidquam nisi ipsum verbum ὑπαείδειν cum Homeri versu callimacheus habet commune. Fecit autem hic Callimachus quod in tanta praepositionum libertate quivis suo iure fecit poeta Graecus: diversa significatione diversis duobus locis idem adhibuit compositum, et praepositioni quam ita adhibuerat III. 242, ut Homerus fecisse ei videbatur („ὑπὸ τοῦ κιθαρίζειν ἀείδειν") nunc aliam vim secundum recentiorum usum tribuit. Nam suis verbis expositurus ea quae antiquior poeta hymni homerici *in Apoll.* 160—163 enarraverat:

μνησάμεναι ἀνδρῶν τε παλαιῶν ἠδὲ γυναικῶν
ὕμνον ἀείδουσιν, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων·
πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν
μιμεῖσθ' ἴσασιν,

ita rem agit, ut suae aetatis morem teneat, dividitque chorum, nam ut Lucianus (*Salt.* 30) monet: „πάλαι μὲν γὰρ οἱ αὐτοὶ καὶ ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο, εἶτ' ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν". Id nostro loco quoque indicat Callimachus verbo ὑπᾴδειν, cui verbo igitur, licet epicorum ex more ᾰ nunc quoque in arsi longum servet, sensum tribuit minus solitum nec tamen obscurum, quem cognitum habemus in verbis ὑποκιθαρίζειν ὑπαυλεῖν, et ex Aristophanis *Ranis* vs. 366 „κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων".

Deliades quae „ποδοῖν πλήσσουσι χορίτιδες ἀσφαλὲς οὖδας" adulescentulos Phaeacum imitantur, qui θ. 264 „πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν". Ipsa autem imitatio arguit Callimachum, collato fortasse vocabulo χοροιτύπος (χοροιτυπίη), eorum interpretationi favisse qui in illo Odysseae versu χορὸν acciperent de *solo* a saltatoribus pulsato [1]), neque cum iis censuisse qui de ipsa *saltatione* accipiendum putarent, quos postea secutus est Vergilius *Aen.* VI. 644 ita versum homericum interpretatus: *pars pedibus plaudunt choreas.* Nequis erraret, non „χορὸν πλήσσουσι" dixit Callimachus, verum „χορίτιδες πλήσσουσιν ἀσφαλὲς οὖδας". Atque haec ultima verba novam

[1]) Cf. Lehrs *Aristarch.* p. 150.

evocant suspicionem. Nam οὔδας sane homericum est vocabulum et in eadem sede occurrit ἄσπετον οὔδας ν. 395; χ. 269. At noster ea leniter immutans ἀσφαλὲς οὖδας dixit. Quodsi id fecit homericum versum ζ. 42 „θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς ἀεὶ ἕμμεναι" recordatus — neque id improbabile — primum ex ea re id efficies, iam Callimacho obversatam esse vocabulorum οὖδας ἔδαφος ἕδος originem communem, tum, quod hodie minus probabimus, ab eo quoque in versu ζ. 42 „ἀσφαλὲς", quod cum adverbio ἀεὶ coniungendum erat (cf. O. 683), adiectivi loco ad substantivum ἕδος tractum esse, acceptumque de *tutis* deorum sedibus. Idem fecit Lucretius, cum praeclaris versibus sic eundem expressit locum (III. 18):

> Apparet divum numen, *sedesque quietae,*
> quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
> aspergunt.

Quod vs. 307 dixit, στεφάνοισι βαρύνεται ἱρὸν ἄγαλμα, non magis antiquae epicae dictioni convenit quam quod illud signum deae ornavit epitheto ἀριήκοον. Valent de voce ἄγαλμα eadem quae de voce βρέτας supra dixi p. 105, de verbo βαρύνεσθαι, quod diversa vi saepe adhibet Callimachus, vix quidquam addere opus est nisi hoc, propius nostrum ad homericam dictionem accessurum fuisse si verbo βρίθειν usus esset; tandem, adiectivum ἀριήκοος si formavit ipse, ad normam homericorum ἀρίγνωτος ἀριδείκετος ἀρίσημος recte finxit [1]). Ea autem si novavit, vix tamen vs. 310 cum Schneidero novum accusativum (pro vulgata lectione μήκυμα) obtrudere nostro audeam μυκητά. Licet enim videamus mire errasse in huiuscemodi formis recentiores poetas — satis erit memorare notum illud Antimachi „πατρί τε κυανοχαῖτα Ποσειδάωνι" et Arati „ἵπποτα φηρὸς" — tamen nullo codice adiuvante, cum non constet Callimachum unquam in hac re peccasse, accusativum ad normam vocabulorum quale est αἰχμητὰ ab eo fictum putare μυκητά (graviore profecto errore quam in homericis illis κυανοχαῖτα et ἵπποτα commiserat Antimachus vel Aratus) id audacius mihi videtur et in poetam iniquius. Attamen contra eos qui „ἄγριον μύκημα" legi iusserunt validis argumentis probavit Schneiderus, nihili fore versum nostrum, nisi prior quoque pars ad filium illum Pasiphaes refera-

---

[1]) Activo sensu adhibet idem adiectivum Apollon. Rhod. IV. 1707. Itemque nostro loco active accipiendum atque ad ipsam deam referendum esse contendit Bredau *l. l.* p. 36. Iniuria ni fallor. Dicitur ἄγαλμα ἀριήκοον i. e. *περίκλυτον* eam ipsam ob causam quia „ἀρχαίης Κύπριδος" erat, atque olim a Theseo statutum fuerat.

tur. Insuper id suadent verba „χαλεπόν τε καὶ ἄγριον", quae ab ipso Homero saepius coniunctim dicta omnino distrahenda non sunt. Quapropter suspicor re vera illum *mugitorem molestum atque immanem* indicatum esse a poeta eo substantivo quod proposuit Schneiderus, nempe μύκητα, sed προπαροξυτόνως id scribendum esse tamquam a nominativo μύκης derivatum. Obstare quod inde nasceretur ambiguitas, quia extaret substantivum μύκης significatione longe diversa, nemo contendat qui noverit illos Alexandrinos eruditam ambiguitatem quaerentes ultro, non evitantes. Exempla autem talis licentiae non defuisse poetae vides in verbo πλανᾶσθαι, a quo tam πλάνης quam πλανήτης formabatur; neque vero ea libertate nusquam alibi usus est noster, nam fr. 472 nomen proprium Κόμης Κόμητος formavit pro solito Κομήτης, qua de re conferenda sunt quae exposuit Herodianus (II. 678. 25). Ceterum si recte haec disputata sunt, fortasse inde effici licebit homericum accusativum εὐρύοπα a nominativo εὐρύοψ derivasse nostrum.

Vulgati fere sermonis verbis describit Callimachus Labyrinthum cuius γναμπτὸν ἕδος et σκολιὰς ὁδοὺς post eum tractarunt Diodorus IV. 7 et Apollodorus III. 14 (καμπαῖς πολυπλόκοις πλανῶν, cf. III. 15. 8). Hic illic paululum adsurgens lyrico sive tragico flosculo exornat orationem. Ita ἐγειρομένου κιθαρισμοῦ vs. 312 dixit Pindarum tragicosque secutus. Nam Homero „ἐγείρειν φύλοπιν" vel „Ἄρηα" tantum in usu fuit. Iam paulo latius verbi usus patet apud Pindarum (*Ol.* IX. 47 „ἔγειρ' ἐπέων σφιν οἶμον λιγὺν" legitur, et alibi λύραν ἐγείρειν); tragici autem θρῆνον et κτύπον nonnumquam ἐγείρουσιν. — Cetera quae versibus 314 et 315 exposita sunt, etiamsi, quod nescimus, attici sermonis non sit τοπήιον (parum enim proficimus scholiastae adnotatione: „παρὰ τοῖς Λάκωσιν") [1]), eiusmodi verbis enarravit Callimachus ut non poetae verum historiarum cuidam scriptori deberi ea dixeris. Quoniam vero totam eam de sacra navi Theseïde narrationem unde hauserit noster tantopere incertum est, suspicionem de hac re mihi obortam non reticebo, licet haud firmissima sit. Ex iis quae de Thesei expeditione narrat Plutarchus in *vita Thes.* c. 23 (quae revocant in mentem Callimachi „ἀειζώοντα τοπήια") effici posse suspicor, egisse de hac re, nescio quo libro, DEMETRIUM PHALEREUM. „Τὸ δὲ πλοῖον", ita scriptor Chaeronensis, „ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἠθέων ἔπλευσε καὶ πάλιν ἐσώθη, ἀχρὶ τῶν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως χρόνων διεφύλατ-

[1]) Conferri poterit de voce τοπεῖον Bredau *l. l.* 85.

τον οἱ Ἀθηναῖοι, τὰ μὲν παλαιὰ τῶν ξύλων ὑφαιροῦντες, ἄλλα δὲ ἐμβάλλοντες ἰσχυρὰ καὶ συμπηγνύντες οὕτως ὥστε καὶ τοῖς φιλοσόφοις εἰς τὸν αὐξανόμενον λόγον ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι, τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτὸ τῶν δὲ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένοι λεγόντων". Quare Demetrii praecipue aetas memoratur, cum etiam post eum reliquiae navis adservarentur Athenis? Nonne quia Phalereus ipse huius rei fuit auctor? Certe minime obstant tali coniecturae ultima Plutarchi verba: sicuti enim saepius peripatetici Aristotelis exemplum secuti priorum philosophorum syllogismos et referre et refellere solebant, ita id ipsum Demetrium quoque de Theseide agentem fecisse haud improbabile est. Ceterum si recte suspicatus sum, duorum hoc loco peripateticorum doctrina in unum congesta est sive a Plutarcho sive ab auctore quem hic sequitur, quae enim praecedunt suppeditata videntur a Dicaearcho. Cf. Plut. *Thes.* c. 21.

Vs. 316. *Ἀστερίη πολύβωμε πολύλλιτε, τίς δέ σε ναύτης*
ἔμπορος Αἰγαίοιο παρήλυθε νηὶ θεούσῃ;
οὐχ οὕτω μεγάλοι μιν ἐπιπνείουσιν ἀῆται,
χρειὼ δ' ὅττι τάχιστον ἄγει πλόον, ἀλλὰ τὰ λαίφη
320 *ὠκέες ἐστείλαντο καὶ οὐ πάλιν αὖτις ἔβησαν*
πρὶν μέγαν ἢ σέο βωμὸν ὑπὸ πληγῇσιν ἑλίξαι
ῥησσόμενον καὶ πρέμνον ὀδακτάσαι ἀγνὸν ἐλαίης
χεῖρας ἀποστρέψαντας ἃ Δηλιὰς εὕρετο νύμφη
παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν.
325 *ἱστίη ὦ νήσων εὐέστιε χαῖρε μὲν αὐτὴ,*
χαίροι δ' Ἀπόλλων τε καὶ ἣν ἐλοχεύσαο Λητώ [1]).

Finem hymno impositurus ad altiorem sermonem denuo surgit poeta obscuritate res enarrandas involvens. Dictionem autem solam non res ipsas tractanti paucis de his absolvere licet. Nam de adiectivis a *πολυ-* ordientibus saepius vidimus, hic id tantum addi potest, in adiectivo *πολύλλιτος* quod iterum adhibet II. 80 homericum *πολύλλιστον* haud ita male variatum esse. Poetae enim hymnorum *in Apoll.* vs. 347; *Cer.* 28 templa dixerant *νηοὺς πολυλλίστους* non accurate Homerum secuti, qui flumen Scheriae, vel potius deum fluvialem, ita salutatum ab Ulixe fecerat: „*πολύλλιστον δέ σ'*

[1]) Elegantem Wilamowitzii emendationem praetuli Meinekii coniecturae „*ἦ σφ' ἐλοχεύσατο*". Admodum infelix videtur quod Schneiderus proposuit *ἦ 'νελοχεύσατο* licet ad codicum lectionem *ἣν ἐλοχεύσατο* proxime accedat. Speciose idem Wilamowitz. vs. 320 pro *μέγαν*, quod languet, *κεραὸν* proposuit; incertum tamen inventum est cui nihil est subsidii in Plut. *Thes.* c. 21.

ἱκάνω" (δ. 445). Templa autem, itemque insulam aris templisque divitem rectius ornari epitheto quod a substantivo fieret censui noster, itaque corrigens antiquiorem poetam nunc insulam multis semper precibus resonantem πολύλλιτον salutat.

Vs. 318 quamquam homerici versus formam imitatus — spectat ι. 139 „καὶ ἐπιπνεύσωσιν ἀῆται" — verbo ἐπιπνεῖν tamen aliam vim tribuit quam fecerat Homerus. Flatu enim suo *propellere* navem hic dicuntur venti: utiturque verbum vi transitiva haud aliter ac postea translate apud Apollonium III. 937. Praeiit Euripides hoc modo verbum ἐπιπνεῖν cum accusativo coniungens *Phoen.* 794 et 789 [1]). Iure autem ad tragicorum exempla hic denuo referri dictionem Callimachi monet quoque ordo sententiae, tragicorum more inversus (vs. 295, 302, 303, 310), monet item λαῖφος pro epico substantivo ἵστιον usurpatum quod Aeschylus ita posuit *Suppl.* 721 λαῖφος στέλλειν. Quamquam noster ut Homerus *A.* 433 „ἵστια μὲν στείλαντο" medio usus est.

De versibus 320 *sqq.* rem obscuram obscure exponentibus incerta proferre nolo. Id igitur tantum notabo verbum ὀδακτάζειν, quod unde sumserit noster non constat, eodem modo ab adiectivo verbali ὀδακτός (καρδίαν ὠδαγμένος ex Sophocle affert Clemens *Strom.* 716. 15) formatam esse, quo a verbis ἕλκειν et νεύειν iam Homerus fecerat ἑλκυστάζειν et νευστάζειν.

Extremis versibus iterum Callimachus, qui per totum hymnum Deli honores Delphis anteposuit, insulam salutans „ἱστίην νήσων εὐέστιον" eodem titulo eam adornat quo tragici poetae Pythii Apollinis sedes plus quam semel celebraverant. Pro multis testimonium dabit Euripides *Ion.* 462 „Φοιβήιος ἔνθα γᾶς μεσόμφαλος ἑστία".

---

[1]) De substantivo ἀῆται quod ipsos ventos indicat cf. pag. 103.

IV.

HYMNUS IN APOLLINEM.

(Hymnus II.)

Hymni in Apollinem aetatem constituere in hac disputatione ne conabor quidem. Indicare satis erit omnino non suffragari me posse iis viris doctis qui, ut Studniczka Ehrlichius alii, Euergete regnante hymnum compositum esse opinati, sub Apollinis nomine numquam non cantari regem Euergeten putent. Optime contra Ernestus Maassius (*Herm.* XXV. p. 401 *sqq.*) statuisse mihi videtur hymnum nostrum festo in Apollinis Carnei honorem Cyrenae celebrato destinatum fuisse. Ipsum carmen a prioribus diversum est tam expositionis genere quam dictione, ita ut propria arte magis quam antea nunc niti poetam dicas. Porro ubi antiquiores sequitur haud magis ad Homerum quam ad lyricos tragicosque se adplicat. Lyricum saltem hymni est exordium, quocum omnino conferendum est Alcaei illud fragmentum de Apollinis epiphania Delphica quod iam supra attigi (cf. pag. 147.)

Vs. 1. *Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὄρπηξ,*
οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον· ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.
καὶ δή που τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει·
οὐχ ὁράᾳς; ἐπένευσεν ὁ Δήλιος ἡδύ τι φοῖνιξ
5 *ἐξαπίνης, ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει.*

---

[1]) Cf. de hoc hymno Ehrlich. *l. l.* p. 58 *sqq.*

αὐτοὶ νῦν κατοχῆες ἀνακλίνεσθε πυλάων,
αὐταὶ δὲ κληῖδες· ὁ γὰρ θεὸς οὐκ ἔτι μακρήν·
οἱ δὲ νέοι μολπήν τε καὶ ἐς χορὸν ἐντύνεσθε.

Ionicam crasin τὠπόλλωνος et hic adhibuit et vs. 69 in vocativo ὦπολλον, id quidem non quod in tali re nunc longius quam antea ab Homero discedere vellet, nam vidimus in primo hymno, ubi accuratius homericam servat dictionem, per crasin eum ὦνα scribere (cf. pag. 18). Sequitur eo quoque hoc versu epicam dictionem quod media forma usus est ἐσείσατο (cf. Θ. 199), at deflectit ni fallor ab antiquiorum usu in substantivo ὄρπηξ. Spanhemius verba „δάφνινος ὄρπηξ" rettulit ad *postes lauro ornatos*, assentiturque ei Schneiderus. Verumenimvero nulla omnino de postibus lauro ornatis in sequentibus fit mentio. Equidem putaverim substantivum, quod semel in Iliade, raro apud ceteros poetas occurrit, alia significatione a Callimacho hic esse adhibitum. Utitur voce ὄρπηξ Homerus de ramo flexili caprifici Φ. 37

ὃ δ' ἐρινεὸν ὀξέι χαλκῷ
τάμνε νέους ὄρπηκας ἵν' ἅρματος ἄντυγες εἶεν.

Item de tenuioribus virgulis Sappho *fragm.* 78:

„ὄρπακας ἀνήτοιο συνέρραισ' ἀπάλαισι χέρσιν".

Ulterius progrediuntur Attici, cum non iam flexilem et tenuem virgam sed *hastam* ὄρπηκα dicunt, ut Euripides *Hippol.* 221 „Θεσσαλὸν ὄρπηκα". Poetae autem Alexandrini iam eandem huic substantivo vim attribuerunt quam obtinet ἔρνος, id quod cum etymologia certare non videtur [1]). Ita quoque noster: adventante deo *sacra laurus* σείεται, quam δάφνινον ὄρπηκα dicit, ut laurum palmamque Deliacam „φοίνικος νέον ἔρνος" auditoribus in memoriam reducat; aderat autem opinor ad Cyrenaici Apollinis templum laurus ad instar delphicae arboris (cf. Aristoph. *Plut.* 213 „ὁ Φοῖβος αὐτὸς Πυθικὴν σείσας δάφνην) et palma ex Deliacae palmae semine orta [2]).

Versu secundo duobus vocabulis ab antiqua dictione epica recedit. Ut III. 225 adiectivum πουλυμέλαθρος, ita nunc ipsum substantivum μέλαθρον accipit latiore sensu quam fecerat Homerus

[1]) Cf. Nicand. *Ther.* 33; Apoll. Rhod. IV. 1435; et vide L. Meyer *Vergl. Gramm.* p. 964.

[2]) Cantatur θεοῦ ἐπιφάνεια cf. vs. 13. Ceterum tam laurum illam, quam *palmam Deliacam*, quae proximo memoratur versu, sanctas arbores fuisse, quae aderant in ipso Cyrenaicorum templo nomine tenus celeberrimarum arborum memoriam servantes, exemplis docuerunt Maass *Herm.* XXV. p. 403 et Ehrlich. *l. l.* p. 61.

tragicos opinor secutus, qui *δόμος μέγαρον μέλαθρον* ita de deorum templis ut de regiis aedibus dicere solebant. Res argumento esse poterit, Callimacho non placuisse derivationem notissimam quam refert Etym. magn. 576. 15: „*ἀπὸ τοῦ μελαίνεσθαι ὑπὸ τοῦ καπνοῦ*". — Secundum est adiectivum *ἀλιτρός*, ad quam vocem iam diu interpretes vergilianum illud „*procul o procul este profani*" adscripserunt. Atque id quidem iure. Verum notandum quoque est adhiberi adiectivum, quod olim multo graviorem habuerat vim. Expectes enim (idque vix dubium est quin indicare voluerit poeta) non *scelestos* tantum desistere iuberi, sed omnes quicunque, qualibet de causa, impuri sint aut profani. Res mira est, nam noverat poeta propriam significationem *τοῦ ἀλιτηρίου*, et recte secundum eam adiectivo *ἀλιτήμων* (quamquam passive) III 123 et aoristo *ἤλιτεν* III. 255 usus erat.

Attice neque homerice loquitur poeta qui dicit Phoebum „*τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ ἀράσσειν*" (vs. 3). Suaserunt sane Homeri *καλὰ θύρετρα* (*φ*. 49) Callimacho ut ita templi fores vocaret, at in ceteris illum non respicit; nam licet saepe apud Homerum caput facies oculi crines praedicentur *καλὰ* (*καλὴ κεφαλή*, *καλὰ πρόσωπα*, *ὄμματα καλά*), tamen constat opinor nunc quidem non Homerum exemplo fuisse nostro; solet enim, cum Homerum imitatur, *ā* ex more antiquo servare longum, veluti vs. 5, ubi „*κᾱλὸν ἀείδειν*" dixit (cf. *Σ*. 570 *λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἀείδει*, et alibi). Atticorum spectat dictionem, qui quam facile *fausta* „*καλὰ*" dixerint, monent „*σφάγια καλά*". Nonne autem haec est poetae sententia: Phoebum pulsare fores *pede fausto*? — Ceterum eosdem Atticos sequitur, cum ad id significandum verbo utitur *ἀράσσειν* (cf. Eur. *Iph. Taur*. 1308 „*πύλας ἀράξας*").

Vs. 6 *κατοχῆας* vocat quos Homerus *ὀχῆας*. Simul eo versu videtur secutus esse Homeri quandam dictionem paulo neglegentiorem. Nam *κατοχῆας* iubens *ἀνακλίνεσθαι* adplicat ad pessulos verbum, quod ad ipsas fores pertinet: *θύραι* enim *ἀνακλίνονται* (cf. *Θ*. 395 *χ*. 156) non *μοχλοί*. Sed praeierat ipse Homerus, eadem dicendi licentia usus cum *Ω*. 455 diceret „*τρεῖς δ' ἀναολγεσκον μεγάλην κληῖδα θυράων*". Verbo aptiore idem indicat eo versu quem hic Callimachus spectasse videtur, *φ*. 47 „*θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας*."

Pronomen *αὐτοὶ* hisce versibus bis pro *αὐτόματοι* (cf. *Θ*. 393) positum est, quod etiam homerice loquentibus non illicitum esse docebat locus *P*. 254 „*ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω*" (Schol. V *αὐτόματος*). Deinde, ut solet noster, sicubi epicae suae dictioni talia admi-

scet, quae homerica non sunt, speciem homericam conciliat voci μακρὴν, Ionicam adiectivo induens formam et in fine versus collocans, quem locum saepius obtinet apud Homerum; quamquam eam significationem, qua nunc adhibetur, in homericis non habet.

Versus octavi structuram, quacum conferri potest huius hymni vs. 109 et III. 246, tractavi supra pag. 179, ad IV. 280. Idem vero versus docet, non dubitasse Callimachum, quin ad *cantum* quoque indicandum recte substantivum μολπὴ in epicis adhiberetur, qua de re aliter iudicasse Aristarchum notissimum est (cf. Lehrs. *Arist.* p. 138).

Vs. 9. ὠπόλλων οὐ παντὶ φαείνεται, ἀλλ' ὅτις ἐσθλός·
ὅς μιν ἴδῃ, μέγας οὗτος· ὃς οὐκ ἴδε, λιτὸς ἐκεῖνος·
ὀψόμεθ' ὦ Ἑκάεργε, καὶ ἐσσόμεθ' οὔποτε λιτοί.
μήτε σιωπηλὴν κίθαριν μήτ' ἄψοφον ἴχνος
τοῦ Φοίβου τοὺς παῖδας ἔχειν ἐπιδημήσαντος,
εἰ τελέειν μέλλουσι γάμον πολιήν τε κερεῖσθαι,
ἑστήξειν δὲ τὸ τεῖχος ἐπ' ἀρχαίοισι θεμέθλοις.
ἠγασάμην τοὺς παῖδας, ἐπεὶ χέλυς οὐκέτ' ἀεργός.

Quantum languescunt versus illi 9—11 per quos antiqua mythologumena novis dogmatis admiscens homericum illud (π. 161, cl. η. 201)

οὐ γάρ πως πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς

ad Apollinis epiphaniam describendam adhibet, quam repit humi sermo exilis et iteratione tardus! Nil mirum profecto si poeticae orationis exempla quaerentibus hinc nihil fere, quod operae pretium sit, provenit. Unum est, quod antiquis parum cognitum hic adhibet Callimachus, adiectivum λιτὸς, ideo fortasse notatu dignum, quia nunc opponitur voci ἐσθλὸς et eodem fere redeat necesse est ac si „ἄτιμοι" dixisset, cum in *Lavacro Palladis* vs. 25 („λιτὰ χρίματα") secundum usum vulgatum adhibitum sit. In sequentibus autem dum tragicis vocabulis orationis languorem excitare studet et attollere, veluti vs. 12 adiectivis σιωπηλὸς et ἄψοφος (de quibus iam vidimus pag. 185), imitatur sophocleum „ἄψοφον φέρει βάσιν" *Trach.* 967, levi mutatione, nam dicit „ἄψοφον ἴχνος", quod forma tenus cum epico sermone convenire vidimus pag. 167. In voce κίθαριν tam hic quam versu 19 epicam formam servavit.

Brevi si dicere volumus de callimacheo usu verbi μέλλειν, hic fortasse ad verba τελέειν μέλλουσι (vs. 14) aptissimus est dicendi locus. In conferendo autem Callimachi usum cum homerico non habeo

quem potius sequar quam Leeuwenium in accuratissima de homerico verbo *μέλλειν* disquisitione, quae legitur *Enchir.* p. 277 *sqq.* Et primum quidem de Callimachi hymnis dicere licebit quod statuit de Homero vir clarissimus: numquam *cunctandi* notionem ibi *τὸ μέλλειν* indicat. Neque magis occurrit significatione *τοῦ ἐοικέναι*, ad quam Aristarchus (cf. Lehrs p. 121) inprimis attendere solebat. Saepe vero, prorsus eodem modo quo Homerus, imperfectum *ἔμελλε* — semel (IV. 58) *ἤμελλε*, quod nusquam apud Homerum — adhibet „ad indicandas res quae futurae erant, vel expectari poterant tempore de quo poeta loquitur". Atque eo sensu plerumque ut videtur cum futuro verbum coniunxit: I. 20 *μέλλεν δὲ μάλ' εὔυδρος καλέεσθαι*, III. 255 *οὐ γὰρ ἔμελλε νοστήσειν*, IV. 134 *μέλλεν ἐμβαλέειν* [1]). Duobus autem locis eadem significatione, secundum Atticorum magis quam Homeri consuetudinem, verbo *μέλλειν* infinitivum praesentis addidit: IV. 215 „*οὐκ ἄρ' ἔμελλες ἄπυστος δὴν ἔμεναι*" et IV. 129 „*μέλλοιμι ἔρρειν*". Haec dicendi ratio cum epico sermone non videbatur pugnare. Solet sane hodie dubitari de lectionis sinceritate in iis locis homericis ubi hocce modo *ἔμελλε* cum praesentis formis coniunctum videmus. At, opinor, non dubitavit noster, cum legeret in codicibus suis *τ.* 94 *ἔμελλον εὑρεσθαι*, aut *ι.* 475 *ἔμελλες ἔδμεναι*, quin iure suo haec ita ut nunc videmus imitaretur. Haud ita multum enim distat verbi vis in hisce Callimachi versibus ab exemplo homerico, neque conferendi sunt ii loci cum Homeri versibus *α.* 232; *σ.* 138, ubi indicat *τὸ μέλλειν* id quod veri simile est. Causam enim idoneam non video cur putemus tantum a vero aberrasse Callimachum ut IV. 215 reddere voluerit *α.* 232 „*μέλλεν μέν ποτε οἶκος ὅδ' ἀφνειὸς καὶ ἀμύμων ἔμμεναι*".

Immo ne eo quidem contra Homeri dictionem se peccasse concedet, quod de re futura scripsit IV. 58 „*Ζηνὶ τεκεῖν ἤμελλε*", nam extare videbatur talis usus exemplum *Σ.* 98 „*ἔμελλον ἐπαμῦναι*". Tamen hic quidem non Homero auctore usus est. Arguit augmentum *ἠ-*, ab epica, quin etiam a tragica dictione alienum, hic spectasse nostrum Hesiodi versum *Theog.* 478, qui multis iam fuit offensioni, „*ὁππότ' ἄρ' ὁπλότατον παίδων ἦμελλε τεκέσθαι*".

Restat versus II. 14, qui in ceteris convenit cum homericis locis de quibus diximus, hac tantum re discrepat quod ea significatione in Homeri carminibus verbi *μέλλειν* imperfectum solet adhiberi, hic vero praesens tempus legitur. Vix culpae obnoxius propter eam libertatem

[1]) Recipienda enim in versu sequenti correctio „*ἀποκρύψειν*" pro vulgato *ἀποκρύψαι*.

videtur Callimachus. Etsi enim apud Homerum „inservit imperfectum ad indicandas res, quae futurae erant vel expectari poterant tempore de quo sive poeta loquitur sive is qui narrans inducitur", nihil tamen est in verbi μέλλειν vi propria, quo rectius imperfectum quam praesens tempus eam significationem indicare putemus. Ipsius narrationis ingenium, quippe quae res antea factas exponat, fert, ut sermo homericus tantum non semper de rebus praeteritis agens, tempus postulet historicum; verum tantum abest ut perperam iudicaverit Callimachus, iure suo se dicturum „τελέειν μέλλουσι" (i. e. *si iusta spes erit fore ut instaurent*) ut etiam non desint loci in ipso Homero quibus se defendat, veluti Ψ. 544 „μέλλεις γὰρ ἀφαιρήσεσθαι ἄεθλον" i. e. *in animo habes spoliare.*

Haec igitur satis homerice dicta erant. Sed epicam dictionem per hos versus etiam volens ac sciens relinquit Callimachus. Mitto verba πολιὴν κερεΐσθαι (vs. 14), quae novo sane modo dicta, non tamen forma cum epica dictione pugnant neque omni elegantia carent. Mitto quoque formam ἑστήξειν, de qua obiter moneo infinitivum perraro usu venisse; hunc enim ipsum Callimachi versum laudare Herodianum (II. 269, 14) quo futuri exacti formam infinitivi confirmet. Novavit vero Callimachus, idque neque inconsulto neque inepte, cum in epicam dictionem intulit verbum ἐπιδημεῖν eo sensu quo nunc adhibet, theophaniam Apollinis indicans verbis Φοίβου ἐπιδημήσαντος. Solemne enim in hac re verbum illud est, ac notae sunt huius dei ἐπιδημίαι et ἀποδημίαι [1]). Non minus distat ab Homeri usu loquendi noster eo, quod de pueris ipsis qui choro intersunt dicit „εἰ τελέειν μέλλουσι γάμον", quoniam id ipsum γάμον τελεῖν epice quidem dicitur, nec tamen de hominibus. Deos qui nuptiis praesunt poscere solent homines homerici „τέλος θαλερὸν γάμοιο", cum a dis precantur, ut id sibi munus proprium faciant: di enim γάμους τελέουσι sive ἐκτελέουσι, veluti in Menelai regia, δ. 7: „τοῖσιν δὲ θεοὶ γάμον ἐξετέλειον" [2]). Aliter vero, ad aequalium rationem dicendi magis animum advertens nunc Callimachus ipsos adulescentulos „τελεῖν γάμον" dixit, quod verbum de qualibet graviore re conficienda saepius usurpatum de nuptiis contrahendis iam dixerat quoque Lycophro vs. 1387.

De substantivi θέμεθλον formis iam vidimus pag. 107.

---

[1]) Cf. Roscher. in lexico suo I. 426, 11. — Alio sensu adiectivum ἐπίδημος adhibitum vidimus III. 226, pag. 101.

[2]) Inde non male Nonnus (*Dionys.* 48. 232) Πειθὼ nuncupavit τελεσσίγαμον.

Verbo dicendum est de versu 16. Non quo illustretur illa χέλυς ἀεργός; nam neque laudari potest illa imago, rustica sane imitatio imaginis elegantioris „σιωπηλὴ κίθαρις", neque quaeri necesse est cuinam talia debeat. Largiri possumus Callimacho ut hoc „χέλυς ἀεργὸς" invenerit, invenerit quoque illud „πολιὴν κερεῖσθαι" (vs. 14) quod iniuria tantopere offendit Schneiderum, qui copiosa disputatione persuadere lectoribus conatur, ut κυρεῖσθαι secum legant. Nobis tantum notasse non inutile videtur poetam, cum diceret „ἠγασάμην τοὺς παῖδας", formam quidem medii adhibuisse epicae dictioni propriam, attamen in ipso temporis usu ab Homero recessisse. Alienum enim ab antiquo sermone, sed Atticis scriptoribus, tragicis praesertim, usitatissimum est aoristo tempore indicare actionem quae quo tempore memoretur vixdum perfecta sit. Rei notissimae unum sufficit exemplum: Soph. *Aiac.* 536 „ἐπήνεσ' ἔργον καὶ πρόνοιαν ἣν ἔθου", ubi schol: „ἐπήνεσα· ἐπαινῶ" adnotat.

Vs. 17. εὐφημεῖτ' ἀίοντες ἐπ' Ἀπόλλωνος ἀοιδῇ·
εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοὶ
ἢ κίθαριν ἢ τόξα, Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου·
20 οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ,
ὁππότ' ἰὴ παιῆον ἰὴ παιῆον ἀκούσῃ·
καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος,
ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται,
μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀιζυρόν τι χανούσης.

Variam atque undique congestam doctrinam non sine arte hisce versibus disponens haud paucis ab antiquissima epica dictione recedit poeta. Quapropter vix ex versu 17 et 18 efficere poteris, quidnam de usu homerico verbi εὐφημεῖν Callimachus censuerit. Dissentiebantur grammatici in explicando verbo *A.* 22 (ἐπευφήμησαν Ἀχαιοὶ αἰδεῖσθαι), aliis — cf. Suid. I. 2. 874 — interpretantibus: „μετ' εὐφημίας συγκατέθεντο", aliis „μετ' εὐφημίας ἐβόησαν", quorum priores igitur iam in Homero sensum religiosi silentii illi verbo vindicasse videntur, cf. interpretes ad *I.* 171. Idem fortasse de eo verbo iudicabat noster. Sed nunc quidem non usum homericum indicare volebat, saltem ipsum Poetam vix respexit. In manibus Callimacho fuerunt procul dubio Agathonis poemata, quorum ingenium aptissimum erat ad delectandum eius aures atque animum. Componenti autem hosce, de quibus nunc agimus, versus obversabatur ei Agathonis carmen illud, nobis ex Aristophanis parodia tantum cognitum. (*Thesmoph.* 39) „εὔφημος πᾶς ἔστω λαὸς ..... ἐχέτω δὲ

πνοὰς νήνεμος αἰθὴρ, κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω". Eodem sensu nunc Callimachus verbum illud adhibet, et hic sane solitus est usus vocabulorum εὔφημος et εὐφημεῖν apud recentiores.

Verbum κλείειν, quod I. 51 minus accurate adhibitum vidimus (cf. supra pag. 24), nunc celebrandi significationem obtinet eandem quam habet in eo versu, cuius finem ad verbum exprimit noster, α. 338

ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τά τε κλείουσιν ἀοιδοί.

Citharam Apollinis atque arcum quo exemplo nisus vocet „ἔντεα Φοίβου" iam vidimus pag. 77; sed cuinam debet exquisitam doctrinam qua Λυκωρέα nuncupat Phoebum? Notum est Pausaniae testimonio (X. 6, 2 *sqq.*) diversas fuisse Parnassi accolarum opiniones de origine urbis Lycoreae, deque sensu nominis. Nonne probabile est, cum addat noster hoc cognomen deo simul arcum memorans Apollinis, Lycoreum ei deum vocatum videri quia *lupos* arceat, itaque Apollinem Λυκεῖον sive Λυκοκτόνον eo nomine significari? [1]).

Artis vix minus doctae testimonium praebet versus 20 ubi memorantur Thetidis querelae, propter laudes Apollinis intermissae. Querentem de futura filii morte induxerat Thetidem Homerus in hoplopoeiae vss. 35 *sqq.* Sed iam Aethiopidis poeta de deae luctu post filii mortem egit: „Θέτις (interempto Achille) ἀφικομένη σὺν Μούσαις καὶ ταῖς ἀδελφαῖς θρηνεῖ τὸν παῖδα" (*fragm. ep.* ed. Kink. p. 34). Item in altera necyia (ω. 47) narratur:

μήτηρ δ' ἐξ ἁλὸς ἦλθε σὺν ἀθανάτῃς ἁλίῃσιν
ἀγγελίης ἀίουσα· βοὴ δ' ἐπὶ πόντον ὀρώρει
θεσπεσίη.

Cum vero Aethiopidis enarrator Proclus adiciat: „ἡ Θέτις ἀναρπάσασα τὸν παῖδα εἰς τὴν Λευκὴν νῆσον διακομίζει", contra alterius necyiae poeta in Orco degere Achillem censuit. Cuius opinioni favere nostrum (quidquid de auctore atque origine extremae Odysseae partis iudicavit) non miramur; nam memoria tenemus neque de Cadmi, neque de Pelei neque de Tydidae vita post mortem beata ullam fieri apud Callimachum mentionem. Et nunc certe quid de ea re censeret disertis verbis indicavit. Sempiternas enim cum fingat Thetidis querelas et tunc modo paulisper intermissas cum laudes Apollinis instaurentur, in Orco aevum degere putat Achillem, qui si ἐν νήσοις μακάρων esset, nulla esset matri perpetui luctus

[1]) Placuit hoc epitheton ceteris quoque poetis Alexandrinis; vide Apoll. Rhod. IV. 1490; Euphor. fr. 53 (Meineke).

causa [1]). Longe igitur ab aequalibus in hac re distabat Callimachus. — Ceterum quod necyiae poeta vs. 59 dixerat „οἰκτρ' ὀλοφυρομένη", id exprimit noster verbis αἴλινα κινύρεται. Utrumque docte. Verbum enim ipsum κινύρομαι, casu quodam, in Homeri carminibus non legitur; sed respexit noster versum *P.* 5 ubi itidem de matre (vacca)

„ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ
πρωτοτόκος κινυρή" [2]).

Tum, οἰκτρὰ homericum aptissime in αἴλινα mutavit, ita ut tamquam *Linum* praematura morte correptum filium suum maerere mater videatur. Ipsum autem homericum οἰκτρὰ causa ei fuit, ut plurali forma adhiberet adiectivum quod singulari numero apud auctores suos, tragicos poetas, legisset (Aesch. *Agam.* 121 „αἴλινον αἴλινον εἰπέ", cf. Eurip. *Phoen.* 1519; *Orest.* 1395).

Thetidem haud inepta eruditione cum Niobe coniungit poeta, utraque enim eiusdem Apollinis iram saevientem in liberos suos viderat. At incitarunt nostrum, ut Niobes praesertim gravissimum dolorem hic memoraret, versus Ω. 602: „καὶ γάρ τ' ἠύκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου", et qui deinde sequuntur. Offendebantur enim Grammaticorum Alexandrinorum nonnulli versibus Ω. 614—617, damnaruntque eam partem Aristophanes atque Aristarchus, quorum hic ad versum 617 (ἔνθα λίθος περ ἐοῦσα θεῶν ἔκ κήδεα πέσσει) exclamat: „πῶς δὲ καὶ λίθος γενομένη θεῶν ἔκ κήδεα πέσσει;" — Et si quis dicat tum demum cum Aristophanes atque Aristarchus vigebant haec dubia esse oborta, meminerit Philemonis, qui, addita explicatione qua tales mythi „ratione duce" exponi possent, dixit:

ἐγὼ λίθον μὲν τὴν Νιόβην, μὰ τοὺς θεούς,
οὐδέποτ' ἐπείσθην, οὐδὲ νῦν γε πείθομαι.

Itaque data opera aequales monet poeta antiquae fidei addictus sibi quidem vetustissima videri haec mythologumena et minime reicienda. Verum iam quaeri oportet quibusnam id faciat verbis. De adiectivo δακρυόεις, ubique frequentato, nihil dicam; pronominis ὅστις usus singularis, qualem hoc loco videmus, a poeta

[1]) Conferenda sunt cum hisce quae exposuit de Achillis cultu apud Eleos Pausanias VI. 23. 3.

[2]) Num *I.* 526 cum Zenodoto κινυρίζων legerit Callimachus (cf. Duentzer. *Zenod.* p. 131) ex nostro versu vix efficias, quia non τὸ θρηνεῖν verbo κινυρίζειν eo Homeri loco indicatur.

defendi potest exemplo versus Ψ. 43 „οὐ μὰ Ζῆν', ὅστις τε θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος" (cf. IV. 154 et Schneider. ad eum locum); διερὸς aperta homericae vocis est interpretatio (cf. pag. 15); in verbo ἑστήρικται autem, quamquam Homero non incognito, nunc tamen ad recentiorum usum magis accedit quam fecerat IV. 13 (supra pag. 114). Maior enim vis quam in verbo ἱστάναι, a cuius stirpe derivatur, inerat in hoc verbo tam apud Homerum (cf. Λ. 28 ἴρισσιν ἐοικότες ἅς τε Κρονίων ἐν νέφεϊ στήριξε) quam apud Hesiodum, cuius unum praecipue locum versus Callimachi revocat in memoriam: *Theog.* 498, de lapide quem evomuerat Saturnus: „τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κατὰ χθονός". Et manet huic verbo sensus stabiliendi apud Atticos. Verum apud recentiores sensim deponit vim figendi. Redit eodem nostro versu ac si „ἕστηκε" dixisset poeta; idem valet de Dionysii Periegetae versu 204

τάων δ' ἀμφοτέρων μεσάτη πόλις ἑστήρικται,

et ulterius etiam hac via progressos esse recentiores docet locus notissimus ex Evangelio Lucae XVI. 26: „μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν μέγα χάσμα ἐστήρικται".

Constat autem non solum versus illos homericos Ω. 602 *sqq.* obversatos esse Callimacho cum haec conscriberet; nam adiecit „ἐν Φρυγίῃ". Quid ita? Latuitne igitur eruditissimum poetam quod vel pueri norant Alexandriae, Sipylum montem urbemque Magnesiam et saxum Niobes in *Lydia* esse? Id sane non ignorabat, sed „σικχαίνων πάντα τὰ δημόσια" lubens meminit mythographorum nonnullos Tantali sedes arcemque Sipylum in Phrygia collocasse — nonne Pelops Pindaro Lydus (*Ol.* I. 24) at Herodoto Phryx audierat? Prae ceteris vero mente tenuit noster Sophoclis chorum ex *Antigona*, qui vs. 823 memoraverat „τὰν Φρυγίαν ξέναν Ταντάλου". Delatus vero in tragoediam pergit opinor tragicorum sermonem loqui hisce verbis: „ὀιζυρόν τι χανούσης", ad quae illustranda iam diu adduxerunt interpretes Sophoclis *Aiacem* vs. 1227 (δεινὰ ῥήματα ἀνοιμωκτὶ χανεῖν).

Vs. 25. ἰὴ ἰὴ φθέγγεσθε· κακὸν μακάρεσσιν ἐρίζειν.
ὃς μάχεται μακάρεσσιν, ἐμῷ βασιλῆι μάχοιτο·
ὅστις ἐμῷ βασιλῆι, καὶ Ἀπόλλωνι μάχοιτο.
τὸν χορὸν ὠπόλλων, ὅτε οἱ κατὰ θυμὸν ἀείδῃ,
τιμήσει· δύναται γὰρ, ἐπεὶ Διὶ δεξιὸς ἧσται.
30 οὐδ' ὁ χορὸς τὸν Φοῖβον ἐφ' ἓν μόνον ἦμαρ ἀείσει·
ἔστι γὰρ εὔυμνος· τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι;

Hanc partem paucis me absolvere posse ex animo laetor, tanto afficior fastidio cum quaesita ambiguitate adulantem regi suo video poetam per versus illos languidos 25—29, et invitus fere revoco homerica illa quae hic imitatur Callimachus (Z. 141):

„οὐδ' ἂν ἐγὼ μακάρεσσι θεοῖς ἐθέλοιμι μάχεσθαι".

Referendum tamen est ad versum illum, quo confirmetur ea re quoque distare nostrum ab epico sermone, quod „μάκαρ" substantivi fere vice apud eum fungatur (cf. pag. 36). De usu autem verbi φθέγγεσθαι iam pag. 131, et de crasi in „ὠπόλλων" adhibita pag. 18 dictum est. Sed verbo dicendum est de optativi usu in versibus 25 et 26. Apparet enim Callimacho iudice sermonem epicum ferre in hypotheticis enuntiatis optativum particula ἄν destitutum. Omnino non offendebantur grammatici Alexandrini in iis locis quos hodie certatim Homeri editores corrigunt, qualis est versus Δ. 93 „ἦ ῥά νύ μοί τι πίθοιο;" et ibi tamen dubitari potest, utrum interrogatio an adhortatio grammaticis visa sit, adnotatur enim „οἰκεία ἡ παραίνεσις", contra Ξ. 190 in eodem versus initio dubitari non potest quin ἄν epica licentia omissum iudicaverit grammaticus qui adscripsit „ὑποθετικῶς διαλέγεται". Neque aliter atque ὑποθετικῶς accipi potest E. 303: „ὅ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν" (cf. Naber. *Quaest. hom.* p. 100). Facili modo haec exempla quivis augebit ex Atticis tragicis praesertim scriptoribus; et quamquam plerisque locis ἄν vel κεν sive potest addi sive debet, id saltem certum fit ex nostro loco, ut Aristophanem atque Aristarchum ita Callimachum iudicasse, tam in subiunctivo generali quam in optativo ἄν (κεν) saepius quidem addi, sed posse omitti. Quod autem in secundariis enuntiatis post conunctiones εἰ, ὅτε, talia, saepissime in epicis viderat, id ipse imitatur versu sequenti, cum omisso κεν dicit „ὅτε οἱ κατὰ θυμὸν ἀείδῃ": ita enim legendum esse Schneidero libenter assentior.

Vs. 29 nihil habet admodum observatione dignum, nisi quod verbum τιμᾶν secundum Homeri usum adhibetur: nam saepe apud illum quoque di τιμῆσαι τοὺς βροτοὺς dicuntur cum munere pietatis mortales donant. Obiter autem moneo, hoc versu spectare poetam hymnum homericum in Mercurium. Ut enim hic ad dextram Iovis adsidere dicitur Apollo, ita *hymno hom. in Merc.* vs. 468

πρῶτος γὰρ Διὸς υἱὲ μετ' ἀθανάτοισι θαάσσεις [1]).

[1]) Eiusmodi versus iniuria saepe induxerunt Alexandrinae poeseos investigatores, ut latere adulationes regum in poetae verbis suspicarentur. Ita hunc versum 29 natum esse ex sola imitatione poetae homerici propterea operae pretium erit meminisse, ne

Formam activi ἀείσω iam I. 4 adhibitam vidimus (cf. pag. 8), alienam ab Homero, Callimachi aequalibus probatam. Praeeunte autem Homero formis ῥέα et ῥεῖα pro metri necessitate utitur noster: ῥέα, ut hic vs. 30, scribit III. 250; at ῥεῖα infra vs. 50; III. 140; IV. 126.

Vs. 32. χρύσεα τῶπόλλωνι τό τ' ἐνδυτὸν ἥ τ' ἐπιπορπὶς
ἥ τε λύρη τό τ' ἄεμμα τὸ Λύκτιον ἥ τε φαρέτρη,
χρύσεα καὶ τὰ πέδιλα· πολύχρυσος γὰρ Ἀπόλλων
καὶ δὲ πολυκτέανος· Πυθῶνί κε τεκμήραιο.
καὶ μὲν ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος· οὔποτε Φοίβου
θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ γνόος ἦλθε παρειαῖς·
αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ [1]) λείβουσιν ἔλαια.
οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι,
ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν. ἐν ἄστεϊ δ' ᾧ κεν ἐκεῖναι
πρῶκες ἔραζε πέσωσιν, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.

Otiosum est et subridiculum in quattuor iis versibus, qui celebrant Apollinis vestitum ornatumque magnificum, quaerere quo auctore singula ornamenta aurea deo poeta tribuerit. Potiora tantum notabo. Et primum quidem exemplum sibi sumit in his versibus componendis Homerum. Θ. 42 Iuppiter curru iungit equos, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε, tum

χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ, γέντο δ' ἱμάσθλην
χρυσείην.

Sed homerica reddit noster vocabulo ex tragoedia sumpto, cum vestem quam ἔδυνε Phoebus vocat ἐνδυτὸν. Fibulam autem auream (quali in statuis Apollinem ornatum saepe videmus) neque cum Homero περόνην dicit neque cum ceteris πόρπην, verum novo vocabulo ἐπιπορπίδα, quod quo auctore fecerit incertum. Lyram deinde auream celebrari eius dei, qui iam Atticis χρυσολύρας audiisset, et augeri τοῦ ἀργυροτόξου honores, cum ἄεμμα Λύκτιον (cf. pag. 51) aureum fuisse narretur, Pindari fortasse auctoritate qui *Ol.* XIV. 16 χρυσότοξον cantasset Apollinem, haec omnia quam levissima esse non diffiteor. Et quamquam non multo gravius est, nolo tamen omittere adiectivum πολυκτέανος vs. 35 quod, si non

---

temere assentiamur Gerckio de hoc versu ita iudicanti: „*So begründet man nicht die Macht wirklicher Götter*" (*Alexandr. Stud.* Rhein. Mus. XLII. p. 628).

[1]) Verisimile mihi videtur πίδοι legendum esse, quae forma, tragicis maxime frequentata, librariorum culpa seescenties abiit in πέδῳ.

homericum, homerice tamen formatum est. Homerus enim possessiones „κτέατα", ac divites „πολυκτήμονας" dicit, et apud eum κτέανον numquam occurrit, κτῆνος autem semel in hymno haud antiquo (XXX. 10) de pecore dictum invenimus (cf. Call. III. 125); attamen adiectivum φιλοκτέανος (*A.* 122) docet, ut nunc a nostro ita antea a Pindaro recte ad epicae dictionis normam fictum esse atque adhibitum adiectivum πολυκτέανος.

Depingitur versibus sequentibus Apollo ipse. Et quamquam aliquatenus etiamnunc in versibus callimacheis recurrit homericorum memoria, mirum quantum distat Phoebus Callimachi ab Apolline qui nautis Cretensibus olim apparuerat (*hymn. hom. in Apoll.* 449)

ἀνέρι εἰδόμενος αἰζηῷ τε κρατερῷ τε
πρωθήβῃ, χαίτης εἰλυμένος εὐρέας ὤμους.

Sed nemo fortasse deorum magis quam ἀκερσεκόμης priscos mores deposuerat, et solent fere huius aetatis poetae depingere Phoebum unguentis delibutum et suavem magis quam virilem. Operae pretium erit — ne plures nominem — unum indicare Apollonium Rhodium, qui hos ipsos Callimachi versus imitatus est II. 719 [1]). — Iam videamus quali dicendi genere deum illum cantet noster. De dictione „οὐδ' ὅσσον" (vs. 37) iam dictum est supra pag. 31; at paucis notandum est adiectivum θῆλυς („θηλείαις παρειαῖς"). Ipse Homerus numquam quidquam θῆλυ nominaverat nisi quod aut feminarum esset aut *fertile* (θῆλυς ἔέρση cf. Call. fr. 296 θηλύτατον πεδίον); tragici *effeminatum* quoque saepius θῆλυ dixerunt, plerumque tamen carpentes et contemptim fere loquentes veluti Medea Euripidis, quae ipsa se excusans profitetur: „γυνὴ δὲ θῆλυ κἀπὶ δακρύοις ἔφυν". (*Med.* 928). Ulterius progreditur noster cum carpendi notione prorsus omissa Apollinis genas, quas nulla opacat lanugo, θηλείας dicit. — Sed innovatum quoque est in substantivo χνοῦς. Semel id occurrit apud Homerum ζ. 226 de spuma maris; ad genarum autem lanuginem indicandam is habet „ἰούλους". Attici autem non nisi translate

[1]) Num hic illic noster in depingendo Apolline, regem suum (non Euergeten intellego sed Philadelphum) spectat? Haud negaverim, quamquam non suffragor iis qui hunc Apollinem callimacheum quasi ore referre regem Ptolemaeum contendant. Canitur a poeta Cyrenaeus Apollo, non rex, ita sequentibus versibus non beneficia memorantur quae urbs Cyrene *regibus* debet, sed laudatur terra Cyrenaica, propter huius *Apollinis* gratiam, et florum opulentia et earum praesertim plantarum, quae officinales dicuntur, divitissima. Ut cetera mittam, nihil magis vss. 40 *sqq.* illustrare mihi videtur quam quod de *rore marino* (λιβανωτίς) Plinius *N. H.* 24. 11, idemque de *laserpitio* (σίλφιον) *ibid.* 19. 3 narrat, quod natum esse dicebatur *imbre piceo repente madefacta tellure.* Cf. quoque infra vs. 80 *sq.*

et tamquam imagine usi capillos eo nomine indicant. Ita enim Aristophanes *Nub.* 965 verbis „*χνοῦς ἐπήνθει τοῖς αἰδοίοις*" consulto adicit „*ὥσπερ μήλοισι*". Frequenter vero post Callimachum adhibentur de primo lanuginis flore et substantivum *χνοῦς* et verbum *χνοάζειν*.

Ad notas artes recurrens vs. 38 homerica tragicis exornat. Et primum *ἔλαια* quae defluunt a dei crinibus *θυόεντα* dicens fortasse Homeri coluit memoriam, qui semel hoc adiectivo usus *O.* 153, nubem odore suavem quae circumdabat Iovem in Ida sedentem „*θυόεν νέφος*" dixerat, ad quem versum grammatici monuerunt, ita vocari nubem illam „*ἀπὸ τῶν θυμιαμάτων*" (nempe Iunonis cf. *Ξ.* 171). Verbo notandum hoc putavi, quia magis secundum solitum sensum adiectivi IV. 300 Delon insula salutatur „*Ἀστερίη θυόεσσα*" (cf. p. 184). Ceterum imitatus versum *η.* 107 „*καιρουσσέων δ' ὀθονέων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον*", et fortasse huius loci imitationem, *hymn. hom.* XXIII. 3 „*αἰεὶ σῶν πλοκάμων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον*", tamen tragicorum non Homeri normam loquendi sequitur eo quod verbum *λείβειν* cum accusativo coniungens (ut sequenti versu *ἀποστάζειν*) ipsos crines *λείβειν ἔλαιον* et *ἀποστάζειν λίπος* dixit. In Homeri sermone enim is solum qui fundit *στάζειν* dicitur, veluti Thetis quae *T.* 38 Patroclo *ἀμβροσίην καὶ νέκταρ ἐρυθρὸν στάξε διὰ ῥινῶν*. Contra tragicorum est ita dicere ut hic noster loquitur (cf. Eurip. *Hipp.* 120. „*Ὠκεανοῦ τις ὕδωρ στάζουσα πέτρα λέγεται*"). — Apparet autem ex ipso versu 38 *λίπος* versu sequenti accusativum esse, neque minus id constat ex sequentibus „*ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν*". Recepit igitur Callimachus vocabuli formam quae apud tragicos in usu erat (cf. Sophocl. fr. 464 D. „*λίπος τ' ἐλάας*). Pro certo tamen effici ex nostro versu nequit, cuinam iudicio assensus sit noster in forma homerica *λίπ'* explicanda. Fortasse proxime accessit ad eam opinionem, quam multo post Herodianus quoque profert (II. 220): „*ὡς κῶος κῶας, ὕδος ὕδας, γῆρος γῆρας, οὕτω καὶ λίπος λίπας ἐξ οὗ λίπα*".

Vs. 40 *πανάκεια*, vox rarior et Homero incognita, nihil tamen habet quod dignum sit notatu; etenim iam Attici Aesculapii filiam Panaceam apellabant [1]); alterum autem substantivum quod in hac sententia occurrit, *πρῶκες*, haud magis usitatum est, verum ap-

---

[1]) Quamquam Apollinis beneficia erga Cyrenen urbem hic cantat, subtecte tamen regi adulatur hoc versu. Nam Ptolemaeo quoque Philadelpho medicina placuit; nec mirum siquidem teste Phylarcho (fr. 40ª Müller F. H. G. I. 345) gloriabatur „*ὅτι μόνος εὗροι τὴν ἀθανασίαν*".

tissimum, si quidem recte statuit scholiasta ad nostrum locum eo vocabulo *rorem* indicari, (cf. Theocr. IV, 16, qui versus hoc iudicium confirmat, „μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ;"). Nasci enim credebatur ex rore λιβανωτὶς illa seu ros marinum cuius virtutes Plinius enumerat loco quem laudavi pag. 203. — Non multo magis vulgatum est adiectivum ἀκήριος, quo ut uteretur alliciebat, opinor, doctum poetam ipsa vocis ambiguitas. Magis enim solitum cum esset Homero indicare illo adiectivo *exanimem* (Δ. 392 et alibi in Iliade), nunc noster, ἀκαίρως sane eruditionem venditans, maluit alteram illam significationem imitando illustrare, quam habes in Odyssea μ. 98 (ψ. 328?) „ἀκήριοι εὐχετόωνται". Et sicut solet in tali re, diligenter hic quoque voci explicatae eam sedem in suo versu dedit quam habuerat apud Homerum.

Vs. 42. τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔ τις τόσον, ὅσσον Ἀπόλλων·
κεῖνος ὀιστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν
(Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή),
45 κείνου δὲ θριαὶ καὶ μάντιες· ἐκ δέ νυ Φοίβου
ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο·

De voce ἀμφιλαφὴς iam pag. 46 vidimus. Neque multa dicenda sunt de verbi λαγχάνειν usu, quod IV. 74 et 97 magis secundum solitam dicendi normam adhibuit, (cf. p. 128 et 132), at nunc eo sensu quo I. 70 εἵλεο dixerat, ita ponit ut suspiceris eum respexisse *hymn. hom. in Merc.* 430 (cf. Ψ. 79)

μητέρα Μουσάων· ἣ γὰρ λάχε Μαιάδος υἱόν.

Deinde vocabulum ὀιστευτὴς [1]), si ipse novum protulit, haud male a verbo ὀιστεύω, ad exemplum substantivi homerici τοξευτὴς finxit, θριὰς (vs. 45) utrum debeat eidem hymno in Mercurium versu 552, necne, incertum; contra non dubium est, quin Homerum secutus sit cum vulgato ἀναβολὴ anteponeret vs. 46 ἀνάβλησιν θανάτοιο (B. 380. Ω. 655); tandem formam δεδάασιν quamquam apud Homerum frustra quaesieris, qui in huius verbi indicativo perfecti ϰ non omittit, participium homericum δεδαὼς satis defendit [2]).

---

[1]) Imitationes enumerat Bredau l. l. p. 57.

[2]) Ad calcem adnotemus, non distinxisse Callimachum inter Paeonem et Apollinem, nam hic cogitasse eum de versu δ. 232 ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης" non dubium (cf. vs. 97), monuit autem Aristarchus ad eum Odysseae locum, apud Homerum non eundem esse Paeona atque Apollinem.

Vs. 47. *Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἐξέτι κείνου*
ἐξόϲ' ἐπ' Ἀμφρυϲϲῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους
ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.
50 *ῥεῖά κε βουβόϲιον τελέθοι πλέον, οὐδέ κεν αἶγες*
δεύοιντο βρεφέων ἐνιμηλάδες, ἧϲιν Ἀπόλλων
βοϲκομένῃϲ ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν· οὐδ' ἀγάλακτες
οἷιες οὐδ' ἄκυθοι, πᾶϲαι δέ κεν εἶεν ὕπαρνοι,
ἡ δέ κε μουνοτόκοϲ διδυμητόκοϲ αἶψα γένοιτο.

Per hos versus dum nonnihil immutat in antiqua mythologia, dictioni quoque epicae nova quaedam adiecit. Et primum dicendum est de vocibus *ἐξέτι κείνου*. Valet enim de vocabulo *ἐξέτι* tale quiddam ac de voce *εἰϲέτι*, ad illius vocabuli exemplum ni fallor formata, de qua rectissime observavit Schneiderus ad IV. 189, „saepe Alexandrinos poetas ita usos esse hac voce ut a simplici *ἔτι* nihil plane differat". Interest autem aliquid inter utramque vocem. Nam formarunt sibi huius aetatis scriptores *τὸ εἰϲέτι*; contra *ἐξέτι* exstabat, aut saltem videbatur iis extare; modo sensim priorem vim pars voculae prorsus deposuit, et ut evanuit in voce *εἰϲέτι* vis praepositionis, sic adverbii in vocabulo *εἰϲέτι*. Sensim hoc factum est, neque ubique apud nostrum id valet. Noverat Callimachus versus homericos *I.* 104 *sqq.*

οὐ γάρ τις νόον ἄλλος ἀμείνονα τοῦδε νοήϲει,
οἷον ἐγὼ νοέω, ἠμὲν πάλαι ἠδ' ἔτι καὶ νῦν
ἐξ ἔτι τοῦ, ὅτε κ. τ. λ.

quo loco habet sibi suam propriam ac necessariam vim *ἔτι*, quod recte reddit scholiastae interpretatio *„ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου ἕως τοῦ νῦν"* (cf. *Θ.* 245). Neque desunt loci ubi hunc usum Alexandrini, qui etiam in Homero *ἐξέτι* videntur legisse *ὑφ' ἓν*, observarunt; ita Apollonius Rhodius IV. 430. Sed apud nostrum etiamsi non offendat iis locis ubi occurrit — sunt autem tres loci, IV. 275; II. 47, 104 — ita tamen moleste abundat *τὸ ἔτι* ut eo debilitari sensum fatearis; nam, nisi accipias nostro loco *ἔτι* tamquam plane omni vi destitutum, fatendum erit, poetam qui dicat *„Φοῖβον Νόμιον κικλήσκομεν ἐξέτι κείνου"* hoc innuere, aliquando fortasse tempus venturum quo non amplius eo nomine celebretur Apollo. Ceterum ut demonstremus re vera iam apud Alexandrinos *ἐξέτι* ita accipi ut prorsus nihil valeat nisi *ἐξ*, vix aptior extat locus quam Apollonii Rhodii *Arg.* IV. 791, quo versu Iuno Thetidem, iam opinor adultam, sic adloquitur:

„ἀλλά σε γὰρ δὴ
ἐξέτι νηπυτίης αὐτὴ τρέφον ἠδ' ἀγάπησα".

Callimachus autem auget nostro loco vitiosam abundantiam cum addit ἐξότε, licet vocem per se haud vitiose formaverit, ad normam homerici „εἰσότε".

Obiter moneo vs. 48 equos Admeti, vel equas, feminina forma ζευγίτιδας dici (de ipsa adiectivi forma cf. pag. 52) ex erudita recordatione versuum *B* 766 *sqq.*, contra longe decedere ab Homeri sermone Callimachum cum Apollinem Admeti amore κεκαυμένον dicit. Homeri enim deos hominesve dicitur δαμάσσαι ἔρως eorumque φρένας ἀμφικαλύπτειν, πάθος amoris nondum *urit* eos ut hunc Apollinem, et μάχην tantum norunt καύστειραν. [1])

Vs. 51 pro vulgata lectione ἐπιμηλάδες restituit Schneiderus ἐνιμηλάδες. Optime; sed simul, nisi fallor, egregiam emendationem interpretatione pessumdedit, vocabulo βουβόσιον (vs. 50) *gregem* indicari ratus et αἶγας ἐνιμηλάδας eas capellas vocari existimans, *quae inter oves versantur*. Evadere videtur ex hac interpretatione huiuscemodi sententia: *Plenus fiet boum grex, neque capellae quae inter oves versantur prole carebunt, quibus oculos pascentibus obverterit Apollo, oves vero neque lacte egebunt neque fetu* etc. Non solum molesta abundantia haec peccant. Nam simul mireris quid tandem attineat inter oves versari capellas, simul τοῦ *Νομίου* munera non memorasse poetam arguas. Et hoc quidem offensum facile tollitur, dummodo cum scholiasta βουβόσιον de *prato* dictum putemus, quam interpretationem commendat Arati versus 1120. Docet versus Arateus, recentiores, cum ad normam homerici substantivi συβόσιον hanc vocem fingerent, formam substantivi magis quam usum homericum (*Λ*. 679; ξ. 101) spectasse, quod idem in voce αἰπόλιον a poetis anthologiae factum videmus [2]). Et nostro loco igitur ita accipi licebit hanc vocem, quo facto hanc habemus sententiam: *Praeside Phoebo plena erunt pascua, largiter pabula praebebunt.* Itaque οὐδέ κεν αἶγες δεύοιντο βρεφέων, οὐδ' ἀγάλακτες οὐδ' ἄκυθοι erunt oves. Quid vero ἐνιμηλάδες!? *Fetu gravidas* opinor indicat. Eae enim felicem edent partum si Nomius dum pascuntur favente eas oculo adspexerit. Latet haec interpretatio in scholio ex duabus vel potius tribus explicationibus confuso; nam

---

[1]) De voce ἠίθεος cf. supra pag. 182.

[2]) Ita sequiores συβόσιον quoque acceperunt, quod Suidas interpretatur „χοιροφορβεῖον".

in scholiis verba „ἐπιμηλάδες· αἱ γόνιμαι, ἀντὶ τοῦ αἱ μετὰ τῶν μήλων νεμόμεναι" ita supplenda videntur „ἐνιμηλάδες· αἱ γόνιμαι <ἢ ἐπιμηλάδες,> ἀντὶ τοῦ κ. τ. λ.". Firmatur haec rarior vocis significatio Lycophronis versu 185 τοῦ Σκυρίου δράκοντος ἔντοκον λεχώ (ubi iniuria Vaticani lectionem, cui favet uterque paraphrastes, sprevit Scheer.) et Hesychiana glossa „ἔμπαις· ἐγκύμων".

De ceteris, quoniam de adi. ἄκνθος abunde disputavit Schneiderus (p. 167) non habeo quod addam.

Vs. 55. Φοίβῳ δ' ἑσπόμενοι πόλιας διεμετρήσαντο
ἄνθρωποι· Φοῖβος γὰρ ἀεὶ πολίεσσι φιληδεῖ
κτιζομένῃς, αὐτὸς δὲ θεμείλια Φοῖβος ὑφαίνει.
τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ περιηγέος ἐγγύθι λίμνης.
60 Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.
ὣδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν. [1])

Ad laudes Apollinis τοῦ κτίστου, fastigium huius hymni, accedens, primo versu antiquorum poetarum carmina respicit, quae celebrabant urbes eiusdem dei auspiciis (inde „ἑσπόμενοι") conditas, cf. Hom. *H.* 452; hymn. hom. *in Apoll.* 291; Pausan. I. 42. 2. — Alia profecto significatione quam Homerus (*Γ.* 315), utitur nunc verbo διαμετρήσασθαι, quod, in hac re fere solemne, adhibuerat quoque in hymno III (vs. 36), tunc fortasse sonitu verborum notissimum illud oraculum imitatus „καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι" (Herod. I. 66). Sed nunc si non verbis, at ipsa re homericum hymnum in *Apollinem* aemulatur, nam aram corneam Deli conditam, opus dei mirificum, consulto opponit τῷ ἐν Δελφοῖς ἀρχαίῳ νεῷ. Verborum novitati per hos versus non studet; si omittas φιληδεῖν, verbum haud invenustum quod ex comoedia aequaliumve sermone in epicam dictionem is primus recepisse videtur, pleraque homerica aut saltem antiqua sunt. Fundamenta ab Apolline collocata cum saepius memoranda essent, modo dixit „θεμείλια ἔπηξε" (vs. 58), modo „δείματο ἐδέθλια" (vs. 62) utrobique Homerum secutus (*I.* 349), modo ornatius quamquam non insolite (vs. 57) „θεμείλια

[1]) Admodum verisimile mihi videtur vs. 64 pro ὣδ' ἔμαθεν legendum esse ὡς ἔμαθεν.

ὑφαίνειν" adhibet aut, eandem imaginem imitatus, (vs. 62) „ἔπλεκε βωμὸν" haud infeliciter de ara ex cornibus composita invenit; procul autem aberrat ab antiqua dictione cum versu 64 Apollinem dicit „θεμείλια ἐγείρειν". Quod licet antiquiorum nemo dixerit, frustra tamen eo nomine condemnant editores, certatim „ἐρείδειν" legi iubentes; tuetur enim illud verbum usus sequiorum qui μνῆμα, ἀνδριάντα ἐγείρειν pro antiquo στῆσαι in carminibus non respuebant. Testimonium dabit unum Anthologiae epigramma adespoton (IX. 693) cuius initium hoc est:

τόνδε Τύχης ἀνέγειρε δόμον Δημήτριος ἀρχός.

Operae pretium est observare nostrum non dubitasse, quin Ortygia homerica Delos esset, licet parum constet num Lycophroni suffragatus sit ἀπ' ὄρτυγος πετρουμένης nomen insulae derivanti (cf. Lyc. 401, Call. IV. 37, et cum Hom. ε. 123 Call. III. 265). Praeterea hic versus docet nostrum aut suspectum habuisse aut damnasse *hymn. hom. in Apoll.* vs. 16 quamquam vs. 17 pro spurio non haberet [1]). Ceterum illius hymni versus respicit noster quamquam rem exponit antiquo poetae non cognitam; simul denuo Delphico templo aram Deliacam opponit, hymni versum 294

ὡς εἰπὼν διέθηκε θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων

consulto ita inmutans:

αὐτὸς δὲ θεμείλια] Φοῖβος ὑφαίνει.

Vs. 60 elegantiam sectatur denuo novam in ordine verborum contorto, nam vereor ne haec verba „Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν Κυνθιάδων φορέεσκε" prorsus idem valeant, ac si minus ornate sed luculentius dixisset: „αἶγας ἀγρώσσουσα καρήατα φορέεσκε". De verbo ἀγρώσσειν pag. 68, 99 et 167 dictum est paucis; adverbium autem συνεχὲς iterum ostendit, quam anxie Alexandrini in homericis, etiam si singularium rerum causas minus perspicerent, formam traditam servare soliti sint. Idem enim Callimachus qui cum Homeri codicibus habet εἰνάλιος, ὑπείροχος (cf. supra pag. 34 et 152), nunc quoniam codices Homeri id iubebant, σῡνεχὲς scripsit, littera $\bar{\nu}$ non duplicata; in qua re cum eo fecerunt Aristophanes atque Aristarchus (cf. Schol. *M.* 29).

Pauca tantum restant, eaque levia, veluti vs. 63 adverbii πέριξ forma Ionicis scriptoribus notissima, sed in Homeri libris non obvia, et adiectivi κέραος usus singularis: vides enim κεράους τοίχους arae

[1]) De verbis περιηγέος ἐγγύθι λίμνης (vs. 59), quae Theognidis versum 7 „ἐπὶ τροχοειδέϊ λίμνῃ" revocant, cf. pag. 158.

parietes esse *e cornibus compositos* (κερατίνους); Homerus autem non nisi ἐλάφους vel ἄρνας κεράους, *cornibus munitos*, noverat.

Remotum est ab hac disquisitione quaerere, undenam haec de ara cornea — profecto doctrina minime τοῦ τυχόντος — venerint Callimacho; notare tamen licebit Dicaearchum quoque disseruisse videri de hac re (cf. Plutarch. *Thes.* 21), simulque verbo indicare haud sine consilio id fecisse poetam ut fingeret τετραέτη Apollinem aram condidisse. Etenim, ni fallor, voluit ad antiquissimas origines referre insulae sacra, nam quadriennium illud Deliaca maiora spectare, quinto quoque anno olim celebrata, id mihi quidem non dubium.

Vs. 65. *Φοῖβος καὶ βαθύγειον ἐμὴν πόλιν ἔφρασε Βάττῳ,*
καὶ Λιβύην ἐσιόντι κόραξ ἡγήσατο λαῷ
δεξιὸς οἰκιστῆρι, καὶ ὤμοσε τείχεα δώσειν
ἡμετέροις βασιλεῦσιν· ἀεὶ δ' εὔορκος Ἀπόλλων.
ὤπολλον, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι,
70 *πολλοὶ δὲ Κλάριον — πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ —*
αὐτὰρ ἐγὼ Καρνεῖον· ἐμοὶ πατρώιον οὕτω.

Vs. 65 βαθύγειος minus placuit Valckenaerio, qui ut Homero propior esset dictio, βαθυλῆος proposuit. Videtur autem minus Homerum respicere Callimachus in dictione huius partis qua Cyrenae urbis origines enarrat, quam duos auctores illos, quos in ipsa narratione sequitur, Pindarum atque Herodotum. Obstat quoque Valckenaerii coniecturae quod βαθυλήιον apud Homerum quattuor constat syllabis, quam rem Callimachus non facile neglecturus fuit si hanc vocem adhibuisset. Sed videntur non displicuisse poetae nostro composita in -γειος quamquam vulgato sermoni propiora; ita μεσόγειος IV. 168 μεσσόγεως III. 37 adhibuit, et nostro loco eam regionem quam Pindarus καρποφόρον (Ol. IV. 6) atque ipse Apollo in oraculo (Herodot. IV. 147) quod respicit versu 67 noster, μηλοτρόφον dixerat, βαθύγειον appellans adiectivo utitur quod ab Herodoto quoque adhibitum esse novimus (IV. 23).

Neque in ceteris abstinuit a vocibus, in Homeri sermone non obviis: οἰκιστῆρ enim (vs. 67) aeque ignotum Homero atque οἰκίζειν, constanter is dixerat κτίζειν; — εὔορκος (vs. 68) primus adhibuerat Hesiodus (*Theog.* 188); κόραξ non nisi nominis proprii vice utitur apud Homerum (ν. 408). Hoc vero si ipse invenit Callimachus ut corvi formam indueret Apollini colonis in Cyrenaicam praeeunti, aemulari profecto voluit homericum vatem qui in hymno (vs. 400) narraverat Pythium Apollinem nautis Creten-

sibus apparuisse *delphini* forma indutum. Et hoc quidem non Pindaro debet, ceterum eius memoriam, ut par est in Cyrenes laudibus, diligenter coluit. Etenim vix apertius potuit indicare, ad quem auctorem laudes urbis suae referret, quam fecit vs. 69 *sqq.*, cum profitetur: „*αὐτὰρ ἐγὼ Καρνεῖον, ἐμοὶ πατρώιον οὕτω*", Battiadis proavis haud minus gloriatus quam olim Pindarus genere suo, cuius verba haec sunt (*Pyth.* V. 72—76)

τὸ δ' ἐμὸν γαρύεν
ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος,
ὅθεν γεγεννάμενοι
ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεῖδαι,
ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ, ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν.

Respicere nostrum hoc carmen, si utriusque poetae totum relegas hymnum vix negaturus sis, etsi suis noster verbis Pindarica reddit. Simul Homerum non neglegit. Quin ipso versu 70 ei obversatus erat hymnus in Apollinem. Iam supra pag. 50 hymni versus 79 et 80 cum nostro composui, adici potest, quo magis *πάντη* illustretur, eiusdem hymni vs. 20

πάντη γάρ τοι Φοῖβε νόμοι βεβλήατ' ἀοιδῆς,

quod ita reddit noster: „*πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ*", *ubique celebraris a multis.* Sed parum cum hisce convenire dixerim verbum *καλέουσι* vs. 69, cuius verbi non satis magna est vis: requiritur enim non *vocandi* sed *celebrandi* notio. Quare suspicor Callimachum, alios poetas indicantem qui Apollinem sive *Κλάριον* sive *Βοηδρόμιον* laudibus extulissent, dedisse *κλείουσι*, non *καλέουσι*. Forma versus ea coniectura oritur minus solita in Callimacho, sed neque aliena ab Alexandrinorum more et nunc eo minus culpae obnoxia, quia praeit vox quinque syllabarum (cf. I. 42 *Λυκαονίης ἄρκτοιο*). Et fortasse id ipsum quod rariores erant versus numeri, librariis fraudi fuit.

Vs. 72. *Σπάρτη τοι Καρνεῖε τόδε πρώτιστον ἔδεθλον,*
δεύτερον αὖ Θήρη, τρίτατόν γε μὲν ἄστυ Κυρήνης·
ἐκ μέν σε Σπάρτης ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο
75 *ἤγαγε Θηραίην ἐς ἀπόκτισιν· ἐκ δέ σε Θήρης*
οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ.
δεῖμε δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον· ἐν δὲ πόληι
θῆκε τελεσφορίην ἐπετήσιον, ἣ ἔνι πολλοὶ
ὑστάτιον πίπτουσιν ἐπ' ἰσχίον ὦ ἄνα ταῦροι.

Vitium quod in primis verbis huius partis latere editores consentiunt, frustra tollere conatur Schneiderus lacunam statuendo

post versum 72. Plerique — ni fallor recte — in vocabulo *τόδε*, quod moleste abundat, corruptelam deprehendunt, et certatim corrigunt *πάλαι*, *πολὺ*, *ποτὲ*, alii quoque *πέλε* proponentes. Equidem rem quae criticen solam spectet at vix Callimachi dictionem epicam, non memorarem nisi quodammodo a vocis *ἕδεθλον* interpretatione pendere videretur emendandi ratio sane quam incerta. Nam si *ἕδεθλον*, ut saepius *ἕδος*, *ipsam urbem* dei sacram indicat, tolerabilis sententia evadet si cum Ruhnkenio „*πέλε*" legerimus; eam autem substantivi interpretationem firmare poterimus versu Lycophronis 987. Verum ne hoc quidem dubio vacat. Ipse Callimachus supra vs. 62 *arae basin* *ἐδέθλιον* dixisse videtur; Apollonius substantivo *ἕδεθλον* *templum* indicavit IV. 331 (*τῶν δ' ἤτοι ἑτέρῃ μὲν ἐν ἱερὸν ἔσκεν ἕδεθλον*); eodem modo Antimachus quoque (fr. 28 *Kink.*) „*Δήμητρος τόθι φασὶν Ἐρινύος εἶναι ἕδεθλον*". Num forte noster templum in urbe Sparta conditum, non sacram urbem ipsam indicans ita fere dixit: „Sparta tibi Carnee *primam sacravit sedem*"? Id vero si dixit, latet in vocula corrupta verbum *activum*, et supicari possis dedisse poetam sive „*τίθει*" sive „*δέμε*".

Cetera brevissime absolvi possunt. Verbo notanda forma *Οἰδιπόδαο* quae homericum exemplum, sedemque in versu antiquam servat; tum quoque notatu dignum quod antiquorum licentiam in substantivo *γένος* aliquantum amplificat *τὸν ἕκτον ἀπὸ Οἰδίποδος* nove plane nuncupans „*ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο*" [1]); simul orationem relevare conatur novo vocabulo: nam quam ceteri mortales „*ἀποικίαν*" dicere solent, magis epice nunc vocat „*ἀπόκτισιν*" [2]).

In ea autem „*ἀποκτίσει*" Battus Apollinem „*Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ*", ita narrat noster vs. 76, verbo usus, quod Homero ea saltem significatione incognitum egregie loco convenit; adhibetur enim Callimachi aetate non solum de pecunia rebusve depositis (*παραθήκαις*) sed de personis quoque quae curae fideique alicuius committuntur. Simul vero Herodoti locum quendam qui agit de Asbytis (IV. 170 *Ἀσβῦται... τὸ ὑπὲρ Κυρήνης οἰκέουσι*) corrigit Lycophronis auxilio, qui Libyes *Ἀσβύστας* appellaverat vs. 895.

Nihilo magis sequenti versu sectatus est Homerum, cum agit de Apollinis Carnei templo, quod uberius tractaverat et magnificentius Pindarus *Pyth.* V. 98 *sqq.* Licet enim et „*ἀνάκτορον*" homerice sonet et *τελεσφορίῃ* (vs. 78) ab adiectivo homerico ducat origi-

---

[1]) Cf. IV. 109 „*ποταμοῦ γένος*" pag. 135, et pag. 151.

[2]) De vocis *οὖλος* significatione disputatum est pag. 25.

nem, significatione tamen aliquantum ab antiquo epico usu recedit utrumque. Adhibuit noster haec vocabula ut quam posset sanctissimis nominibus aedem festumque dei sui significaret. Nam *ἀνάκτορον* licet de quovis templo ab antiquis scriptoribus dicatur et iam per se aptissimum sit ad aedem indicandam Phoebi qui inde ab Homeri temporibus prae ceteris *ἄναξ* nuncupari solebat, praesertim tamen indicat *sanctuarium* (*μέλαθρον*) sive Eleusinium sive Delphicum (cf. Hesych. *i. v.* *ἀνάκτορον*). Etiam *τελεσφορίην* ni fallor non de quibusvis sacris accipi voluit poeta. Hymno VI. 130 *initiatas* *τελεσφορέας* appellans coniunxisse videtur hanc vocem cum substantivo *τελετή*, eodemque modo in Apollonii *Argonauticis* (I. 917) *ἀγαναὶ* *τελεσφορίαι* sanctissima indicant Samothraces mysteria; nunc autem festum Apollinis, ut quam altissimo nomine ornaret, *τελεσφορίην* dixit noster, etsi de propriis mysteriis sermo non est. — Tandem moneo (nam de versu 79 ad Schneiderum referre quam ipse incerta promere malim) in adiectivo *ἐπετήσιος* epicam formam vulgato *ἐπέτειος* praetulisse poetam, nec tamen fideliter servasse Homeri exemplum, nam *η.* 118 *ἐπετήσιος* *perennis* est.

Vs. 80. *ἰὴ ἰὴ Καρνεῖε πολύλλιτε, σεῖο δὲ βωμοὶ*
ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι, τόσσα περ ὧραι
ποικίλ' ἀγινεῦσι Ζεφύρου πνείοντος ἐέρσην,
χείματι δὲ κρόκον ἡδύν· ἀεὶ δέ τοι ἀέναον πῦρ,
οὐδέ ποτε χθιζὸν περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη.

Quoniam de adiectivo *πολύλλιτος* iam egi pag. 198, et *τόσσον*, relativi loco tam hic quam vs. 94 adhibitum, notari satis est, perpauca restant, quae de epica huius partis dictione monenda videntur. Remotus ab Homeri sermone est vs. 81 verbi *φορέειν* usus. Homerus enim tam *φέρειν* quam *φορέειν* (quorum hoc gratius est Callimacho quam illud) aut de dis hominibusve atque animalibus dicit, qui ad portandum vires intendere possunt, aut si translate de rebus adhibet, sive proferendi sive movendi vim verbo tribuit; eo autem sensu quo noster *φορέειν* nunc dixit, Homerus maluisset verbum *ἔχειν*. Neque magis cum antiqua ratione loquendi convenit usus verbi *ἀγινέειν* quem videmus vs. 82 (*ἄνθεα ἀγινέειν*), cui parum erit subsidii in loco Ω. 784 (*ἀγίνεον ἄσπετον ὕλην*). Nescio an poeta ita hoc verbum adhibens spectaverit hymni homerici *in Apoll.* vs. 56 (*ἄνθρωποί τοι πάντες ἀγινήσουσ' ἑκατόμβας*), quamquam aliquantum interest inter utramque dictionem; certe non deposuit homericorum memoriam. Quod non tantopere contendo, quia puto personasse nostri

aures cum haec componeret versum *B.* 468 „*ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ*", quam quod video sequenti versu consulto in loco homerico imitando eum lusisse, atque id nunc quidem haud invenuste. An non praeclara laude patriam extollit memorans varios ibi progigni flores „*Ζεφύρου πνείοντος ἐέρσην*" atque ita ad Cyrenes honorem revocans in auditorum mentes pulcherrima illa homerica quibus Elysius describitur campus (*δ.* 566 *sqq.*) ubi

οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς οὔτε ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγὺ πνείοντος ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Videte autem quid faciat. Cum in Homeri versu accusativus post participium *πνείοντος* sequeretur, qui pendebat a verbo *ἀνίησιν*, noster artificii generi indulgens, quali delectantur summopere istius scholae poetae, adiecit ipse quoque accusativum (*ἐέρσην*) illum vero apud verbum *πνείειν* obiecti vice fungentem. Quod faciens non Homerum sequitur qui *λιγὺ πνείειν*, *ἡδὺ πνείειν* tantum dixit, verum tragicos ac poetas recentiores.

Minus placet quod vs. 83 innovavit in verbis *ἀεὶ δέ τοι ἀένaον πῦρ*. Praeterquam enim quod ingratus cadit in aures similium vocum sonitus, et languescit adverbium plane abundans, epitheto parum apto ornat ignem in ara Apollinis numquam extinctum. Vim tamen adiectivi non ignorabat poeta qui ipse VI. 14 „*ἀενάων ποταμῶν*" dixit, hesiodeum versum *Opp.* 735 imitatus — nam Homerus modo *ὕδατα ἀενάοντα ν.* 109 noverat —; sed nunc lyricam licentiam imitari cupiens Pindari exemplum aemulatur qui *Pyth.* I. 9 summi Iovis fulmen „*ἀέναον πῦρ*" vocaverat. Non intellegebat opinor Callimachus ignem in ara flamma ardentem placida vix easdem ferre comparationes quas fulmina Iovis.

Ceterum per hosce versus perpetuo ludentem videmus poetam in antiquorum imaginibus minus vulgatis. Nam vs. 84 verbis „*χθιζὸν περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρῃ*" suo more, id est ornate, reddit quod simplicius habet poeta hymni homerici *in Merc.* 238 „*ἀνθρακιὴν σποδὸς ἀμφικαλύπτει*". Plus autem voluit Callimachus quam eum dicentem facit Schneiderus qui „*nihil fere*" inquit „*nisi circumdare valet hoc περιβόσκεσθαι*". Possis, si cum eo facias, huc trahere versum homericum qui eundem ac noster habet exitum *Σ.* 25: *χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρῃ*. Equidem vero cogitasse potius putaverim poetam de usu homerico verbi *περιτρέφεσθαι*, quod de lacte *E.* 903 Herodianus legi iubet et fortasse iam Callimachus legebat (*μάλα δ' ὦκα περιτρέφεται κυκόωντι*) quodque de glacie *ξ.* 477 plerique

codices recte habent (*σακέεσσι περιτρέφετο κρύσταλλος*). Amplificat noster imaginem verbo, nam tum *περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη*, cum *minuendo ignem* ipse cinis augetur.

Vs. 85. *ἦ ῥ' ἐχάρη μέγα Φοῖβος, ὅτε ζωστῆρες Ἐννοῦς*
ἀνέρες ὠρχήσαντο μετὰ ξανθῇσι Λιβύσσαις,
τέθμιαι εὖτέ σφιν Καρνειάδες ἦλυθον ὧραι.
οἳ δ' οὔπω πηγῇσι Κύρης ἐδύναντο πελάσσαι
Δωριέες, πυκινὴν δὲ νάπαις Ἄζιλιν ἔναιον.
90 *τοὺς μὲν ἄναξ ἴδεν αὐτὸς, ἑῇ δ' ἐπεδείξατο νύμφῃ*
στὰς ἐπὶ Μυρτούσης κεραώδεος· ἦχι λέοντα
Ὑψηὶς κατέπεφνε βοῶν σίνιν Εὐρυπύλοιο.
οὐ κείνου χορὸν εἶδε θεώτερον ἄλλον Ἀπόλλων,
οὐδὲ πόλει τόσ' ἔνειμεν ὀφέλσιμα, τόσσα Κυρήνῃ,
95 *μνωόμενος προτέρης ἁρπακτύος· οὐδὲ μὲν αὐτοὶ*
Βαττιάδαι Φοίβοιο πλέον θεὸν ἄλλον ἔτισαν.

Hi versus, quibus antiquas ac vere Doricas origines cultus Carnei exponit poeta, ut abundant eruditionis historicae testimoniis ita parum sunt locupletes si dictionem epicam spectamus. Nec tamen prorsus desunt quae notatu digna videantur. Et statim dicendum mihi est contra Schneiderum, qui optimo quidem iure Meinekii emendationem *δρηστῆρες Ἐννοῦς* (vs. 85) reicit, sed vulgatam lectionem *ζωστῆρες* ita tuetur, ut viros (*ἀνέρας*) hic a poeta *ζωστῆρας*, *cingula*, dici contendat eadem ratione qua saepe *ὅπλα αἰχμὴ* talia non ipsa arma significent sed viros qui iis armis sint instructi. Et hoc sane saepe usu venire, viro doctissimo concedet quivis, verum quis unquam Graece dixit „*ζωστῆρες ὀρχοῦνται*" *cingula saltant*, cum voluit indicare *ἄνδρας ζωστῆρσιν ὡπλισμένους* saltare? Exempla quaero frustra, nam theocriteum illud „*παντᾷ κρηπῖδες, παντᾷ χλαμυδηφόροι ἄνδρες*" ne minimum quidem affert subsidium. Longe aliud voluisse mihi videtur doctus noster poeta. Etenim nova inventione artem homericam aemulari cupiebat. Homerus bellatorem, qui loricam indutus *ἐς πόλεμον ἐθωρήχθη*, dixerat *θωρηκτὴν* (*M.* 317 et alibi), eidem, qui *κεκορυθμένοι* sunt *αἴθοπι χαλκῷ* audiunt *ἄνδρες κορυσταὶ* (*Δ.* 457). Quidni virum qui cingulo (veluti *K.* 77)

„*ζώννυθ' ὅτ' ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσοιτο*",

noster *ζωστὴν* vel *ζωστῆρα* diceret, cum praesertim tali dictionis generi praesidium nancisceretur in ipso Apollinis cognomine *Ζωστήρ*?

Ipsam saltationem sacram — de qua conferri poterit Athenaeus IV. 141 E, et fortasse Lucianus *de salt.* 12 — nunc non tractabimus.

Doricas tam festi quam saltationis esse origines monere non omittit ὁ Βαττιάδης, nam disertis verbis saltatores Δωριέας dicit vs. 89. Num vero eadem causa, cum vulgo a doricis vocabulorum formis puram servaret orationem, nunc eum induxit ut δωριστὶ Carneadum dies τεθμίους vocaret? Incerta profecto suspicio! Quis dicat, utrum Cyrenae etiam Callimachi forte aetate in hisce festis vigeret antiquum adiectivum doricum, an Pindaro debeat noster illud vocabulum? Nam si unquam, hoc loco undique sua congerens sibi placuit. Ita vs. 89 „πυκινὴν δὲ νάπαις Ἄζιλιν" sine ullo dubio sumsit ex Herodoto qui IV. 157 eandem regionem describit ita: „νάπαι τε κάλλισται ἐπ' ἀμφότερα συγκληίουσι", vs. 91 Aeschyli „λέοντα σίνιν δόμοις" (*Ag.* 78) imitatur verbis λέοντα βοῶν σίνιν, tandem ne Homerus prorsus neglegi videretur, versu 88 pro solito Κυρήνη formam adhibens rariorem Κύρη, lusit sonorum similitudine in versu homerico δ. 500

Γυρῇσίν μιν πρῶτα Ποσειδάων ἐπέλασσεν.

Pauca et levia admodum restant. De adiectivo enim κεραώδης abunde disputavit Schneider; formam comparativi θεώτερον tractavimus pag. 39; participium μνωόμενος (vs. 95) Callimacho saltem in homericis non suspectum sumsit sibi ex Odyssea δ. 106. Et si ipsum substantivum ἁρπακτὺς in Homero non legit, homerice tamen formari iure putabat noster, qui hac substantivi verbalis forma delectatur (cf. pag. 95). Verum etiamne homericam dictionem sectari volebat, cum ὀφέλσιμα scripsit vs. 94? Habuit sane ipsum adiectivum in Homero minimam auctoritatem, nam, etsi occurrit in Iliade nomen proprium Ὀφέλτιος, neque ὀφέλιμος neque ὠφέλιμος antiquae epicae dictionis est. Et quamquam aeolismi quem nunc sectatur, exempla ex ipso Homero adducere poterat, non modo aoristum ἔκελσα, sed etiam adiectivum μόρσιμος, vix tamen certum mihi videtur homericam dicendi rationem hic sectari voluisse nostrum. In quotidiano quoque sermone eiusmodi formae occurrebant, veluti παράγγελσις; eae fortasse suaserunt nostro ut pro forma ὠφέλιμα quae obstabat metro, scriberet ὀφέλσιμα, quam licentiam imitati sequiores quoque ὀφέλλιμος usurpaverunt.

Sequuntur post has Apollinis Carnei laudes laudatio Delphici Apollinis, parva admodum atque exilis, et peroratio περὶ Φθόνου multorum doctissimis disputationibus magis quam pro meritis celebrata. Earum autem partium ultimam aliquanto post quam hymnum composuisset adiectam esse a poeta plerique hodie cen-

sent; quibus libenter assentior. Sed priores quoque versus 97—104 nexu admodum tenui cum praecedentibus sunt coniuncti, transitus ad Pythium Apollinem praeceps fit et subito, et, quod gravius est, cum laudibus Apollinis Carnei, in quibus totus est poeta per maiorem hymni partem, parum haec Apollinis Delphici laudatio convenit. Eo fit ut, quotienscunque hos versus lego, maior oriatur mihi suspicio, hanc quoque partem simul cum versibus de invidia, dempta peroratione antiqua, hymno adiectam esse a Callimacho cum *ἀκαίρως* statuisset responderi oportere obtrectatorum cavillationibus. Tum igitur cum sensisset se carpi quoniam non omnes laudes in deum a se cantatum cumulasset — eo enim spectant haec „*οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει*" — adiecit, ne de Pythio deo prorsus silere carmen videretur, paucos eos versus, quibus *ἐπιῤῥήματος* illius „*ἰὴ ἰὴ παιῆον*" origines breviter exponens, aemularetur inimicum Apollonium (cf. Apoll. Rhod. II. 705—713).

Quamquam itaque ab antiquo hymni corpore versus illos 97—113 divellendos esse suspicor, tamen, quam potero brevissime, eorum etiam dictionem tractabo, ne opus quod suscepi imperfectum relinquam.

Vs. 97. *ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν, οὕνεκα τοῦτο*
Δελφός τοι πρώτιστον ἐφύμνιον εὕρετο λαὸς,
ἧμος ἐκηβολίην χρυσέων ἐπεδείκνυσο τόξων.
100 *Πυθὼ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θὴρ,*
αἰνὸς ὄφις· τὸν μὲν σὺ κατήναρες ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
βάλλων ὠκὺν ὀιστὸν, ἐπηῦτησε δὲ λαὸς
„ἰὴ ἰὴ παιῆον ἵει βέλος· εὐθύ σε μήτηρ
γείνατ' ἀοσσητῆρα". τὸ δ' ἐξέτι κεῖθεν ἀείδῃ.

Epicam dictionem per hosce versus quantum potest sectatur, nisi quod ipsa re coactus vocabulum plane novum *ἐφύμνιον* (vs. 98) adhibet, de quo substantivo Spanhemius optime disseruit. Tamen sive neglegentia quadam, sive consulto ne nimis Homero addictus videretur, semel atque iterum recedit ab homerica ratione dicendi. Dixerim haud latuisse eruditissimum poetam, cum *Δελφὸν λαὸν* nuncuparet sacrae urbis incolas, minus homerice se loqui quam mox cum *Πυθὼ* urbem illam vocaret. Ita quoque si Homerum quam Hesiodum sequi maluisset, omnino vs. 101 vocabulum *ὄφις*, quod semel apud Homerum legitur, in versus ultima posuisset sede, ut celeberrimum *μείλουρον* (*M.* 208 *ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν*) lectoribus revocaret in memoriam, ad quem versum ipse respicit fr. 438. Contra, ut omittam usum verbi *ἐπιδείκνυσθαι* omnino non homericum, neglegentia peccasse poetam dixerim draconem *θῆρα*

dicentem, quod vocabulum apud Homerum bestias tantum feras indicat veluti leones, ac δαιμόνιον illum θῆρα vocantem, quamquam Homero vocativus solus in usu fuisset [1]).

Haec si ut sunt ita videntur lectoribus levissima, dignius fortasse erit de quo dicamus verbum κατήναρες vs. 101. Quamquam enim haec aoristi forma ignota fuit Homero — primum occurrit in Hesiodi *Scuto* vs. 329 ἐξεναρεῖν — tamen pertinet ad poetae interpretationem homericam eo, quod inde apparet Callimacho quoque iam placuisse derivationem verbi a substantivo ἔναρα, sicuti post eum Aristarcho. Simul iam observavit noster idem quod saepius adnotavit Aristarchus, nonnumquam ab Homero καταχρηστικῶς adhibitum esse tam verbum ἐναίρειν quam ἐναρίζειν (cf. Lehrs *Arist.* p. 145 et Hom. Φ. 485) in qua re ante nostrum Lycophro, ut alios non nominem, secutus erat Homerum, cf. *Alex.* 486. [2])

Difficile est indagare quae causa moverit poetam ut vs. 102 homericae dictioni — nam „ὠκὺν ὀιστὸν" quoque ex Iliade desumpsit — aoristi formam admisceret ab omni antiquo sermone remotam ἐπηύτησε. An consulto hoc novavit sonitu verbi imitatus aoristum homericum ἐπευφήμησε? Noverat sane verbum αὔω et Homeri usum secutus adhibuerat III. 56 *sqq.* (cf. pag. 62); aequales autem poetae tam in simplici verbo quam in compositis iustam formam aoristi ἀῦσαι adhibere solent (cf. Theocr. IV. 36, Apollon. Rhod. IV. 75). — Quod autem attinet ad ipsum illud ἐφύμνιον — de cuius origine aliud fert noster iudicium quam Apollonius ille, gratus olim discipulus at quo tempore haec hymni pars composita est, praeceptori infestissimus — observari licet neque ipsum hoc genus etymologiae unquam, inde ab Homeri aetate, alienum fuisse a Graecorum poesi, neque hymno homerico *in Apollinem* — cuius memoriam ne nunc quidem deponit noster — plane deesse lusum illum. Verum neque nomen παιήων derivare studuit antiquus poeta, neque convenit cum eius carmine recentiorum etymologia, nam diserte Κρητῶν παιήονες memorantur vs. 518. Homerico poetae Delphorum nomen antiquum explicare placuit (vs. 363 ἐνταυθοῖ νῦν πύθευ), recentiores tam poetae quam ceteri scriptores

---

[1]) Semel, in homerico hymno *in Merc.* 97 occurrit in eadem versus sede „δαιμονίη νύξ"; versus autem merito plerisque editoribus suspectus est. — Vix quisquam culpae ducat nostro quod singularem ἱκηβολίη adhibuerit cum apud Homerum pluralis tantum isque semel legeretur, *E.* 54.

[2]) ἐξεναρίζειν de eodem dracone dixerat Apollonius Rhodius cum II. 712 ἐφύμνιον illud ἰηπαιήον explicaret.

in Paeanis nomine derivando certabant. Et fatendum est parum feliciter id nostro cessisse, nam caret ipsum παιῆον explicatione (nisi forte ad verbum παίειν adludit) ἰὴ solum explicatur sequentibus „ἵει βέλος". Ex parte igitur tantum accepit noster Clearchi Solensis explicationem, qui scriptor, tali genere lusus saepius delectatus, tradidit Latonam cum in brachiis parvulum portaret Apollinem dracone viso exclamavisse „ἵε (an ἵει?) παῖ", — cf. fr. 46 Müller F. H. G. II. 309.

In sequentibus licet εὐθύ tali significatione adhibeat qualem numquam obtinet in homericis, respici tamen Homerum constat non solum ex formula „γείνατο μήτηρ", sed etiam ex usu substantivi ἀοσσητήρ, quo nomine idem Apollo indicatur *O.* 254. Quandoquidem autem non tam de significatione huius substantivi dubitatum est quam de origine, parum haec imitatio interpretationi homericae prodest, nisi ex hoc versu effici velis Callimachum saltem nondum favisse ineptae explicationi quam profert scholiasta ad δ. 165: „ἀοσσητῆρες" οἱ ἕτοιμοι βοηθοί, παρὰ τὸ μὴ ἀναμένειν ὅσσαν ἤτοι χρησμὸν καὶ μαντείαν εἰς τὸ βοηθῆσαι".

Devenimus tandem ad versus de Phthono deo, in quibus multa quidem obscura Oedipoda suum expectant; sed rebus inhaeret obscuritas non verbis, licet etiam a vocabulis obscurioribus non abstineat poeta. Huius autem loci non est ipsius epigrammatis aenigmata solvere; ea tantum tangam quae ad epicam dictionem quodammodo pertineant, idque eo brevius quod de his versibus abunde disputavit Schneiderus.

Vs. 105. ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατι λάθριος εἶπεν·
„οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει".
τὸν Φθόνον ὠπόλλων ποδί τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν·
„Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πόλλα
λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
110 Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι,
ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς, ἄκρον ἄωτον".
χαῖρε ἄναξ, ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ Φθόνος, ἔνθα νέοιτο.

Omissis iis quae ut adiectivum λάθριος pro antiquo λαθραῖος, plane novicia sunt, et verbo tantum notatis quae sive tragoediae debentur — ut substantivum λιβάς — sive Pindaro — ut μελίσσας (*Pyth.* IV. 60) et ἄκρον ἄωτον (*Isthm.* VI. 18) — homericae dictionis vestigia pauca notemus; nam homericorum versuum numeros etiam

nunc per aures sonare poetae monet οὔατι, in eadem sede versus collocatum quam fere constanter huius vocabuli formae trisyllabae apud Homerum servarunt; monet illud „Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος" quod homericum versum „αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον Ὠκεανοῖο" (μ. 1) ultro revocat in memoriam; tum quod versu 112 suo more leviter Homeri versum inmutans ludit in verbis homericis Π. 825 „πίδακος ἀμφ' ὀλίγης" quae ita reddit: „πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς"; et quod opportune recordatus Neptuni qui olim Phaeacorum navem converterat in lapidem „χειρὶ καταπρηνεῖ ἐλάσας" (ν. 164) sive Iunonis, quae „χειρὶ καταπρηνεῖ δ' ἔλασε χθόνα καὶ φάτο μῦθον" (*hymn. hom. in Apoll.* 333), de Apolline infenso idem fere narrat vs. 107 „ποδὶ τ' ἤλασεν".

Et haec, quamvis per se haud magni momenti, digna tamen videbantur quae memorarem, ne temere assentiremur Schneidero, versu 110 pro ὕδωρ legi iubenti ὕδευς. Nam codicum lectionem, quae et alia fortasse habebit quibus se defendat, vel eo mutari vetamur quod in verbis „οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι" homerici versus „καί κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηίδος ἢ Ὑπερείης" (Z. 457) manifesta est recordatio. Neque magis persuadet mihi Schneiderus ut vs. 108 τὰ πολλὰ cum sequenti voce λύματα coniungendum putem, ita enim moleste abundabit articulus; contra si τὰ πολλὰ interpretemur „ὡς ἐπὶ πλεῖστον" maxime conveniet versus structura cum arte Callimachi; adiectivum enim πολλὸν non solum ad συρφετὸν pertinet sed retrahendum quoque est ad λύματα (cf. supra ad vs. 8). Postremo moneo adiectivum ἀχράαντος, quamquam non Homero verum tragoediae debitum (cf. Euripid. *Iph. Aul.* 1574) consulto a poeta distractum esse ex solita forma ἄχραντος, ut sonitu revocans adiectivum homericum ἀκράαντος, epicae dictioni proprium esse videretur.

CONSPECTUS OBSERVATIONUM.

Homeri dictionem sectatus esse, aut imitando illustravisse videtur Callimachus in vocibus hisce:

Ἀγαυοί pag. 108
ἀέθλιον 76
ἀεί etc. 6
ἄῆται 103
Ἀΐδης 30[1]
αἰζηοί 35
αἶης 181
αἰθήρ 174
Αἰθιοπῆες 160
αἶθοψ 66
αἰνά 131
αἱρεῖσθαι 35
αἰτίζειν 57
ἀίειν 27
ἀκηδέες 64
ἀκήριος 205
ἀκλέες 182
ἀκράαντος 220
ἀκωκή 142
ἀλαὸς σκοπιήν 125
ἀλέγειν 56, 113
ἀλετρίς 170
ἅλιος 19
ἁλίπλοος 115
ἄλληκτον 85
ἄλλος 37
ἀμβλήδην 63
ἀμβρόσιον (εἶδαρ) 89
ἀμβολάδην 63
ἀμογητί 54
ἀμοιβή 146
ἀμφήριστον 8
ἄν 5
ἀνάβλησις 205
ἀναιδής 154
ἀνθερικὸς 157
ἀντιάνειρα 104
ἄορ 119
ἀοσσητήρ 219
ἀπειλεῖν 108
ἀπειλητήρ 128
ἀπαρνήσασθαι 133
ἀπό 21
ἀποδάσσομαι 113
ἀποθύμια 171
ἀπολυμαντήρ 88
ἄπυστος 161
ἄραβος 145
ἀραιός 156
ἄσβεστος 85
ἀσθμαίνειν 130. 162
ἀσπαίροντα 85
ἀσσότερον 39
ἀστέρι ἴση 121
ἀσφαλές 187
ἀτιμάειν 109
ἀτιμάζειν 109
ἄττα 49
αὖ ἐρύειν 72
ἀυγάζεσθαι 81, 139
αὖτις 13
ἀυτμή 79
αὐτός 193
Ἀχαιίς 133
ἄχρι 51

βαθύς 160
βοηθόος 54
βουκολέεσθαι 73

γαλόως 82
γείνομαι 54, 219
γενειάς 55
γένος 135, 151, 212
γλήνη 61
γλωχίν 119
γνήσιος 162
γνωτοί 29

δε (suff.) 53
δεδαώς 205

δῖα γυναικῶν 93
διὰ τρίχα 30
διὰ χροός 160
διερός 15
δικασπόλος 7
δούλη 165
δράγμα 67, 180
δυσαής 78, 143

ἕειπες 75
ἕζέσθαι 34
ἕθλιψε 120
ἑλαμενή 95
εἶν 112
εἰνάτερες 89
εἰσαίειν 28
ἕσσεται 57
ἕκειτο 134
ἕκλεο 122
Ἑλίκωνιος 134
ἕλπομαι, 100
ἕμμορε 97
ἐμπαλιν 41
ἐν 84
ἐναίρειν 218
ἐνικλᾶν 43
ἔννεπε 69
ἐννεσίῃσι 75
ἐννέωρος 92
ἔντεα 76
ἐξανίημι 160
ἔξαρχος 115
ἔξοχα 93
ἔοι 5
ἐπαΐξαι 127
ἐπακτήρ 40
ἐπείγειν 60
ἐπεμίσγετο 54, 122
ἐπίδρομος 114
ἐπικραίνειν 58
ἔργα 87
ἐρίζειν 49
ἔρκος 117
ἔρπειν 10
ἐρωεῖν 141

ἐρρίζωσε 120
ἐσπέριος 153
ἐστήρικται 114
ἔστιχε 146
ἐσχατιή 143
ἐτάλασσα 63
ἑταρίζειν 97
ἕταφες 27
εὐηφενίη 42
εὐρύοπα 188
εὐσκοπος 94
εὐφημεῖν 197
ἐφετμή 165
ἐφίλαο 93
ἐψιάασθαι 47

Ζεύς 5
ζηλήμων 56

ἠίθεος 182
ἦχι 9

θέμεθλον 107
θεμείλιον 107
θεώτερος 39
θήκαο 34
θηρητήρ 97
θήσασθαι 23
θοῦρος 127
Θρηίκιος 78[1]
θυμαρής 90
θυμήρης 90
θυόεις 204
θύρετρα 193

ἴουλοι 28
Ἱππημολγοί 108
ἴχνος 73

καί 7
καλός 27, 193
κάμνειν 155
καμπύλος 51
κάρη 59[1]
κασιγνήτη 162

καταδεῖν 103
καταρρίζειν 55
Καύκωνες 20
κείρεσθαι 80
κεκλήγων 26
κεκλιμένος 108
κέν 5
κευθμός 18
κεχρημένος 9
κήδειν 103
κίθαρις 194
κινυρή 199
κλείειν 24, 198, 211
κλητός 99
Κλῶθες 54
κνώδαλον 16
κοιμᾶν 23
κοιμίζειν 23, 136
κόλπος 175
κομεῖν 53
κόπρος 92
κουροτρόφος 112
κρείουσα 110, 162
κρείων 177
κροταλίζειν 106
Κύδωνες 21

λαγωός 72, 87
λαχεῖν 128
λιλαίομαι 53
λίνος 106
λίπος 204
λίσσεσθαι 136
λυμαίνεσθαι 88

μάλα 87
μάλ' οὐ 30
μάσσων 74
μεγαίρειν 29, 149
μειλία 102
μέλλειν 194
μέλπεσθαι 173
μέλειν 46, 132
μέμβλεται 46
μέχρι 51

μίτρη 15
μνᾶσθαι 110
μνωόμενος 216
μολπή 173
μορόεις 38
μωμήσασθαι 100

νᾶεν 100
νίεται 120
νέμεσις 64
νεμεσητός 115
νηλεές 134
νιφάδες 153
νότιος 160
νύμφη 138, 161

οἶμη 41
οἶμος 41
ὀλίζων 36
ὁμαρτῇ 106
ὁμοκλή 168
ὀξύ 28
ὅπως 61
ὀρθοκραιράων 92
ὅστις 200
οὔατα 27, 220
οὖλος 24
οὖτομα 20
οὐρανόθεν 121
οὐρανός 174
ὀφείλεσθαι 150

πάγχυ 99[1]
παιδνός 28
παιπαλόεις 95
παλιμπετές 182
πάππα 49
παρθενικαί 183
παρθένιος 48
πειρήσασθαι 80
πεπάλακτο 129
περάτη 152
περίσκεπτος 9
περιτρέφεσθαι 214
πιφαυσκόμενος 176
πηγός 71
πῆχυς 17
πινύσκειν 87
πίνειν 21
πλαγκτή 177
ποιεῖν 137
πόληος 134
πολλά 56
πολυδίψιος 13
πολύλλιστος 189
πολυπαίπαλος 95
πολύς 59
ποτιδέγμενος 85
πότνια 165
πρεσβυτάτη 18
προθέλυμνος 142
πρόκες 87
προσπτύσσεσθαι 28
πρυλής 26
πρών 61
πυράγρη 145

ῥέα, ῥεῖα 202
ῥόος 148
ῥώονται 153

σακέσπαλος 36
σείσασθαι 192
σκαίρουσαι 73
σκότιος 48
σμαραγεῖν 142
σπερχόμενος 125
στείβειν 178
στείλασθαι 190
στιβαρός 117
στυγεῖν 164
σὺν ἵπτοισι 127
συνεχές 209
σχίσθαι 16

τέλειος 28, 34
τένων 137
τέρας 34
τεύχεα 26
τεχνᾶσθαι 51
τι 126
τιμάω 201
τις 155
τόθι 18
τοιόσδε 176
τριγλώχιν 119
τρώειν 82
— τύς 95, 216
τῶς 113

ὑπαί 118
ὕπατος 151
ὑπείρ 112
ὑπείροχος 34
ὑπέτρεσα 124

φάεα 62
φέρειν 54
φόνος 100

χαίρειν 146
χαλεπός 188
χαρίεσσα 146
χλούνης 85
χορός 186
χρῶτα 12
χυτλώσασθαι 12

Ὠγύγιος 10
ὠδῖνες 17
ὤχλισσε 120

HYMNORUM HOMERICORUM vocabula imitando illustrat:

Ἀγγελιώτης pag. 34
βαθύς 121
γάμος 84
γενέθλη 81
Δηλιάδες 173
διαπρυσίη 174
δῶμα 107
εἰνάλιος 120
ἕλατήρ 6
ἔντεα 77
ἔργμα 44
εὐαγεῖν 132
εὐκαμπές 51
εὔυμνος 112
ἴλασα 220
θυόεσσα 184
ἰαχέω 145
ἱμερόεσσα 117
καμπύλος 51
κατουδαῖος 144
κόρη 127
λαγχάνω 205
Δήλαντος 181
λιπαρός 147
λύγκες 53
οἶμος 41
ὁμοκλή 147
οὐδας 124
πάντη 211
παρθένος 46
πολυώνυμος 50
πότνια 165
τεκέσθαι 136
τλήμων 158

HESIODI dictionem respexisse videtur in hisce vocabulis

Ἀέξειν pag. 27
αἰζηοί 35
ἀκηδής 64
αὐγάζεσθαι 81
Βίη 32
γέντο 24
ἐθέλημος 57
ἐναρεῖν 218
ἐννάσσαντο 115
ἑός 12
ἐρυμνός 117
εὔορκος 210
εὔυδρος 13
ἤμελλον 195
θητήν 84
καλιαί 73
καλός 27
καναχηδά 122
Κράτος 82
Μακηδών 151
νόσφι 75
ὀνομαίνω 19
Οὐρανίδης 7, 28
πλειών 43
προσλέξασθαι 68
σπονδή 6
στηρίζειν 200
τημοῦτος 14
τεύχειν 65
φατός 126
φαιδρύνεσθαι 17

Epicum sermonem suis verbis imitatur

Ἀγγελιῶτις pag. 162
αἰνογένειος 132[1]
ἀκλαυτί 110
ἀλιπλήξ 113
ἀναλύεσθαι 164
ἀνηλεές 134
ἀντανύσαι 17
ἀοιδύτατος 39
ἀπημονίη 44
ἀπόκτισις 212
ἀρίηκοος 187
ἁρπακτύς 216
ἄρχμενος 47
ἀφρικτί 164
ἀχράαντος 220
βαρύγουνος 129
γενειήτης 55, 70
γηλεχής 180
διχοστασίη 82
διωκτύς 95
ἴδεθλον 167
εἰναλίδες 52, 147
ἱλαφρίζειν 137
ἱλεημοσύνη 146
ἱλελίζειν 143
ἱλλοφόνος 94
ἐπιβάλλεσθαι 128
ἐπιβρωμᾶσθαι 124
ἐπιθυμήτειρα 104
ἑπτάμυχος 127
εὐηχής 183

εὐμειδής 81
εὔμοιρος 182
ζωστήρ 215
ἠλαίνειν 108
ἦμαρ 140
ἰσαίη 30
καλιστρεῖν 65
κατάιξ 78
κατακροταλίζειν 106
κεκομημένος 59
κυνηλασίη 99
λοχείη 173
μέσση 179
Νηρεύς 20
νησάων 127
ὀδακτάσαι 190
διστευτής 205
ὁμόθηρος 97
ὀπισθίδιος 85
οὐδέν τι 170
πεπλήγων 26
περιτροχόωσι 118
πεφιλήσεται 176
ποδορρώρη 99
προτερηγενής 29
πρωτάγρια 75
πυρίκμητος 145
ῥυηφενίη 42
σαωτήρ 150
ταχινός 28
τεύχειν 65
ὑποδινηθῆναι 129

Ab antiqua dictione recedit Callimachus in sequentibus vocabulis epicis

Ἀγινεῖν 213
ἄγρη 167
ἀγών 109
ἀδηφαγίη 88
ἄεθλον 76, 91
ἄεθλος 76, 91
ἀείσω 8
ἀκουή 32
ἄλσος 58
ἀλιτήμων 80
ἀμφιβαίνειν 137
ἀνάκτορον 212
ἄντυξ 84
ἀναστῆσαι 152
ἀναμίσγεσθαι 162
ἀποκλίνεσθαι 160
ἀποπνεύσαι 155
ἄρσην 182
αὐτίκα 39
βάλλειν ἐπί 87
βαρύνεσθαι 170
βαρύς 161
γονάτεσσι 47
γονεύς 48
γυῖα 11
δαιμόνιος 218
Δελφός 217
δηναιός 29
διακριδόν 124
διειδομένη 156
δίφρα 83
δοιή 8
εἰ 118
εἰσόκε 145
εἶσω 125
ἐκφέρειν 124
ἐλαφρός 45
ἑλίσσειν 114, 134
ἔμπαλιν 41
ἐμπλην 128
ἑξέτι 206
ἐπετήσιος 213
ἐπηύτησε 218
ἐπίβαθρα 117
ἐπίδημος 101
ἐπιμέμφεσθαι 149
ἐπιπλεῖν 120
ἐπιπνεῖν 190
ἐποπτεύειν 126
ἐρείδειν 138
Ἑρμείης 65
εὐθύ 219
ἦθεα 183
ἠώς 107
θεή 19
θεῆται 92
θέρος 184
θῆλυς 203
θήρ 218
θυμός 8
ἰθύνειν 42
ἶχνος 73, 166
καλός 193
καρτερός 145
κατεκλάσθην 135
καταλέξαι 177
κάειν 207
κέραος 209
κεύθεα 124
κίνυμαι 144
κοίτη 73
κόλπος 11
κοῦρος 47, 112
κρημνός 159
Κρηταίες 97
κροταλίζειν 106
λάσιος 67, 94
λίην 118
μάκαρ 36

μάλα μηκέτι 64
μάχαιρα 152
μεγαίρειν 149
μεδέων 43
μέλαθρον 101, 192
μυχοίτατος 65
μοιρίων 150

νεῖαι 85
νίσσεσθαι 16
νόσφι 75

οἶδα 152
ὄνειδος 169
ὀνοτός 116
ὀξύ 28
ὄρπηξ 192
ὅσον 31
ὅστις 53
οὐκ ἄλλος 163
οὐρανός 29
ὀφείλεσθαι 150
ὀχεῖν 15

παλαιόν 158
πάλιν 70
πανσυδίῃ 147
πατεῖν 128
πέδον 126
περί 42
περί τ' ἀμφί τε 185
περιπλέκεσθαι 136
πλημμύρειν 175
πνεῖν 214
ποτόν 90
πρηόσιν 61
προτέρω 66
προὔχουσα 162
πτοιεῖσθαι 94

ῥέεθρον 159

σαοῦν 117
σέβεσθαι 171
σπᾶν 178
στήσασθαι 145
σχεδόν 96
σῴζεο 146

τάφρος 121
τείρεα 153
τελεῖν 105
τέλεσκον 80
τελεσφορίη 213
τῆμος 14, 135
τιμήεσσα 162
Τιτῆνες 152
τόσος 32, 171
τόφρα 122
τυτθαί 64

ὑπαείδειν 185
ὑπὸ μίτρην 151
ὑπὸ χεῖρα 38
ὑποδέχθαι 167

φθέγγεσθαι 131
φιλαίτερος 125
φόβος 143
φορεῖν 213

χαίτη 67, 130
χνοῦς 208
χρέος 74
χρίειν 66

ὠδίς 16, 138

Deflectens ab antiqua dictione epica LYRICOS TRAGICOSVE poetas sectatur:

Ἄβροχος 13
ἄγαλμα 187
ἄγρη etc. 68, 99, 167
ἀγών 109
ἀίναος 214
ἀέξειν 57
αἰλινον 199
ἄκμων 86
ἀλαίνειν 108
ἀλέγειν 113
ἄλσος 58
ἀμείβεσθαι 146
ἀμπλακίη 171
ἀμφί 179
ἀμφιλαφής 46
ἀναγκαίη 139
ἄνη 43
ἀνθελέσθαι 172
ἄντυξ 84
ἀοιδότατος 173
ἀράσσειν 193
ἀυτεῖν 62
ἀχράαντος 220
ἄψοφος 185, 194
ἄωτον 219

βαρύνεσθαι 170
βοόστασις 134
βρίτας 105
βυσσόθεν 140

γενέθλιος 124, 175

δάκος 69
δεκατηφόρος 178
δεράων 72
διάβροχος 128
διψαλέος 16, 141

ἐγείρειν 188
ἕδρη 132
εἴσω 125
ἐλατήριος 7
ἐλέγχειν 132
ἐλίσσειν 114
ἐμπέραμος 36
ἐνδυτόν 202
ἔννεπε 70
ἐνόπλιον 105, 143
ἐπαείδειν 173
ἐπιπνεῖν 190

σάρον 164
σαρωνίς 15
σπειροῦν 18
συμφέρεσθαι 20
σφύζεο 146

τέθμιος 216
τελεσφορίη 213
τοκάδες 71

τοπήιον 188
τριπέτηλον 89
τροχόεσσα 175

ὑδείω 40
ὑπαείδειν 186
ὑπογλαύσσειν 62
ὑποδιννηθῆναι 129
ὑποκόλπιος 11, 131

ὑπολῃνίδες 90
ὑπόχλοος 130

φιλησέειν 208

χορῖτις 52

ψήχειν 89

ὠμοτόκος 138

Emendationes in Callimachi hymnis propositae:

Hymn. I. 36	p. 18	43	58[1]	Hymn. IV. 1	112
80	39	52	61	34	118
Hymn. II. 38	202[1]	94	72[1]	54	123
64	208[1]	152	87	103	135
69	211	189	93	144 sq.	143
72	212	218	98	*Schol.* in h. II. 15	205
Hymn. III. 9	50	239	105		

Cetera vocabula de quorum usu Callimacheo dixi haec sunt:

Ἄβυσσον pag. 118
ἄεμμα 51
ἀεργός 197
αἰθός 66
αἰάνιος 49
ἀλιτρός 193
Ἀμαζονίδες 104
ἀμβολαδίς 62
ἄμιτρος 15
ἀμορβός 59
ἀμφιστής 179
ἀναπαύειν 95
ἀπείπασθαι 91
ἀπερείδειν 138
Ἀπιδανῆες 10
ἀπομάσσεσθαι 114
ἀπόκτισις 212
ἄππα 49
Ἀσβυστίς 212
ἀσίγητος 180
αὐλις 70
αὐτόχθων 130
ἄχλαινος 78

βαθύγειος 210
βιοπλανές 183
βλῆται 80
βουβόσιον 207

Γαῦλος 10
γεώμορος 38
γονεύς 48

διαμετρήσασθαι 208
διάτριχα 30
δυσήροτος 176

Ἴβραμεν 143
ἴδρη 168
εἰναετιζόμεναι 92
ἐκφέρειν 124
ἐμμάξασθαι 80
ἐν σακέεσσι 105
ἐνδρομίδες 53
ἐνιμηλάδες 207
ἐξότε 207
ἐπ' ἰσαίῃ 30
ἐπενήξατο 117
ἐπιδαίσιος 29
ἐπικληροῦν 54
ἐπιμέμφεσθαι 149
ἐπιπορπίς 202
ἐρίνατο 82
ἑστήξειν 196
ἐφύμνιον 217

ζευγῖτις 52
ζόρκες 78
Ζωστήρ 215

ἠγασάμην 197
ἥλιξ 130, 184

Θεμείλια 175
Θερμάστραι 145
Θυωρός 83

ἰλυός 15
ἰθύνειν 42

κἄμοί απ κἠμοί 68
κεραελκές 92
κερόεις 77
κινώπετον 16
κρημνός 95
Κρηταίες 97
κρυμός 78
Κύρη 216

λάθριος 219
λάξις 41
Λέπρειον 19
λέχριος 168
λεχωίς 80
λιτός 194
λύγκες 53
Λυκωρεύς 198
λῦμα 12
λυμαίνεσθαι 88

μαιοῦσθαι 19
μελαμψήφις 129
μενοινή 43
μονιός 69
μορμύσσεσθαι 66
μουνόγληνος 61
μύκητα 187

νάπαι 216
νενίηλος 30

ξυμβάλλεσθαι 155

οἰκιστήρ 210
ὀλόπτειν 67
ὀπτήρια 66
οὖπις 97
ὀφέλσιμος 216

Παιήων 218
Πανάκεια 204
παρατίθεσθαι 212
παρούαιος 71
πέδοι 202[1]
περιβόσκεσθαι 214
περιηγής 157
πέριξ 209
περισκεπής 9
περιτροχόωσι 118
πολίχνη 122
πολύστειος 16
πολυχρόνιος 81, 180
ποτίστρη 60
πρέμνος 105
προμολή 74
προσπηχύνεσθαι 23
πρῶκες 204
πρωτάγριον 75

σάρον 164
σαρωνίς 15
σπειροῦν 18
συμφέρεσθαι 20
σῴζεσθαι 146

τέθμιος 216
τελεσφορίη 213
τοκάδες 71
τοπήιον 188
τριπέτηλον 89
τροχόεσσα 175

ὑδεῖω 40
ὑπαείδειν 186
ὑπογλαύσσειν 62
ὑποδινηθῆναι 129
ὑποκόλπιος 11, 131

ὑπολῃνίδες 90
ὑπόχλοος 180

φιλῆδεῖν 208

χορῖτις 52

ψῆχειν 89

ὠμοτόκος 188

Emendationes in Callimachi hymnis propositae:

Hymn. I. 36	p. 18	43	58[1]	Hymn. IV. 1	112
80	39	52	61	34	118
Hymn. II. 38	202[1]	94	72[1]	54	123
64	208[1]	152	87	103	135
69	211	189	93	144 sq.	143
72	212	213	98	*Schol.* in h. II. 15	205
Hymn. III. 9	50	239	105		

INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Abantias pag. 116
Achillis post mortem sors 198
Adverbia κεῖθι et κεῖσε etc. confusa 17
Agathonis carmen 197
Alcaei carmen 174. 191
Alexandrini adamant formas longiores 47. 152. 167
" " subst. in ιτις 52
" " adiect. comp. cum πολυ- 101. 176
" " adiect. in ις 147
" " verba compos. 164. 167
Amalthea capra 23
Antimachum sequitur Call. 26. 59
Antagoran Rhodium imitatur C. 8
Aoristi usus 197
Apollo Carneus 191
" Ptous 131
Apollonius Rhodius Callimachum imitatur 7. 10. 11. 15. 16. 19. 20. 27. 30. 38. 40. 47. 65. 81. 92. 95. 97. 101. 103. 104. 115. 116. 122. 124. 130. 141. 156. 198. 203
Apollonius Rhodius dissentit a Callimacho 40. 41. 48. 101. 115. 152
Apollonii cavillationibus respondet Call. 217
Aratum imitatur C. 40. 62. 118. 147. 148. 154
Arato non obsequitur Call. 152
Arcadiae res sacras diligenter respicit C. 12. 15. 19. 20. 21. 22. 60. 70. 80. 81. 96. 105
Aristarchus convenit cum C. 9. 15. 21. 23. 26. 29. 36. 37. 38. 40. 41. 43. 48. 55. 138. 147. 201. 209. 218
Aristarchus non consentit cum C. 11. 15. 18. 59. 66. 70. 75. 76. 77. 86. 96. 100. 102. 104. 106. 134. 142. 154. 156. 165. 173. 194. 199
Aristophanes Byzantius 42. 49. 162.
Augmentum 18. 33
Aule 70

Bura 134
Burina fons 149

Chalciope herois 149
Clearchus Solensis 219
Commentarii Callimachi 20
Composita adiectiva 130
Contractiones ab Homero alienae 18
Corcyra Phaeacum insula 147
Corybantum nomen 22
Correptio 35
Cos 148
Crasis Ionica 18. 192
Crates 58
Cretensium opiniones oppugnat C. 22
Creticum mel 24
Creticus arcus Apollinis 51

Cycladum nomen 185
Cyclopes 51. 60. 66
Cypria 102
Cyrenaicae fertilitas 203[3]

Delos laudatur 131. 184. 190
Deli mythologumena 115
Deliacarum virginum chorus 173
Deliacae arbores sacrae 192
Delphi 131
Demetrium Phalereum sequitur C. 188
Diana ἀπαγχομένη 81[1]
„ Cedreatis 105
„ Chitonia 40
„ Hegemone 101
„ πρωτόθρονος 102
Dianae cultus Deliacus 54
„ numen distat ab Homeri mythologumenis 48. 56
Dictaeae nymphae 22
Dionysius Periegeta imitatur C. 9. 10. 38. 39. 42. 104. 114. 119[1]. 200
Dosiadae ara 38[1]

Eleusis 185
Ellopiei 117
Epiphania Apollinis 192
Euboeae nomina 116

Gigantes et Titanes confusi 152

Hecataeus Abderita 179
Hecate Caria 79
Helene Rhamnusia 102
Helice urbs 134
Hercules et Iuno 96
Herodotum respicit Call. 118. 120. 129. 180. 200. 208. 212
Hesiodi mytholog. respicit C. 19. 22. 27. 32
Homeri mythol. oppugnat C. 30. 48. 49. 54. 168
Homeri versus sonorum similitudine imitatur C. 16. 18. 30. 32. 54. 57. 66. 67. 68. 69. 85. 88. 91. 100. 103. 109. 118. 130. 132. 134. 151. 153. 155. 162. 168. 169. 176. 182. 185. 187. 190. 198. 214. 216
Homeri versus complures simul imitatur 19. 54. 88. 92
Hymnorum antiquorum certas formas observat: 5. 43. 45. 102. 145. 155. 184
Hymnorum aetates 5. 45
Hymni II pars extrema 216
Hymni poetae Callimachus exemplo fuit 8. 44. 46
Hyperboreorum nomen 179

Inopus fluvius 91. 159
Io poeta 164

Laurus Deliaca 192
Lebes Dodonaeus 180
Lelantus rex 180
Leprei nomen 19
Liparae nomen 59
Lotus Homerica 89
Lycorea 198
Lycosurides (canes) 72[1]
Lymax fluvius 12
Lynces 53

Macris 116
Medii usus 185
Meliae 22
Meligunis 59
Meropes 148

Neptunus Ἵππιος 60
Nicaenetus imitatur C 15[1]
Nicander respicit C. 10. 16. 19. 40. 61. 89[2]. 128. 171
Niobe 199
Nonnus 46, 105
Nympharum aetas 130

Olen vates 174
Oppianus imitatur C. 7. 23. 124. 164
Optativi usus 52. 201
Orphicorum poeta imitatur Call. 107
Ortygiae nomen 209

Paeon 205

Parcae 54
Parthenius fluvius 123
Philemon 199
Philetas 59. 72. 87
„ exemplum praebet Callimacho 59. 106. 125. 148
Phrygia Niobes patria 200
Planctae insulae 177
Platonis epigramma 71
Pluralis usus insolitus 154. 163
Praepositio verbo postpositus 21
Pronomen personale 7. 71. 80. 96
„ „ gen. poss. 9. 75
„ possessivum 5. 12. 102. 158. 163
Ptolemaeus Philadelphus 33. 82. 204[1]

Relativorum usus 171

Samos insula fertilis 128
Simonides 79. 132
Sol cursum inhibens 91
Solonis elegia respicitur 82
Strymonias 118
Styx nympha 19
Tethys Titanis 116
Theocritus Callimachum respicit 161
Theognis 175. 181
Thesei navis 188
Thetis filium deplorans 198
Titanes et Gigantes confusi 152
Tmesis insolita 42
Troiani belli monumenta 102

Upis 97

Verba clamandi 62. 174
„ movendi 95
„ standi 104. 120. 122. 169
Vulcani officinae 51
Varietas lectionis in libris Homeri 14[1]. 42. 43. 52. 59. 96. 97

Xenophon *de Venatione* 71. 72. 75. 168

Zenodotus 18. 40. 43. 92. 120. 125. 143. 176
Zenodotus Malotes 37

INDEX HOMERICUS.

p. 197
92
28
75
203
13
67[1]
92
7
171
117
88
60
160
190
72
178
55
46
59
58
171
110
85
182
47
142
64
118

B. 380 204
419 58
422 72
459 *sqq.* 108
463 142
468 213
470 108
506 35, 58
526 128
536 116
626 176
665 30
686 183
766 *sqq.* 207
776 89
800 108
825 21

Γ. 56 87
70 103
124 93
130 161
197 72
215 113
222 153
276 43
315 203
399 53
409 165
410 64

Γ. 412 100
431 33

Δ. 59 18
93 201
137 117
157 128, 172
174 84
232 171
383 129
422 183
426 114
431 95
457 215
521 154
524 155

E. 26 43
54 218[1]
61 93
87 159
125 36
196 89
303 201
308 21
368 89
370 55
407 30
425 156
593 154

E. 683 7
709 103
715 19
740 84
777 89
811 84
857 15
865 73
894 75
903 214

Z. 5 117
59 54
92 105
141 201
167 171
186 104
193 147
205 8, 77
234 174
252 93
295 74
303 105
314 182
367 13, 133
378 83
414 153
417 171
434 114
457 220

Z. 467 66
501 183

H. 97 128
100 182
185 183
186 166
199 100
212 120
238 57
298 109
452 208

Θ. 21 140
22 155
42 202
189 174
199 192
203 134
247 28, 173
271 14, 66
372 136
393 198
408 43
433 88
477 56
482 56

I. 5 77
51 136
56 41
62 109
104 *sqq.* 206
106 67
124 72
131 166
142 5
147 102
153 120
164 116
171 197
191 47
196 7
230 8
236 34[1]

I. 284 5
313 37
348 75
349 208
354 32
362 90[1]
389 49, 110
404 107
504 113
523 170
529 109
539 85
541 142
544 99
601 49
610 99
679 122[1]

K. 27 59
75 76
77 215
90 99
95 129
183 166
231 158
253 150
298 100
361 77
370 132
375 145
376 129
390 129
413 177
434 119
437 137
535 64
548 122
568 89

Λ. 28 200
49 54
50 153
160 106
269 *sqq.* 17
325 97

Λ. 385 100
392 205
398 160
403 75
407 68
427 42
459 61
534 178
637 54
649 115
679 207
686 *sqq* 150
758 108
811 169

M. 26 115
28 107
29 209
77 26
103 124
156 158
163 169
208 61, 72[1], 217
278 153
308 127
317 215
423 31
438 96
448 120
454 *sqq.* 117
462 117
524 23

N. 5 108
10 *sqq.* 125
17 148
28 18
57 141
74 73
78 120
104 108
139 154
204 134
219 108
277 156

N. 365 93
441 62
456 97
582 132
654 155
730 36
793 59
796 126
817 53
819 72

Ξ. 166 120
170 89
171 12, 204
183 38, 74
190 201
215 84
223 175
235 146
249 87
254 102
255 148
261 171
347 89
385 119
485 29
493 107
494 62

O. 108 124
153 204
183 164
187 30
191 31, 128
215 177
254 219
310 51
336 29
443 98
579 166
626 103
631 95
709 78

Π. 161 153

Π. 166 153
180 48
224 78
233 181[1]
235 179
244 158
258 147
324 51
385 41
486 67
498 169
558 96
634 82
686 159
745 137
825 220

P. 5 199
47 107
135 40
166 63
200 75
231 113
254 193
283 134
385 *sqq.* 129
425 174
446 10
533 18
556 169
564 80
587 124
632 42
640 166
756 25
760 26, 185

Σ. 25 214
35 198
98 195
222 64
239 91
240 151
271 68
281 108

Σ. 364 162
369 51
470 62
471 160
474 145
485 153
486 110
519 36
523 126
543 65
552 67
555 67
567 183
569 *sqq.* 106
570 185, 193
573 92

T. 14 63
38 204
96 87
174 75
343 46
347 89
357 153

Υ. 48 *sqq.* 62
221 73
227 157
259 *sq.* 143
404 134
478 136
499 178

Φ. 21 119
37 192
106 16
123 64
168 114
186 135
197 100
198 *sq.* 142
212 131
275 163
287 46
313 145

Φ. 351 89
364 68
366 79, 145
369 103
415 51
470 165
480 50, 56
485 218
506 34, 47
508 55

X. 42 68
48 110
189 166
243 52
310 72
389 112
473 83
476 62
480 64

Ψ. 43 200
57 120
79 132, 205
88 103
229 77
284 138
309 114
337 168
366 114
458 81, 139
538 112
544 196
792 110
840 85
850 100

Ω. 38 155
44 146
58 23
158 177
202 122
248 125
274 119
293 *sqq.* 34

Ω. 444 88
455 193
514 11
526 64
553 33
567 120
576 88
602 *sqq.* 199
610 100
655 205
721 115
784 213

α. 22 59
39 110
194 101
220 8
234 101
242 161
249 133
338 24, 198
402 75

β. 77 146
151 56, 129
235 150
358 78
391 143

γ. 55 29
58 146
282 8
291 157
292 21
293 151
294 143
366 20
367 150
373 61
397 23
709 59

δ. 7 196
12 165

δ. 106 216
121 48
156 219
170 76
177 176
195 170
198 80
208 54
242 145
415 88
418 9
445 190
455 168
476 181
481 134
494 110
500 216
517 143
566 *sqq.* 214
567 108
651 57
675 161
709 59
728 182
743 161
845 155

ε. 27 108, 182
53 167
108 64
118 56
127 161
191 146
226 127
238 143
259 51
385 120
371 137
383 108
388 72
403 115
430 156
451 141[1]
488 66
493 170[1]

ζ. 42 187
56 49
80 12
102 *sq.* 90
106 47
109 48
148 87
151 48
163 157
797 33
205 54, 122
226 203
230 74
231 24
292 100

η. 95 138
107 204
118 213
123 37
135 125
198 54
201 194
248 *sqq.* 10

ϑ. 20 74
29 158, 179
74 41
245 206
259 109
264 186
290 125
302 125
308 89
314 172
385 44
584 8

ι. 23 176
25 112
27 75, 112
80 148
84 69
108 87
123 176

ι. 185 124
189 103, 190
190 *sqq.* 60
222 100
236 127
295 16
296 88
383 15
389 62, 79
475 195
486 175
498 84

κ. 19 92
20 103
84 91
118 65
152 66
217 102
219 61
295 127
299 36
412 73
505 46
557 74

λ. 84 21
114 85
186 7
198 94
211 112
245 48
319 28
384 132
598 126
602 *sqq.* 86
613 51

μ. 1 220
27 179
61 177
98 205
124 65
156 52
204 148

μ. 330 167
383 91

ν. 28 *sqq.* 92
89 146
68 18
111 89
143 33
163 120
164 220
235 108
242 114
351 59
363 127
395 187
408 210

ξ. 65 155
82 146
101 207
190 16
199 127
313 163
356 66
361 108
477 214
451 75
474 26[2]

ο. 82 53
297 128
342 159
365 126
419 95
426 43
445 60
449 117
505 53

π. 15 62
140 126
161 194
176 55
205 176
443 34

ϱ. 37 48
39 62
187 150
220 88
221 120
222 57
223 150
295 72, 87
319 52
377 88
530 47
572 39

σ. 113 99
128 8
172 12
340 94
371 *sqq.* 92
374 92

τ. 54 48
77 5
91 68
94 195
175 21
223 96
228 85
234 113
325 131
338 59
341 73
414 62
431 59
473 55
556 160

υ. 85 168
105 169
332 138

φ. 11 98
21 28
47 193
49 493

φ. 105 155
146 65
288 108
293 82
410 80
429 47

χ. 21 61
38 110
83 98
156 193
185 48
269 187
293 94
306 167

ψ. 9 103
33 136
81 42
91 85
243 152
258 137

ω. 6 127
47 *sqq.* 198
59 199
310 96
338 28
423 134
475 66
506 57

Hymn. in Apoll.
1 45
16 *sq.* 160, 209
19 112
20 211
29 7
30 *sqq.* 129
38 112, 147
41 123
42 148
47 164

Ap. 51 *sqq.* 163
54 114
56 218
60 124
77 170
79 50
92 17, 163
95 174
117 160
118 124
119 173
127 24
131 51
135 174
157 173
160 *sqq.* 180, 186
180 117
186 90
191 158
194 90
199 98
207 7
254 107
291 208
294 107, 209
333 220
347 189
359 130, 162
363 218
383 142
427 128
449 203
489 77
518 218

Hymn. in Mercur.
14 6
20 11
75 41
76 168
103 90
112 144
238 214
265 6

Merc. 295 84
425 63
430 205
451 41
468 201
490 161
508 67
552 205

Hymn. in Venerem
19 174
26 *sqq.* 49
29 84
88 147
96 97
127 136
168 160
195 36
248 169
265 130

Hymn. in Cererem
1 45
20 145
28 189
88 168
97 185
203 165
252 126
269 162
274 132
287 175
319 185
383 121
440 127
454 59[1]
456 126

H. XVIII 24 53
28 70
39 70
XXIII 3 204
XXVI 10 81
12 51
13 90, 107

INDEX HESIODEUS.

Theog.	81	p. 84		478	195		241	80		667	135
	89	133		489	64		265	65		708	171
	96	89		492	27		305	73		735	214
	141	60		498	200		386	6		753	17
	148	61		502	7		440	35	*Scut.*	230	126
	156	61		863	35, 79		447	94		437	61
	188	210	*Opp.*	58	12		477	81	*fragm.*	3	116
	255	127		80	19		499	68		23	151
	346	19		91	75		501	73		29	71
	367	122		117	57		557	135		40	99
	385	32		202	17		576	14		42	22
	386	7		219	41		615	43		47	13
	419	267		225	80		639	115		156	105

ERRATA.

P.	14	lin.	7	„notissum"	leg. „notissimum"
„	16	„	11	„IV 638"	„ „IV. 678".
„	17	„	8	„βοήθοον"	„ „βοηθόον".
„	18	„	29	„35"	„ „36".
„	24	„	14	„γ, 338"	„ „α. 338".
„	30	„	22	„διὰ δίχα	„ „διὰ τρίχα".
„	32	„	16	„homeri cum"	„ „Homeri".
„	46	„	27	„χόρος"	„ „χορός".
„	62	„	3	„dervari"	„ „derivari".
„	64	„	31	„μαλ' οὔπω"	„ „μάλ' οὔπω".
„	86	„	24	„ὡς"	„ „ὦς".
„	89	„	30	„homerici"	„ „homericae".
„	100	„	31	„Λ. 610"	„ „Ω. 610".
„	102	„	39	„IV. 213"	„ „IV. 203".
„	126	„	19	„φροῦροι"	„ „φρουροί".
„	130	„	21	„ἥλιξ"	„ „ἥλιξ".
„	132	„	38	„pag. 28"	„ „pag. 128".
„	134	„	37	„δ. 48"	„ „δ. 481".
„	143	„	29	„pag. 71"	„ „pag. 78".

SEP 1 6 1919

C O
K96

STUDIA CALLIMACHEA

STUDIA CALLIMACHEA

SCRIPSIT

K. KUIPER

II

DE CALLIMACHI THEOLOGUMENIS.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD A. W. SIJTHOFF.
MDCCCXCVIII.

CONSPECTUS OPERIS

I *Introductio* p. 1—8

De religione Alexandrina p. 1. De religionis Graecae cum Aegyptiaca certamine; de utriusque cultus fautoribus p. 2. — De crescente Aegyptiae religionis auctoritate p. 6; de poetis religionis Graecae defensoribus p. 7.

A

II *De deorum personis mythicis* p. 9—16

Deorum summorum qualis sit in poesi Callimachea persona: Iuppiter p. 9; Apollo p. 10; Diana p. 10; Iuno p. 11; Mars p. 12. — Qui factum sit ut longius a tradita mythologia discederet poeta in persona Volcani p. 13. — De Minerva, Cerere, Venere, de *Κύπριδος* origine externa p. 15.

III *Dis suis Callimachus Graecas vindicat origines* p. 17—29

Iovis origines Arcadicas contra Cretenses defendit p. 17, Arcadum auctoritatem secutus p. 18, neque ipse nova fingens p. 19. — Dianae tam fabulas quam cultus cum Arcadia coniungit p. 21; Diana virgo Proetidas sanat p. 21. Venatrix p. 23, Lucina unde dicta p. 23 — De Dianae curru ac face lunari p. 24. — Externi Dianae cultus cum Arcadia coniuncti p. 25. — Dea, quae hymno III celebratur non est *Νησαίτις* Cyrenaicorum p. 25. — Enumerantur Dianae sociae, in quibus Britomartis non dea propria est sed nympha p. 27. — Diana *Ἡγεμόνη* p. 28; Diana Ephesia p. 29.

339719

IV *In rebus divinis tractandis poeta ducitur studio antiquitatis* p. 30—36

De aetiologia p. 30. De geographia fabulosa p. 31, Helice Ephyra Troezen p. 31; Pelion, Parthenius mons p. 32; Sicyon p. 33. — In hac quoque re incolarum auctoritas praeponitur testimoniis poetarum p. 33: de Cervis Cerynitidis p. 33; de raptu Proserpinae p. 35; de Palladio p. 35.

V *Cultus fabulasque deorum cum Minyis Cyrenensium proavis, quantum potest, coniungit* p. 37—53

In Cyrenarum primordiis enarrandis quatenus cum Herodoto conspiret p. 37. Minyis in civitate Cyrenaica elementis quantopere faveat p. 40. De Apolline Carneo et Nomio p. 41. — Cyrene nympha Minyarum dea p. 43. — Quare in hymno VI Erysichthonis fabula tractetur p. 43; de campo Triopio p. 45; de Neptuno Minyarum deo p. 46. — De Minervae Minyae cultu p. 47, Cyrenaicus Minervae cultus cum Lacedaemone conciliatur p. 50. De Dioscuris p. 51. De Diana Brauronia p. 52.

B

VI. *Cultum Delium summopere extollit* p. 53—78

De Deli principatu p. 54. De Lagidarum erga Deos Delios pia cura p. 55. — Propria mythologia Insulam adornat poeta p. 56. Cultus antiquitate sanctos Delo vindicat p. 59. Delphis Delum praeponit, ubi Apollinem vaticinandi arte donatum esse censet p. 60. Apollinis ἀρχηγέτου munus cum Delo consociat p. 62. Phoebus Deli condidit aram corneam, p. 63, ante quam primum Delphos adiit, p. 65, quattuor annos natus, p. 65. — Apollinis Lycii cultus cum Delo coniungitur p. 66; αἴτιον hac de re fictum p. 68. De Olene, de Ilithyia, de Britomartiis Deliis p. 70. — Hyperboreos cum Delo consociat poeta p. 71. Quatenus Hecataeum sequatur in fabula Hyperboreorum p. 72. Oppugnantur iura Delphorum p. 74, Atheniensium p. 76. Quaenam de Hyperboreis fuerit Callimachi opinio p. 77.

C

VII *Religionem Graecam Callimachus defendit a conaminibus* τῶν αἰγυπτιαζόντων. p. 79—96

Hecataei doctrina exponitur p. 79. De summis Aegyptiorum numinibus p. 81. — Callimachus de Iside p. 84; Io cum Iside composita p. 85. Cererem cum Iside coniungi non vult p. 86. — De fragm. 561 iniuria tributo poetae p. 88. — De Osiride p. 89; cum Dionyso a pluribus comparatur, p. 90, at numquam a Callimacho

p. 91, qui cum Macedoniae historia antiqua Bacchum componit p. 92, natumque in Graecia deum censet p. 93. — De Sarapide p. 93. — De ceteris Aegypti numinibus p. 95.

VIII *A syncretismo et Orphismo deos Graecos tutatur* p. 97—107

De syncretismo p. 97. — Rheam cum Gaea saepius commixtam secernit ab ea Callimachus p. 99. Corybantes cum Phrygia non coniungit p. 100. A Rhea Cererem distinguit p. 100. — Dianam cum Proserpina commiscuisse iniuria arguitur p. 101. — Qua ratione Hecaten cum Diana coniungat p. 102. — De fragmento 556 disputatur p. 103.

Ab Orphismo abhorret p. 104. De Iove Cretensi p. 104. De Zagreo p. 105. De Pythagora p. 106. De Amore p. 106.

IX *Physicam rerum divinarum interpretationem raro sequitur. Euemerismum aversatur* p. 108—116

Physicorum rationi in dis maioribus nusquam favet p. 108. De deo Pane p. 109. — De hortis Iunonis p. 109. — De Iride p. 111.

Euemerismum oppugnat p. 112. Quatenus Euemeri doctrina timenda ei videatur p. 113. — De Telchinibus p. 114. De Gigantibus Titanibusque p. 114. De Briareo p. 115.

D

X *De propria Callimachi religione* p. 117—135

Quid fere propositum in rebus divinus habuerit p. 117. Quatenus ex hymnis poetae ipsius opiniones efficiantur p. 118. — Comparatur Callimachus cum Horatio p. 119. Lagidarum imperium cum Olympiorum regno componitur p. 120.

Monotheismi vestigia num in Callimachi poesi indagari possint p. 121. Augetur Iovis potestas ceteris numinibus diminutis p. 122. Idem in aliis dis maioribus interdum obvenit p. 124. — Crescit deorum numerus p. 125. — De prosopopoeia p. 125. De dis fluviorum regionumque p. 126. De Insulis, praecipue Delo p. 127.

De cultu regum p. 129. Eius cultus origines p. 130. De Alexandro deo p. 131. De cultu Ptolemaeorum opiniones Theocriti atque Callimachi p. 132.

XI *Quatenus mythologiam traditam immutaverit Callimachus* p. 136—148

Quanam licentia poeta utatur in fabulis enarrandis, illustratur exemplis Iridis et Herculis p. 137. — Utrum deorum nominibus reges Aegypti designaverit necne, disquiritur p. 139. — Constantia et diligentia quanta in rebus divinis usus sit demonstratur disquisitione de Nymphis p. 142: de Oceaninis p. 142, de minoribus Nymphis p. 143, de Meliis p. 144; de vita Nympharum p. 146.

XII *De potestate ac sanctitate divina* p. 149—156

Opiniones de fato, aetate Callimachi maxime vulgatae p. 149. Fato anteponit Callimachus leges divinas p. 150; de legibus Saturni, deque munere Parcarum p. 151. De deorum vindicta p. 152. — De divina sanctitate quid censuerit, illustratur exemplo Tiresiae p. 154. — De fragm. 415 poetae abiudicando p. 155.

XIII *De vita humana ac morte* p. 157—159

De vita beata p. 157. De animi immortalitate incerta ac varia Callimachi iudicia p. 158.

Artis Callimacheae iudicium ferre quod firmo testimonio nitatur sicuti denegatum est saeculo nostro, ita parum valent hymni sex cum fragmentorum acervo ut pro certo constituamus quaenam de rebus divinis, de singulis dis, de variis fabularum sacrarum traditionibus poetae fuerit opinio. Tamen, quantum ex operum reliquiis fieri potest, utilissimum videtur quaerere, quaenam fuerit Callimachi in rebus divinis diligentia, quidnam consilium; quosnam auctores sectatus sit, quibusnam adversatus. Quae res non magis propter ipsum poetam quam propter temporum gravitatem ac multitudinem adversariorum digna studio nostro est. Ingens enim opinionum voluntatumque erat in urbe Alexandria varietas! Ipsam sane religionem rei publicae ac regni sui fundamentum putare firmissimum Lagidae saltem non destiterunt. Sed quorsum tenderet principum cura, multi quaerebant solliciti; utrumne Aegyptiacos deos Graecis nominibus ornatos Olympiorum sedibus imposituri essent, an Aegyptum Graecis dis donaturi? An forte ex utriusque populi religionibus novum quendam miscerent cultum quo priscos incolas cum exteris, victos cum victoribus conciliarent?

Extiterant utriusque consilii patroni. Nam postquam Alexander, post durum Persarum imperium gratus Aegyptiis adveniens, impiis Artaxerxis rapinis benignam opposuit pietatem [1]), et Memphitarum

---

[1]) Diodor. Sicul. XVII. 49 *οἱ γὰρ Αἰγύπτιοι τῶν Περσῶν ἠσεβηκότων εἰς τὰ ἱερὰ καὶ βιαίως ἀρχόντων ἄσμενοι προσεδέξαντο τοὺς Μακεδόνας* (cf. Diod. XVI. 51).

summo deo Ptah, deaque Sechet splendidis donis placatis [1]), itineris difficillimi pericula pro nihilo pendens Ammonium adiit ut a deo Ammone filium se salutatum audiret, quin etiam in ipsa urbe Alexandria iuxta Olympiorum sacra Isidi templum vovit [2]), Aegyptiorum sacerdotes haud inanem fovebant spem fore ut etiam per successores Alexandri summum in Aegypto locum obtinerent di Aegyptiorum, et cum ipsa religione cresceret antistitum auctoritas. Minus fortasse regis pietati adversus Osirin Ammonem Isidem tribuissent, si mente tenuissent, quam constans Alexandri cura fuisset in omnes fere deos exterarum nationum, qui, ubique Graecos deos reperire sibi visus, non solum in Troade Pallada, Sardibus Iovem Olympium, Ephesi Dianam Graecam agnovisset sed Solis quoque Aesculapium, Tyri proavum Herculem salutasset [3]). At certior firmiorque iis fuit spes in Ptolemaeo, Lagi filio, quem viderent Pharaonum tanto studio vestigia prementem, ut non solum ad Apidis demortui sepulturam ingentem largiretur pecuniam [4]), aram Ammoni in Ammonio conderet [5]), eidem Deo, regis Philippi Arrhidaei nomine, ac deinde pro rege Alexandro Thebis antiquissimum sanctissimumque templum instaurandum curaret [6]), sed etiam haud procul ab eo antro quod σπέος Ἀρτέμιδος dicebatur cellam in saxis incidi iuberet, in qua eiusdem regis Alexandri imago conspiciebatur supplex ad deam Pasht protendens signum Veritatis (numinis cui nomen Maät) adstante pone regis tergum dea Hathor [7]). Talia profecto palam praedicare videbantur iam acceptam esse Lagidae religionem unice veram Aegypti. Nec mirum exultasse sacerdotes atque mox ab iis Ptolemaeum, cum imagini Alexandri in nummis suis

---

[1]) Arrian. III. 1. 4 ἦκεν ἐς Μέμφιν καὶ θύσι ἐκεῖ τοῖς τε ἄλλοις θεοῖς καὶ τῷ Ἄπιδι καὶ ἀγῶνα ἐποίησε γυμνικόν τε καὶ μουσικόν. De deo Ptah quem iam ex Herodoti aetate constanter Graeci cum Hephaesto suo compararunt cf. Wiedemann *Herodots zweites Buch* p. 397. — Deam Sechet quam Bubasti appellabant Bast, Ptolemaei V aetate etiam a Graecis invocatam videmus cf. Strack *Dynastie der Ptolemäer* inscr. n°. 74, 75. Deum vero Apin non solum Epapho comparatum esse a Graecis sed etiam ante Alexandri aetatem a Graecis Memphin incolentibus nomine suo esse invocatum notissima querela Artemisiae docet, in qua tam Ὀσίραπις quam θεοὶ οἱ μετὰ τοῦ Ὀσοράπιος καθήμενοι invocantur (Wessely *die griechischen Papyri der kais. Samml. Wiens, XI Jhrbr. des k.k. Franz-Joseph Gymn. i. Wien.* 1885).

[2]) Arrian. III. 1. 5.

[3]) Arrian. I. 11. 7; 17. 6, 10; II. 5. 8; 16. 7.

[4]) Diod. I. 84. 8.

[5]) Paus. IX. 16. 1.

[6]) Mahaffy *Empire of the Ptolemies* p. 38.

[7]) Mahaffy l.l. p. 70.

adderet cornua Ammonis, incuderetque iisdem nummis Sarapidis imaginem [1]), salutatum esse „filium Solis sanctissimamque summi dei imaginem" [2]). Nam accesserat his omnibus cultus vere Aegyptiacus incolis Alexandriae oblatus, cum tandem deum sanctissimum Memphitarum Osar-hapi ex Serapeo Memphitico, quod erat in colle Senhapi Alexandriam arcessierat splendidumque ei deo condiderat templum eo loco cui nomen erat Rhacotis [3]). Quid, quod olim regis Alexandri Magni cineres ad urbem Memphin tamquam caput regni attulisset [4]), exque iussu eiusdem principis Alexandriae templum condidisset Isidi, secundum Aegyptiacae architecturae normas aedificatum? Nonne videri poterat primus Aegypti rex Aegyptiaco cultu delabentem Graecorum religionem corroborare voluisse?

Nobis hodie, sacrarum inscriptionum aedium votorumque rudera consulentibus, vix tale consilium primi Lagidae fuisse videtur. Ingens quidem extat inque dies crescit numerus testimoniorum quibus tam regum quam inprimis hominum privatorum pietas erga deos Aegyptiacos confirmatur; sed maxima eorum monumentorum pars serioris est aetatis, raroque alius pietatis praebet exempla quam eius qua semper Graeci, salva propria ipsorum religione, exteros quoque deos adire solebant. Et priores saltem Lagidae Graeca religione imperium suum, cui formam atque indolem Graecam vindicabant, firmare voluerunt. Habebant, quae in hac re imitarentur, exempla insignia. Quantam enim curam Philippus impenderat, ut religione quoque sua vere Graecum principem se profiteretur! Iovis Apollinis Herculis imaginibus nummos suos adornaverat [5]), Phocenses agressus erat *„tamquam sacrilegii non Thebanorum ultor esset"* [6]), Athenienses ultro adhortatus, „ut sacra violata secum vindicarent" [7]). Eum, tota Graecia discordiis dilacerata, Herculis progeniem solemnibus verbis salutaverat Isocrates a dis vocatum ut praeses esset universae patriae [8]). Plura eiusdem pietatis exempla Alexander Lagidis reliquerat, qui semper id egerat ardentissimo studio, ut factis verbisque declararet, Macedonum reges,

---

[1]) Müller *Numism. d'Alex.* p. 26.

[2]) Mahaffy *Greek Life and Thought* p. 176.

[3]) Tacit. *histor.* IV. 82; Brunet de Presles *mémoires prés. à l'Acad.* 1852 p. 522 sqq. Brugsch. *Geogr. Inschr.* I. p. 240.

[4]) Paus. I. 6. 3. et 7.

[5]) Cf. *Synopsis of the Brit. Mus. Coins, period.* III. B. 17. 18.

[6]) Justin. VIII. 2.

[7]) Aeschin. *de falsa leg.* § 137.

[8]) Isocr. *ad Philipp.* p. 85b, 88b, 88d, 96a, 103c, 104e.

Hercule proavo oriundos, optimo iure Graecis adnumerari. Et sicut in festis Aegaeis, Philippi vitae funestis, pompa solemni progredientibus dis Olympiis adiectum erat ipsius Philippi regis simulacrum, *„tamquam in Olympio senatu sedem sibi postulantis"* [1]), ita Alexander quoque Graecorum deorum, quos mox ipse adaequare sibi videbatur, maiestatem omnibus ceteris numinibus anteponere numquam destitit. Eorum regum exemplo ducebatur Ptolemaeus. Philippum parum noverat, sed Alexandrum per totam expeditionem in Asia comitatus regis sui res gestas fideliter deinde commentariis exposuit [2]). Testatur etiamnunc Arriani excerptum, eam curam qua ubique deos Graecos Alexander prosecutus esset, praecipue dignam visam esse Ptolemaeo, quam diligenter exponeret. Quae res magis quam convenit neglegi solet ab iis qui de Lagidae imperio disputantes id inprimis agunt, ut demonstrent iam primum Ptolemaeum summopere favisse religioni Aegyptiacae. At Ptolemaeus ipse in commentariis non sine consilio luculenter ostendit, gradum non procedere Alexandrum, quin quaerat, cuinam deo singula quae tangit loca sacra sint, neque prius quievisse quam tota Asia peragrata templorum serie iter suum ornasset, ut ad extremum usque orientem una cum sua gloria laudem perferret deorum Graecorum. Quos quanti faceret etiamtum significavit cum e vita excessurus templa magnificentissima aedificare constituit Deli Delphis Dodonae, summis Graeciae numinibus sacra [3]).

Qua parte valuit, hoc divi regis exemplum egregie imitatus est primus Lagida. Deliacos enim deos, quibus iam antequam regium nomen accepit dona plurima vovit, post quam rex Aegypti factus est constanter coluit, ita ut insulae praesidium, cui non amplius Athenienses pares erant, libentissime in se suscepisse videretur [4]). Praefuit igitur *τῷ κοινῷ τῶν νησιωτῶν*. Praeterea Iovem Olympium

---

[1]) Diod. XVI. 92.

[2]) Hic totus Arrianus exscribendus est si omnia referre velis. Inprimis observandum videtur, quam saepe ubique sacra faciat Alexander „*τῷ πατρίῳ νόμῳ*" vel „*τοῖς θεοῖς ὅσοις νόμος αὐτῷ*" (cf. III. 16, 9; 25. 1; 28. 4; VI. 3. 1; ac paulo aliter VI. 19. 4: „*θύει τοῖς θεοῖς Ἀλέξανδρος ὅσοις ἴφασκεν ὅτι παρὰ τοῦ Ἄμμωνος ἐπηγγελμένον ἦν θῦσαι αὐτῷ*. Adde VII. 14. 1.) — Ceterum Graecis quoque visum esse Alexandrum praecipuae curae dis suis fuisse docent Menandri versus apud Plut. *Alex.* c. 17.

[3]) Diod. XVIII. 4 „*ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν*" quae rescindenda censuit Perdiccas.

[4]) Homolle *Archives de l'intendance sacrée de Délos* p. 39 memorat amphoram auream quam vovit Ptolemaeus ante ann. 306: *Πτολεμαῖος Λάγου Μακεδὼν Ἀφροδίτει* Idem *Bull. Corr. Hell.* VI. 1882 p. 159 enumerat phialas quae tum a regibus ipsis suo nomine tum a Ptolemaeis una cum civibus Alexandrinis quotannis dedicatae erant.

donis votivis colit, Graecorum Dianam servatricem salutat in promunturio Zephyrio, urbem Alexandriam Graecorum deorum templis ornat, Timotheum Eumolpidam Athenis arcessit ut Thesmophoria rite instauret in templo Cereris recens condito; quam deam quanta pietate homines Graeci adoraverint, inscriptiones etiam nunc declarant [1]). Denique cum Ptolemaeum conspicimus Graecis philosophis poetis artificibus circumdatum, ac cum Demetrio peripateticorum alumno occupatum in condendo Museo Alexandrino, quod ipsius Academiae peripateticae referret exemplum, nobis quidem parum caute iudicasse illi videntur qui censeant ad commiscendum Aegyptiorum cultum mores artem cum Graecis consilia Ptolemaei Lagidae contendisse [2]).

Verumenimvero Graecae religionis dominationi non solum ab Aegyptiacis sacerdotibus pericula impendebant. Multi enim consurgebant scriptores qui, partim fortasse ab ipsis sacerdotibus incitati, partim ea philosophia duce, quae ad easdem origines singularum gentium deos referre studebat, data opera Graeca cum Aegyptiacis miscerent: Amometi illi ac Manethones, prae ceteris autem Hecataeus [3]) philosophus ille mobili ingenio omnium scholarum doctrinas coniungens, quem frusta Diogenes Laertius Pyrrhonis sectatoribus adscribit. Cum eiusmodi hostibus manum conserere opus erat, si quis antiquae Graecorum religionis patronus dici volebat; ab eiusmodi libris timendum erat, quippe qui ad unam eamque humanam originem omnium populorum cultus religiones deos referentes ex Aegyptiacis Graeca, ex remotis cognita derivarent, et duce philosophia, modo Ionica modo stoïca, ex sacerdotum Aegyptiacorum libris reconditis cosmogoniam vere Graecam eruere posse sibi viderentur. [4])

---

[1]) Lumbroso *l'Egitto al tempo dei Greci ecc.* p. 107; Néroutsos-Bey *l'Ancienne Alexandrie*, Append. n⁰. 57 et p. 110.

[2]) Quod in hac re recentiores fecerunt Ptolemaei, id saepius iniuria iam Lagi filio tribuitur. Certe non de primo Aegypti rege Graeco valet quod scribit Schreiber (*die Götterwelt Alexandriens* in *Verhandl. der* 40sten *Versamml. Deutscher Philologen u. Schulm.* p. 307: „*Hier in Aegypten bietet sich zum ersten und einzigen Mal das Beispiel der Einführung einer* Staatsreligion *deren Kultapparat mit festem Ritual und den nötigen ἱεροὶ λόγοι nicht aus dem Mutterlande einfach übernommen, nicht κατὰ τὰ πάτρια eingerichtet, sondern aus griechischen und fremden Elementen zusammengesetzt und* nach politischen Erwägungen officiell redigiert *worden war.*"

[3]) E. Schwartz *Hekataeos von Teos* in *Rhein. Mus.* XL. 222 sqq. — Gruppe *die Griechischen Culte und Mythen* cum p. 422 iure reicit opinionem Krallii, Manethonem a Diodoro esse excerptum (*Manetho und Diodor* Vindob. 1880), ipse argumentis haud magis firmis evincere conatur Hecataeum sua debere Manethoni.

[4]) De Hecataei cosmogonia disputavi *Mnem.* N. S. XXII. p. 30 sqq.

Quid porro Olympi splendorem magis poterat obscurare quam talis philosophia quae, ut Euemeri inventa atque Stoicorum placita, sive funditus deos tollebat, sive in physica elementa personas numinum dissolvebat? Quam facile Aegyptiacae religionis vis atque auctoritas praevalebat, cum apud ipsos quoque Graecos glisceret opinio, omnium populorum deos idem valere, aut aeque nihil valere, puerilia esse antiquorum de dis suis inventa, graviores esse et digniores, quos adirent precando, arcanos illos ac severos Aegyptiorum deos quorum ne nomina quidem intellegere mortales possent.

Et profecto iam altero Ptolemaeo regnante Aegyptiacae religionis apud Graecos auctoritatem paulatim augeri videbis. Rex ipse, patris exemplum temporumque mores secutus, sedulo id egit, ut Aegyptiis ipsis videretur Pharaonum insistere vestigiis. Heroopoli templum renovavit, Deorum huius loci imaginibus suum atque uxoris suae simulacra addi si non iussit at sivit tamen, Deos Aegyptiacos olim a Persis raptos sedibus patriis reddendos curavit, Arsinoe urbe condita cultum sibi atque uxori ex more Aegyptiaco instituit, sorori Philoterae divinos honores tribui iussit cella Memphi dedicata, ipse suum numen Ammoni Chnubi apposuit in templo Elephantino, Isidem autem tam Philis quam in inferiore Aegypto, haud procul a Sebennyto, templo donavit[1]) Hancce munificentiam magnopere extollere solebant sacerdotes, ut Aegyptiam religionem commendarent, idque eo magis quoniam regis exemplo incitati mox Graeci Macedonesque, qui Lagidarum imperium mercandi sive militandi causa peragrabant, pietatis signa in sacris Aegyptiis ponere frequentius coeperant[2]). Sane qui aderant spec-

---

[1]) De inscriptione Heroopolitana, anno 1883 a Navillio reperta et ab Ermanno primum edita in *Aeg. Zeitschr.* XXXII. 74 vide Wiedemann *Philol.* 1888 p. 83 sqq. et Köhler in *Sitzungsberichte der Preussischen Akademie* 1895 p. 966—974. De Philotera Memphi culta Mahaffy *Emp.* p. 1. 16. Philae id. p. 489. Ammon Chubis in insula Elephantine Drexler *Myth. Beitr.* I. p. 61, Strack *Dyn.* p. 266.

[2]) Anubis, quem Graecis commendare eo studebat Hecataeus quod fratrem eum dixit Macedonis (Diod. I. 18) frequenter in inscriptionibus Graecis Aegypti, cum Iside ac Osiride plerumque coniunctus, occurrit (cf. Drexler *Mythолog. Beiträge* I. 3. Pietschmann apud Pauly-Wissowa i. v.), non tamen nisi serius cum Graecorum Mercurio compositus est. Mendes deus in ipsa urbe Alexandria sacello donatus est a primis Ptolemaeis (τὸ Βενδιδεῖον cf. Drexler in Roscheri lexico i. v.). Ptolemaeus Philadelphus cultu Aegyptiaco hunc deum adorans in lapide conspicitur Mendesio, idem ipse se „sanctissimi arietis prolem" nuncupavit (Wiedemann *Herodots zweites Buch* p. 218). Deum Chem inde a Ptolemaei Philadelphi aetate haud procul ab Apollinopoli magna, ipsius regis exemplo,

taculorum magnificentiae quibus Ptolemaeus alter, fortasse statim postquam regiam dignitatem a patre accepit, Dionysi (dei gentilis sui) maiestatem celebravit, in pompae splendore vix unum alterumve conspexerunt, quod Aegyptiacos usus respiceret: *Pen-teteridis* deam manu gestantem perseam, quae arbor Isidi dedicata est, tum aras manibus portatas, quod Graeci moris non erat; ceterum nihil quod a Graecis, istius quidem aetatis, alienum esset; nisi quod ipse splendor supra deorum maiestatem reges efferre nonnullis videbatur et dignitati religionis non nihil derogare [1]). Sed post primos imperii annos paulatim augebatur Aegyptiacae religionis auctoritas, faventibus, ut ad externa sacra erant procliviores semper mulieres, matronis regiis. Quid si ipse Rex, qui iam regni initio ex aula propulerat Demetrium Phalereum artium literarumque Graecarum egregium patronum, qui mox Manethonem sacerdotem Aegyptium res divinas Aegyptiorum Graeco sermone exponere iusserat, qui honores divinos Aegyptiaco ritu tam sibi quam sorori Arsinoae magis magisque oblatos gratus accipiebat, ceteroquin homo in quo patris animum virilem nemo nisi aulici poetae, adulatione occaecati [2]), conspicabatur, quid, si Philadelphus, quamvis *μουσικώτατος* et Apollini carus iure diceretur, Graecos deos Aegyptiacis anteponere iam desineret?

Antiquae Graeciae heredes qui sibi videbantur, poetas dico ex museo, acriter hisce atque eiusmodi innovationibus restiterunt. Itaque qui hodie Aegyptiacae religionis progressum apud Graecos Aegyptum incolentes explorare volunt templorum rudera consulant, inscriptiones tam Graecas quam Aegyptiacas adeant, papyros perlegant necesse est; at poetas Alexandrinos de hac re tacentes videbunt. Quidquid moliuntur novarum rerum studiosi sive historici scriptores sive geographi, poetis — saltem antiquissimis — Graeca solum placent. Valet hoc de Arato atque Apollonio, at de nullo magis

---

a Graecis cultum esse nomine Panis constat, cf. Puchstein *Epigr. Graec. in Aegypto reperta* (Dissert. Argent. IV) p. 49 Reginam autem Arsinoen Isidis nomine salutatam esse a cive Alexandrino quodam efficit Strackius ex titulo Alexandrino *Ἶσιδι Ἀ]ρσινόῃ [Φιλαδέ]λφωι* etc. *Dynastie der Ptolemäer* p. 224 n°. 80; incerta tamen suspicio. Tandem huc pertinet, quod iam Philadelpho regnante, si recte coniecit Letronne *Recueil* p. 407, in urbe Apollinopoli magna deus vere Aegyptiacus invocatus est ab homine Graeco: C. I. G. 4886 *Πτενσήνει Θεῶι μεγίστωι Πτολεμαῖος ὁ γραμματεὺς τῶν δυνάμεων.* — Parva haec dedicationum quae ad Aegyptiacos deos pertinent copia est prae abundantia seriorum temporum.

[1]) Callixenus Rhodius fr. 2 Müller F. H. G. III. 58 sqq.

[2]) Call. *in Del.* 170 *ὃ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός.*

verum est quam de Callimacho, qui inprimis per hymnos tum quoque per cetera carmina ea de rebus divinis docere non destitit quae maxime cum prisca Graecorum antiquitate convenire persuasum habebat. Ut in sermone enim hymnorum Homerum ceterosque epicos antiquiores diligenter imitatur, sic in rebus divinis a priscis institutis deflecti vetat; atque ita in nova et renata Graecia Alexandrina contra innovatores cuiusque generis indefessus ac sibi constans veteris religionis extitit defensor.

Qua ratione usus sit in illo deorum graecorum patrocinio, exponere conabor hanc ingressus viam ut ostendam primo loco Graecis originibus deos vindicari a Callimacho, deinde eos ab innovatorum inventis ab eo defendi et ab exteris elementis integros ac puros servatos tradi. Tandem quatenus licebit religionis Callimacheae indolem adumbrabo.

II

Deorum Graecorum qualis cognoscatur ex Callimachi hymnis vis ac natura quaerere, id vanum esset et inutile opus, si eadem licentia in tradita mythologia mutanda augenda usi essent Alexandrini antiquiores quae postea floruit apud poetas Romanos. Ingenium enim poetarum tunc fortasse illustraret investigatio nostra, at minime religionem eorum. Sed alia est ratio in Callimacho. Non enim proprio usus ingenio nova fingit sed memorat antiqua: quae veterum testimonio firmata sunt ea tradit, inaudita non profert.

Data opera in singula numina inquirere et multis describere unius cuiusque dei personam qualem Callimachus dederit, eam ipsam ob causam, quod semper antiqua sectatur poeta, libenter omittimus; raptim indicare satis erit quidnam de summis deis diserte per hymnos praesertim praedicaverit. Quo breviter indicato facilius inquiremus, quonam consilio ductus hunc deum praecipue laudaverit, illum neglexerit, alias fabulas coluerit, reiecerit alias, hoc prompserit, illud reticuerit.

Iovis Apollinis Dianae numina prae ceteris laudibus effert Callimachus, singulis hymnis eos celebrans, in quibus tamen mythologiam magis quam theologiam colit. Brevissime haec de Iove primo hymno exponuntur: natum Iovem in Arcadia, mox inde in Cretam nympharum opera transductum, nutritum lacte caprae Amaltheae; post cum celeriter ad puberem pervenisset aetatem, divisisse mundi regnum cum fratribus, ei autem iure obvenisse caelum imperiumque regale. Quapropter ex eo pendere cetera, eum regibus praesidere, gubernare omnia.

Apollinis numen effertur hymno quarto ac praecipue secundo, abundantius paulo quam Iovis. Fingit enim poeta adpropinquantem templo suo deum per epiphaniam et versuum numeris fere paribus eius facultates singulas celebrat. Laetam extollit dei maiestatem, qua praesente per maria omnia ac terram *εὐφημία* regnet, sileatque luctus omnis. Summam potestatem memorat Phoebi qui ad dexteram Iovis sedem positam habeat. Gratos vultus ac formam venustam laudat habitumque decorum, (II. 36) quibus Apollo

ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος· οὔποτε Φοίβου
θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς,
αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδοι λείβουσιν ἔλαια.

Tum celeri cursu variae Phoebi enumerantur laudes. Medicinae praeses est, sagittariorum princeps, huic deo lyra cantusque parent, vaticiniorum inventor est ac dominus [1]). Et sicuti ab Homeri temporibus usque *τῶν ἀρρένων* fuerat *κουροτρόφος* [2]) quocum, ut ab Hesiodo relatum erat, nymphae curam iuventutis habebant, ita *κουροτρόφος* est Callimacho. Porro *Νόμιος* est, tum urbium coloniarumque conditor, Boedromius nonnullis, aliis Clarius, ipsi poetae Carneus, omnibus vero Paean.

Longo Dianam exornat hymno; cuius tamen si epicas ambages, de quibus posthac dicendum erit, recidimus, manet, quam cantavit, Venatrix semper virgo, Lucifera montium custos, Latonia Lucina, praeses urbium et conditrix, quam coetu Oceaninarum Pater condonavit, armis instruxit Volcanus; primis venationis laudibus ornavit Arcadia, quam Thracius Haemus curru, face aeterna Olympus Mysius ditavit; quae arcu impios ac scelestos invadit [3]), at protegit eos qui

---

[1]) *Θριὰς* quoque Apollini tribuit Callimachus II. 45. De quibus haec refert Zenobius (*Proverb. cent.* V. 143): „*Φιλόχορός φησιν ὅτι νύμφαι κατεῖχον τὸν Παρνασὸν τροφοὶ Ἀπόλλωνος τρεῖς καλούμεναι Θριαί, ἀφ' ὧν αἱ μαντικαὶ ψῆφοι θριαὶ καλοῦνται. ἄλλοι δὲ λέγουσι τὴν Ἀθηνᾶν εὑρεῖν τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικὴν, ἧς εὐδοκιμούσης μᾶλλον τῶν Δελφικῶν χρησμῶν τὸν Δία χαριζόμενον τῷ Ἀπόλλωνι ψευδῆ κατασῆσαι τὴν ψήφων μαντικήν.*" Neutra opinio placet Callimacho, quamquam et ipse Athenam quoque hymno V vaticinandi dote ornat. Neque magis poetam homerici hymni in Mercurium sequitur qui Thrias cum Mercurio coniungit (vs. 552 *sqq.*). Causa in aperto est. Vaticinandi enim facultatem a Iove ipso filio datam esse censet.

[2]) Cf. τ. 86, *ἀλλ' ἤδη παῖς τοῖος Ἀπόλλωνός γε ἵκηται* (vide scholl. et cf. Hesiod. *Theog.* 347 *sq.*).

[3]) Eo titulo *Τιτυοκτόνος* quoque audit III. 110. Tityi caedes cum saepius ab Apolline et Diana coniunctim perpetrata esse dicebatur, nunc placuit Callimacho *Λητωίδι Παρθενίᾳ* illius poenae gloriam dare. Fortasse id ei suasit Pindarus *Pyth.* IV. 90 „*καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνὸν ἐξ ἀνικάτου φαρέτρας ὀρνύμενον.*"

iura colunt concordiae, sicuti iam a poeta homerici hymni in Venerem dicebantur cordi esse Dianae (vs. 20):

ἄλσεά τε σκιόεντα δικαίων τε πτόλις ἀνδρῶν.

Sequitur longa series urbium terrarumque, quae variis cognominibus deam colunt, sive Eunomia est, sive Nesiotis, sive Taurica, de quibus omnibus, qua ratione ductus singula enumeraverit poeta, infra operam dabimus ut investigemus.

Praeter haec tria numina saepissime quidem ceteros deos memoravit poeta, ad quos diversae causae in huius disquisitionis cursu nos deferent, sed pauca tantum sunt indicanda de eorum universa natura. Primo enim obtutu cum vulgata antiquorum mythologia convenire eorum personas videbis.

Ita Iunonem habes uxorem coniugi invidiosam, memorique semper ira commotam in omnes mulieres, quas Iuppiter amore dignatus erat; infestam Herculi dum vixit inter mortales, postea Iovis iussu quamvis invito animo cedentem de ira [1]). Qua convenit dignitate ornat Iovis uxorem. Ut solebant fere Alexandrini magis etiam quam antiquiores poetae unumquemque deorum certa quadam virtute aut dignitate ornare, ut singulas quoque animi humani iras ac virtutes singulis fere addicere solebant numinibus, et iam eo ventum erat ut ipsa castitas Diana esse videretur, ipsa voluptas Aphrodite, ita vim efficacem tragoediae Euripideae subit in Iunonis quoque persona poesis Alexandrina. Invidia enim fere Iunonis nomine indicatur. Neque tamen omittitur regia dignitas. Salutat enim dominam Iris in hymno IV. vs. 218

Ἥρη τιμήεσσα, πολὺ προὔχουσα θεάων,
σὴ μὲν ἐγὼ, σὰ δὲ πάντα· σὺ δὲ κρείουσα κάθησαι
γνησίη Οὐλύμποιο.

Simul, ut ferunt Alexandrinae elegantiae leges, recidit in Deae imagine quae nimis horrida videntur; premit silentio fabulam de Typhoeo ex sola Iunone secundum quorundam narrationes nato [2]); porro tam sedulo cavet ne Lucinae munus tribuatur Iunoni [3]), ut in

---

[1]) IV. 106, 124, 203. Herculi infesta fr. 108. Callisto fr. 385.

[2]) Anguem Delphicum Typhoea nomine e sola Iunone natum Stesichorus tradiderat (Etym. magn. 772. 50 *Τυφωέα γενεαλογεῖ Ἥρης μόνης κατὰ μνησικακίαν Διὸς τεκούσης αὐτόν*), quae genealogia addita est ab altera manu hymno homerico *in Apoll.* 305 *sqq.* Apollonio Rhodio Callimachoque aeque nomen ac genealogia displicet. Dicitur ab iis Delphicum monstrum Delphyna (*Argon.* II. 706 Call. fr. 364); silentio premitur fabula de ortu ex Iunone. Hymn. V. 92 *ὄφις μέγας*, II. 101 *αἰνὸς ὄφις* dicitur; sed. fr. 364 aperte femininum genus indicatur.

[3]) Hymn. *in Del.* 255—259 cum hymn. hom. *in Apoll.* 96 et Hom. *T.* 119.

hymno Deliaco locum homerici hymni in Apollinem imitatus, qui narrabat a Iunone prohibitam esse Ilithyiam ne adstaret Latonae parturienti, consulto ipsam Ilithyiam removerit. Cum enim nascitur Apollo, adest Deliadum nympharum coetus cantantium *Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος*, sed nec adest Ilithyia nec retinetur a Iunone. Nonne ita poeta data opera rem ipsam immutans cum versus antiquos imitaretur, diserte indicavit sibi non probari theologumena quae ferebantur de Iunone Lucina (*Ἥρα Εἰλείθυια*)?

Ut mater deorum ab antiqua mythologia vix differt, ita servat fere homericam imaginem Ares; nec mirum, quippe qui per temporum lapsum sibi constans vix dederit copiam Callimacho ut contra innovationes sive poetarum sive theologorum eum defenderet. Bellatorum patronum (hymn. *in Iov.* 77) Iunone ortum docet, itaque, licet eum vocet Enyalium in Aetiis (fr. 2), nondum tamen Enyus eum dixit filium, quod recentiores fecerunt. Homeri autem memor qui Patrem *E.* 890 ita fecit filium increpantem „*ἔχθιστος δέ μοι ἔσσι θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι*", non praetermittit in hymno Deliaco hanc praecipuam indicare causam, qua tantopere infesta esset Iuno Latonae, quod ea

Ζηνὶ τεκεῖν ἤμελλε φιλαίτερον Ἄρεος υἷα [1]).

Homerico Marti similem nobis Enyalium depingere hoc loco pergit poeta, Homeri etiam verbis in imagine sua usus (*E.* 355), atque in eo tantum augere homerica ausus quod disertius Thracicam dei originem indicat et, dum „*ἑπτάμυχον Βορέαο παρὰ σπέος*" Martis equos pasci dicit (vs. 65) haud dubie significat, equos illos ab ipso Borea genus ducere, aeque ac post eum fecit Quintus Smyrnaeus (VIII. 243)

τοὺς Βορέῃ κελάδοντι τέκε βλοσυρῶπις Ἐριννύς [2]).

Sufficiunt exempla Iunonis et Martis ut ostendatur, quam accurate ad poetarum antiquorum mythologumena se applicet poeta nisi vetare videatur accurata cultuum investigatio. Plus enim quam poetarum valet apud eum locorum ac urbium auctoritas, sive cultu suo

---

[1]) Hymn. *in Del.* 58. Hoc quidem versu licebit suspicari spectasse poetam Lagidarum familiam. Nam diserte vs. 165 cum Apolline componit *ἄλλον θεὸν*, Philadelphum Phoebo haud dissimilem, erat enim *μουσικώτατος*. Ptolemaeum autem Ceraunum, virum *τολμηρίᾳ* et *ἀπονοίᾳ* diffamatum, cui quamvis minorem natu Philadelphum pater praetulerat, subtecte, nec tamen obscure, nostro loco poeta indicat. Verum in transitu tantum, et uno versu neque, quod numquam fecit, per longiorem carminis partem.

[2]) Ut in ceteris dis minoribus ita in Marte ultra antiquorum usum metonymiae licentia utitur Callimachus: IV. 173 *Κελτὸν Ἄρηα* de Gallorum invasione fr. 226 *Αἰτωλὸν Ἄρηα* de certamine propter aprum Calydonium orto dixit.

memoriam a poetis diversam servant, sive nomine vel usu quodam ad aetiologiam, huius aetatis poetis gratissimam, viam praebent.

Talis plerumque subest causa, cum ab homerica mythologia longius discedit poeta. Aptum praebet exemplum Volcanus, cuius dei persona parum constabat sibi apud poetas, et lapsu temporis facile evanescere poterat in illud elementum cui praeerat. Exposuerat de eo philosophorum opiniones quas ipse probabat Hecataeus ita (Diod. I. 12) „*τὸ δὲ πῦρ μεθερμηνευόμενον Ἥφαιστον ὀνομάσαι νομίσαντας μέγαν εἶναι θεὸν καὶ συμβάλλεσθαι πᾶσιν εἰς γένεσίν τε καὶ τελείαν αὔξησιν*". Eadem philosophorum cogitata suo more reddiderant Orphici poetae cum ignipotentem dixerant „*κόσμοιο μέρος στοιχεῖον ἀμεμφές*", salutarantque ita ignem caelestem (*hymn.* 65)

αἰθὴρ ἥλιος ἄστρα σελήνη φῶς ἀμίαντον.

Quantopere tales philosophorum physicorum syncretismos respuat Callimachus, inprimis cum inserviant conanimibus *τῶν αἰγυπτιαζόντων* [1]), infra pluribus ostendam. Nunc, quid in Hephaesto constituerit, videamus. Optio facienda erat poetae ex duobus traditionibus quas dederat Homerus. Utramne eliget, num eam quae *A.* 590 exponitur, Volcanum propter auxilium matri latum ab ipso Iove deiectum ex Olympo devenisse Lemnum, an alteram quae legitur *Σ.* 395 ubi Hephaestus profitetur e caelo se decidisse *μητρὸς ἰότητι* quae graviter ferret claudicare filium ex se natum, receptum autem se esse a Thetide ac Eurynoma?

Posterior locus magis quam ille Callimacho placuisse videtur, latebras enim Oceani quas *Σ.* 400 describit Hephaestus

τῇσι παρ' εἰνάετες χάλκευον δαίδαλα πολλὰ,
πόρπας τε γναμπτάς θ' ἕλικας κάλυκάς τε καὶ ὅρμους
ἐν σπῆι γλαφυρῷ· περὶ δὲ ῥόος Ὠκεανοῖο
ἀφρῷ μορμύρων ῥέεν ἄσπετος,

suis verbis conatus est reddere tam in quarto hymno, (vs. 139 sqq) quam in tertio (vs. 74 sq.); neque vero in Lemno (quod fecit Apollonius Rhodius I. 850 sqq) sed in mari Siculo dei officinas posuit. Officinas enim Volcani iam diu antiquiores quoque poetae ex Olympo revocarant in terram, quamquam in narratione mythologica id condonabant arti ut ipsum deum etiam nunc in Olympo

---

[1]) Hecataeus enim, cum constaret apud Aegyptios (cf. Herod. II. 144) deos olim in terra regno esse functos, rem convertit et — Xenocratis antiquaeque academiae doctrinam secutus (Plut. *Is.* c. 25), simul cum Stoicis conspirans (Cic. *nat. deor.* I. 15. 38, 39; II. 24. 63) — mortales ad divinam dignitatem processisse docuit.

habitantem depingerent. Neque igitur cum Apollonio pugnaturus erat noster, quod ille (III. 41) domum Volcani in Olympo collocavisset at ita narrando perrexisset:

> ἀλλ' ὅ μὲν ἐς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἦρι βεβήκει
> νήσοιο πλαγκτῆς εὐρὺν μυχὸν, ᾧ ἔνι πάντα
> δαίδαλα χάλκευεν ῥιπῇ πυρός· [1])

sed ipsum locum ubi versari putandus erat deus ignipotens ad terram revocavit [2]). Quod quamvis antiquissimis poetarum testimoniis adversaretur, facile tamen sibi persuasit a terrestri igne non esse separandum Volcanum, quoniam ex iis regionibus Graeciae quae ignibus arderent subterraneis nullam non sibi tamquam indigenam hunc deum arrogare videbat. Ex quibus nulla tam digna videbatur ei, quam Volcanus habitaret quam mare Siculum, atque parvula insula Lipara, „*Λιπάρη νέον, ἀλλὰ τότ' ἔσκεν οὔνομά οἱ Μελιγουνίς*" (III. 47). Nomen ipsum Meligunida praeceptori debet Philetae. Quod autem eam insulam praecipue selegit, ni fallor id vix aliae causae tribui licebit quam eruditioni. Legerat ipse lectumque refert, secundum Theophrastum *τὴν περὶ τὰς Αἰόλου νήσους ἀναζεῖν οὕτως ἐπὶ δύο πλέθρων τὸ μῆκος, ὥστε μὴ δυνατὸν εἶναι διὰ τὴν θερμασίαν ἐμβαίνειν εἰς ταύτην* (fr. 100[f] 4), nec minus, opinor, moverunt eum miracula quae Callias, Agathoclis aequalis de insula Lipara narraverat, itemque Pytheas Massiliensis. Hic enim docuerat fuisse apud Liparenses antiquam opinionem „*τὸν βουλόμενον ἀργὸν σίδηρον ἐπιφέρειν καὶ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ ἢ ξίφος λαμβάνειν ἢ εἴ τι ἄλλο ἤθελεν κατασκευάσαι, καὶ τὸν μισθὸν ἀπεδίδου*". Grato animo hanc traditionem accepit poeta, et in Lipara insula Volcani officinas collocavit quia simul Hephaesti religioni Liparensi summa antiquitas vindicari videbatur fabula populari, simul egregia offerebatur occasio derivandi nominis recentioris quo insula indicabatur, antiquitus Meligunis semper dicta. Nonne enim Pytheae narratio perspicue docebat nomen Liparen *ἐκ τοῦ λιπαρὸν ποιηθῆναι τὸν σίδηρον* esse derivandum? [3]).

---

[1]) Ipsa Apollonii verba exscribo quod apparet ex imitatione, Rhodium poetam apud Homerum Σ. 400 non *πολλά*, sed cum Zenodoto *πάντα* probasse. Quod autem Apollonius duobus locis (I. 850 et III. 40) tam parum sibi constat, id prorsus convenit cum solita eruditione poetae persaepe diversis locis diversa docentis.

[2]) Platonis Protagoras nondum e caelo Volcani officinam removerat (321. cf. *Polit.* 274); attamen iam Aeschylus de Aetna *Prom.* 366 *κορυφαῖς δ' ἐν ἀκραῖς ἥμενος μυδροκτυπεῖ Ἥφαιστος* (Call. III. 49 „*ἱσταότας περὶ μύδρον*") — cf. quoque Pind. *Pyth.* I. 25 et de ceteris Rapp. apud Rosch. I. 2072.

[3]) Cf. Schol. ad Apoll. Rhod. IV. 761 et schol. ad Call. III. 47.

Cyclopes, ipsis nominibus consanguinitatem cum fulminis deo prodentes, cum

Iam docet hoc unum exemplum, cui plura infra addentur, quaenam ratio plurimum in dis fabulisque tractandis valeat apud Callimachum. Non poetarum testimonia, non ipsa a patribus tradita sacra unquam tantam ei habent auctoritatem quam sancta et antiquissima locorum nomina, propter occultas saepe causas mutata.

Perpauca sunt quae de ceteris dis deabusve in universum post haec moneri operae pretium est. Athenae Argivae imago hymno quinto, Cereris numen hymno sexto delineata non nisi vulgo decantata mythologumena praebent. Memoratur Athena Gigantum victrix, casta virgo cui displicent unguenta speculumque carum Veneri, χρυσεοπήληξ illa περσέπολις, dilectissima Iovis filia, quam nulla peperit mater. Ceres autem πολυτρόφος est et πουλυμέδιμνος, praeses agrorum ac frugifera, cui curae sunt arbores atque omnis agri fructus, quae cum frugibus greges quoque alit, et cum messe pacem tutatur, „ἵν' ὃς ἄροσε τῆνος ἀμάσῃ" (VI. 138). Venerem autem modo Aphroditen dixit, modo Κύπριν nominat, sed propter hoc Κύπριδος nomen accurate iudicium suum de deae origine indicat, cum IV. 21 insulae Cypri mentione facta adicit de Aphrodite „καὶ ἣν ἐπενήξατο Κύπρις ἐξ ὕδατος τὰ πρῶτα", quibus verbis adversatur Hesiodo qui docuerat (*Theog.* 192)

πρῶτον δὲ Κυθήροισιν ζαθέοισι
ἔπλητ', ἔνθεν ἔπειτα περίρρυτον ἵκετο Κύπρον.

Ita enim mutat Hesiodea, ut omissa Cytherae insulae mentione omni disertis dicit verbis, primum Cyprum advectam esse deam. Nonne ad externam Veneris originem haec spectant? Nonne eam significant deam, de qua Cicero (*nat. deor.* III, 23.59) monet: „*Syria Cyproque concepta, quae Astarte vocatur*"? Certe minus quam ceterorum numinum Veneris sibi constare personam iudicat; „ἡ θεὸς γὰρ οὐ μία" fr. 82[b] monet, et distinxisse quodammodo videtur inter amoris deam illam cuius operibus plenae sunt poetarum narrationes, cuius iussu Cydippe malo petitur, cui filius est Cupido, cuius deae persona abit fere in ipsum Amorem, atque Aphroditen

---

iterum huic deo adiunxit poesis Alexandrina omnia fere iis attribuit propter quae olim Hellanicus (fr. 176) tria genera distingui iusserat. Itaque a Mycenarum conditoribus artem, a Polyphemi comitibus vultum ac figuram, a dis Cyclopibus immortalitatem habent Cyclopes Callimachei, qui ceteroquin minora cum Homericis quam cum Hesiodeis (*Theog.* 139) habent communia. — Imitatur versus Callimacheos de Cyclopibus (hymn. III. 47 *sqq.*) Apollonius I. 730 et multo liberius Vergilius *Aen.* VIII. 426.

illam deam ex oriente in Graecas regiones advectam, cuius cultus Deliacus memoratur IV. 308 [1]).

Conveniunt fere haec omnia cum ea mythologia, quam poetarum scriptis traditam noverant omnes homines eruditiores; immo tanta est in iis cum vulgatis mythologumenis concordia, ut neges fortasse singulari disquisitione digna esse. Sed certa est ratio, quam in rebus divinis exponendis sequitur poeta; certo consilio ex ingenti et confusa fabularum farragine alia reicit alia elegit.

Eam rationem exponere operae pretium est, ut possit disquiri qualem fere religionis formam Alexandrinis civibus commendaverit Callimachus.

---

[1]) Aphrodite Deliaca „ἀρχαία" dicitur a poeta. Antiquum eius simulacrum cum a Theseo e Creta advectum esse memorat, premit vestigia Dicaearchi apud Plut. *Thes.* c. 21. Quoniam vero — teste Pausania IX. 40. 3 — Deliacum Veneris signum κάτεισι ἀντὶ ποδῶν εἰς τετράγωνον σχῆμα (sicuti τὸ τῆς Οὐρανίας Ἀφροδίτης ἄγαλμα quod Athenis asservabatur in templo Veneris quae dicitur ἐν κήποις) externa huius deae origo vix latuit Callimachum, qui alibi quoque orientis usus in Veneris cultu (non sine irrisione quadam) memorat fr. 82[b]. De Arsinoe Aphrodite infra erit dicendi locus.

III

Quam curam constanter adhibuit Callimachus ut sermonis colore ac dictione antiquissimorum poetarum indolem cum arte redderet, eam haud minus sedulo in mythologia tractanda observat. Eodem igitur studio quo in hymnis pangendis priscorum vatum vestigiis insistebat, in dis Graecis cantandis operam dedit, ut Graeciae numina, quibus in republica Alexandrina ius optimum civitatis vindicare volebat, ad Graecas origines referret, et quantum per eruditionem ingentem atque indefessam valuit, exquireret apud quosnam cives antiquissimo cultu quisque deorum gauderet.

Ducitur in ea re nonnumquam antiquorum poetarum auctoritate, Hesiodi potius quam Homeri, interdum quoque Pindari, cuius magna fuit apud Alexandrinos gratia. Saepius autem quam poetas sequitur eas traditiones quas cum ipso sacrorum locorum cultu coniunctas esse sive praesens audierat sive ex periegetis didicerat. Eas contra novatores fortiter defendit.

Militantem poetam iam habes primo hymno cum disertis verbis exponens placita sua, acri animo in eos invehitur qui cetera omnia censeant. Cantanda erat laus Iovis — verum cuiusnam? Omnium primum hoc tenere quemvis oportebat auditorem: eum Iovem quem Callimachus suis ostenderet, arctissimis vinculis cum antiqua Graecia ipsa esse coniunctum, non *Δία Ἥλιον Σέραπιν* quendam cantari, non Stoicorum *Ζῆνα*, ita dictum quoniam aether divinus „*τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστι*", sed Olympium illum qui regno potitus erat Titanibus superatis:

Πηλαγόνων ἐλατῆρα δικασπόλον οὐρανίδησι. [1])

[1]) Call. *in Iov.* 3.

Qui autem huius dei laudes instaurat, Cretaene gloriam Iovis recens nati concedat, an Arcadiae? Dictaeumne cantabit an Lycaeum? Rem difficilem; „ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον". Nam profecto si poetas audies, Iovisve sacerdotes Cretenses, vel etiam ipsum sanctissimum vatem Epimeniden, Ζεὺς Κρηταγενὴς cunctis suffragiis Arcadem Iovem superare videbitur [1]). Callimachus vero Alexandrini saeculi et Musei dignissimus alumnus in poetarum verba eo minus iurandum iudicabat, quia ne antiquissimi quidem rerum divinarum praeceptoris de hac re disertissimum videbatur testimonium. Caute enim rem obscuram Hesiodus enarraverat:

Vs. 476. πέμψαν δ' ἐς Λύκτον, Κρήτης ἐς πίονα δῆμον,
ὁππότ' ἄρ' ὁπλότατον παίδων ἤμελλε τεκέσθαι,
Ζῆνα μέγαν· τὸν μέν οἱ ἐδέξατο Γαῖα πελώρη
Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ τραφέμεν ἀτιταλλέμεναί τε.
480 ἔνθα μιν ἶκτο φέρουσα θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν
πρώτην ἐς Λύκτον· κρύψεν δέ ἑ χερσὶ λαβοῦσα
ἄντρῳ ἐν ἠλιβάτῳ, ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης,
Αἰγαίῳ ἐν ὄρει, πεπυκασμένῳ, ὑλήεντι. [2])

Verecunde arcanis abstinuit antiquus poeta, nec accurate, ut noster, ipsos partus Rheae enarravit; quo factum est ut liceret in utramque partem accipere versus 479 *sqq.* Nam potuit sane Hesiodus iis versibus indicare quod eum indicasse plerique iudicarunt veluti Apollodorus, qui I. 1. 5 aperte interpretatus Hesiodum scribit: „Ῥέα παραγίνεται μὲν εἰς Κρήτην ὀπηνίκα τὸν Δία ἐγκυμονοῦσα ἐτύγχανε, γεννᾷ δὲ ἐν ἄντρῳ τῆς Δίκτης Δία". [3]) At aliis fortasse,

---

[1]) *Ζεὺς Κρηταγενὴς* in foedere inter civitates Cretenses pangendo invocatur C. I. G. 2554; et etiamsi diserta absunt testimonia, affirmare licebit Epimeniden Creticas dei origines docuisse. Eum igitur a nostro oppugnari vere contendit Maass. *Aratea* p. 343. Ulterius autem minus recte vir sagacissimus progreditur cum addit: „*Dubitaverat de Epimenideae fabulae fide ac veritate Aratus. Nullum dubitationi locum relinquendum esse et fraudem agnoscendam professus est item in pueritia Iovis describenda Callimachus.*" Fac enim Arati verbis quae laudat Maass.: „*εἰ ἐτεὸν δή*" *sqq.* (*Phaen.* 30 *sqq.*) dubitationem indicari (id quod vix putaverim cl. Hom. *E.* 104; *N.* 153) vides tamen ipsam rem de qua dubitasse Aratum dicit Maassius, scilicet educationem Iovis Cretensem, probatam esse Callimacho; contra de ea re quam impugnet Callimachus, scilicet natum esse in Creta insula summum deum, prorsus tacere Aratum.

[2]) Hesiod. *Theog.* 476 *sqq.*; vs. 480 Rzachius optime ex Bodl. restituit *μιν* pro *μίν*. Schol. ex emendatione Hermanni: „*ἦλθε φέρουσα τὸν <Δία> διὰ νυκτός*". Igitur scholiasta quoque ita obscuros versus accepit, ut poeta narraverit Iovem *iam natum* (a matre?) Lyctum esse portatum. — Theogoniae autem verba spectari a Callimacho dum Arcadicam Iovis originem exponat, assentietur quicunque hymni versus 10 *sqq.* cum Theogonia comparabit.

[3]) Diodorus lib. V. 70 Euemeristarum ratione res Cretenses exponens eadem refert.

cum vs. 481 ita acciperent, ut Iovem iam natum a matre Lyctum portari doceret, videbatur Hesiodus de ipso partu ultro tacuisse. Ita Apollonius Rhodius quoque bis Dictaeum Iovem memorans, de pueritia in antro Cretensi peracta pluribus versibus disserit, verum natum quoque esse deum in illa insula non affirmat. [1])

In re tam dubia — nam alio quoque vergebant doctiorum hominum opiniones, veluti Eumeli, Lydiae hunc honorem vindicantis [2]), — Callimacho audienda videntur ipsa locorum testimonia. Arcadia autem testimoniis abundabat, et valebat tunc quoque de ea regione idem quod diu post Pausanias affirmavit: „*πάντας μὲν οὖν καταριθμήσασθαι καὶ προθυμηθέντι ἄπορον, ὁπόσοι θέλουσι γενέσθαι καὶ τραφῆναι παρὰ σφίσι Δία*" (IV. 33. 1), sed in ipsa Arcadia praesertim Lycaei montis regiones hanc ob rem sacratae erant. Qua autem est in sacra geographia eruditione et diligentia poeta accuratius paullo locum ipsum indicat, sua quoque aetate inclutum apud Arcades, vs. 10:

ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα
ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές,

quibus versibus non ipsam Lycaei Iovis aram respicit, de quo loco Pausanias VIII. 38. 7 „*ἔστι δὲ ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῇ ἀνωτάτω τοῦ ὄρους γῆς χῶμα, Διὸς τοῦ Λυκαίου βωμὸς, καὶ ἡ Πελοπόννησος τὰ πολλὰ ἐστιν ἀπ' αὐτοῦ σύνοπτος*", neque ipsum ἄβατον, sed eum locum cuius situm haud sane lucide describit Pausanias eodem capite § 2.

Omnino non antiqua testimonia hic sequi Callimachum, immo fortasse ipsum primum Arcadiae tribuisse summi dei origines contendit magis quam demonstravit vir doctus qui de rebus Arcadiae diligenter egit, W. Immerwahr. Is in libro quem inscripsit „*die Kulte und Mythen Arkadiens*" p. 216 ita disputat: „*In der ganzen Erzählung des Kallimachos spielt die eigentliche Zeusgeburt eine nur nebensächliche Rolle, während den Kernpunkt der Darstellung die Entstehung des arkadischen Wasserreichthums, speciell die des Flusses Neda abgiebt*". Tum, adiecto Pausaniae loco VIII. 38. 2—3, efficere studet „*dass eine allgemein übliche Verbindung zwischen Rhea, beziehungsweise dem Mythos der Zeusgeburt, und der Neda bestand*", itaque ex antiquiore Nympharum cultu hunc recentiorem mythum de Iovis ortu Arcadico esse

---

[1]) Apollon. *Arg.* I. 509; III. 133—141.

[2]) Eumeli fr. 18 (*Kink.*): *Εὔμηλος δὲ ὁ Κορίνθιος τὸν Δία ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς Λυδίᾳ τεχθῆναι βούλεται καὶ μᾶλλον ἀληθεύει* (sc. ex Laurentii Lydi opinione cui hoc fragmentum debetur) *ὅσον ἐν ἱστορίᾳ· ἔτι γὰρ καὶ νῦν πρὸς τῷ δυτικῷ τῆς Σαρδιανῶν πόλεως μέρει ἐπ' ἀκρωρείας τοῦ Τμώλου τόπος ἐστὶν, ὃς πάλαι μὲν Γοναὶ Διὸς Ὑετίου, νῦν δὲ παρατραπείσης τῷ χρόνῳ λέξεως Διυσίου προσαγορεύεται.*

natum. Obstat ipsius Callimachi testimonium, quominus Immerwahrii argumenta, iam per se haud firmissima. nobis persuadeant. Quid enim attulit vir doctissimus propter quod fidem derogemus poetae nostro disertis verbis affirmanti vs. 11

ἔνθεν ὁ χῶρος
ἱερὸς, οὐδέ τί μιν κεχρημένον Εἰλειθυίης
ἐρπετὸν οὐδὲ γυνὴ ἐπιμίσγεται· ἀλλά ἑ Ῥείης
ὠγύγιον καλέουσι λεχώιον Ἀπιδανῆες.

Quonam argumento evincet, hoc loci nomen aut impudenter contra morem suum nunc finxisse poetam, aut Arcades ὠγύγιον λεχώιον illud tum demum excogitasse? Immo vero, quod loci sanctissimi nomen illud apud Arcades antiquo usu sacratum invenit, id ipsum aetiologiae studiosissimum vatem quam maxime incitavit, ut Arcades suos debito honore ne fraudaret et Arcadicorum fluminum quoque ortus cum Iovis Lycaei hora natali coniungeret [1]). Aures enim libenter praebet incolarum narrationibus, ut nunc Arcades adit ipsos: quae numina illi venerantur, ea carmine suo celebrat. Sic Nedae illius nymphae laudem cantat, quam super omnes fere nymphas dignitate tollit „μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε" (vs. 36), quoniam in Minervae Aleae ara quae erat Tegeae, efficta erat ea nympha adstans ad Rheae latus [2]).

Sedulo igitur studio Callimachus cavit, ut summi dei origines ipsi Graeciae vindicaret, cultumque Cretensem, quem, quamvis morientis Iovis mysteria aversatus, silentio premere neque posset neque vellet, ex Graecia derivatum esse ostenderet. De cultu Iovis Cretico aptior postea mihi erit disserendi locus. Nunc alia ex ingenti exemplorum copia nobis afferenda sunt quibus appareat deorum origines, si posset, Graeciae vindicasse poetam.

---

[1]) Ne hoc quidem concedo Immerwahrio siccitatem Arcadiae sanatam cum fabulis de Iovis ortu antiquitus non fuisse coniunctam. Postea quoque in pluviorum inopia hoc ipso Lycaei loco sacerdotes invocare solebant non nymphas non Rheam, sed ipsum Iovem Lycaeum (cf. Paus. VIII. 38. 4). Neque temere hoc fieri Eumeli fragmentum monet et Laurentii Lydi locus quem supra laudavi p. 19 not., cf. Preller I³ 94. 95², L. R. Farnell *Cults of the Greek states* p. 41. Hanssoulier *Revue de philol.* XXI. 42. n°. 16.

[2]) Nedae fluminis ortum enarrat Callimachus vs. 32. At cum Iove recens nato alia quoque fluminum nomina coniungunt Arcades, veluti Lusii haud procul a Gortyne fluentis (Paus. VIII. 28. 2) et Lymacis (ibid. 41. 2) in cuius nomine ipse Callimachus lusit vs. 17.

[3]) Paus. VIII. 47. 3. Idem templum respicit *hymn. in Dian.* 220 cum de apri Calydonii dentibus (quos postea Romam abstulit Augustus cum ipsius deae simulacro — cf. Paus. VIII. 46. 1.) addit „ἔχει δ' ἔτι θηρὸς ὀδόντας" (sc. Arcadia).

Saepius ad Arcadiam sive ortus sive infantiam deorum refert. Nec mirum, nam regio antiquissimis incolis (*προσεληνίδες* audiunt fr. 228) celebrata erat. Nullus hymnus luculentius quam carmen in Dianam hoc poetae consilium prodit. Cuius hymni argumentum non absolvas quidem si dicas, Arcadicam eo cantari deam; sed caput rei tangas tamen. Carminis ingenium praeclare expressum est nobilissimis versibus Catulli [1]), tantum longioribus ambagibus opus fuit Alexandrino poetae deam canenti, cuius naturam poetae ac theologi toties ac tantopere variassent.

Ne quis erret, statim diserte carminis argumentum exponit Callimachus, versu secundo professus eam deam se cantaturum.

τῇ τόξα λαγωβολίαι τε μέλονται
καὶ χορὸς ἀμφιλαφὴς καὶ ἐν οὔρεσιν ἐψιάασθαι.

Quatenus igitur licebit huius aetatis poetae, homericam dabit Artemin, qualis Taygeti iuga atque Erymanthi cum nymphis pervadit, praeterea deam dabit virginem quae Iovem patrem adlocuta ipsa suum accurate munus circumscribit:

δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν,
δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα ..... [2])

et tandem precibus suis talem imponit finem: *„da mihi pater omnes montes, urbem autem quamlibet, nam urbes mihi cordi non sunt, οὔρεσιν οἰκήσω"*.

Dianae Virgini Patrem pollicentem fecit ter decem urbes (vs. 33). Et colitur sane ubique Diana, verum *Πάρθενον ἁγνὴν αἰὲν ἀδμήταν* plurimis locis colunt Arcades. Ne plura enumerem, Aleae, in templo Dianae „Ephesiae" *ἐν Διονύσου τῇ ἑορτῇ κατὰ μάντευμα ἐκ Δελφῶν μαστιγοῦνται γυναῖκες*, et Orchomenus habebat templum eiusdem deae, cuius sacerdotes sanctissimis castitatis legibus adstricti erant. [3]) Sed ea quoque munera quae ab Arcadum dea virgine remotiora videbantur nunc erudita arte cum Diana coniungit. Dabo exemplum. Proeti filias a Melampode sanatas fuisse, communis fere mythologorum erat opinio. Quam haud unam ob causam improbans Callimachus insigni eruditione mythologica ita rem no-

[1]) Catull. *Carm.* 34, inprimis vss. 9—16.

[2]) Vss. 6 et 8. Omnino tenendum est haec dicere deam **virginem** in ipso hymni capite. Haec enim verba quo modo cum coniecturis suis concilient viri docti qui sub Dianae persona latere suspicantur sive Berenicen Philadelphi sive Berenicen Magae filiam ipsi videant. Certe paulo infirmior est defensio qua nititur Bruno Ehrlich (*Quaest. Call. Chron.* p. 50) *„Poeta non omnibus locis deorum fabulis duplicem subicit sententiam neque a dea virgine virginitatem abiudicare ei licuit"*.

[3]) Paus. VIII. 23. 1; 13. 1. Adde: Paus. III. 35. 8, 27. 17.

tissimam retractavit, ut ad solam Dianam Arcadicam tam poena quam sanatio referenda esse videretur.

Ipsum Proetum regem duo Dianae condidisse templa narrat vs. 233:

> ἦ μέν τοι Προῖτός γε δύω ἐκαθίσσατο νηοὺς,
> ἄλλον μὲν Κορίῃ, ὅτι οἱ συνελέξαο κούρας
> οὔρεα πλαζομένας Ἀζήνια, τὸν δ' ἐνὶ Λούσοις
> Ἡμέρῃ, οὕνεκα θυμὸν ἀπ' ἄγριον εἵλεο παίδων. [1])

Ecce narratio de Proetidis, a vulgata prorsus abhorrens. Nusquam Melampus, nihil de causa morbi, quem ex spretis Dionysi sacris natum etiamtum nonnulli contendebant, alii a contempto Iunonis numine ortam volebant. [2]) Non placet Callimacho, mysticae religionis etiam minimam speciem semper aversato, vates ille διὰ φαρμάκων καὶ καθαρμῶν artem exercens, delirantesque sanans μετ' ἀλαλαγμοῦ καί τινος ἐνθέου χορείας, odio est ei sacerdos Dionysiacus qui principia artis suae ex cultu Osiridis desumpserit. [3]) Virgo virgines turpi morbo liberabit. At si Arcadum παρθένον Proetidis salutem attulisse arbitratus sit poeta, haud levis est suspicio — quoniam tantum non sine exceptione valet in tali re „ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται" — ex eius opinione iniecisse quoque furorem Proetidis Dianam. Quod si revera putavit, valde probabile est apud Arcades eum hanc traditionem invenisse cum Dianae natura minime sane pugnantem, itaque secundum Lusiorum sacras fabulas eandem deam, quae tam agrorum quam mulierum fertilitati faveret, ac simul λυσίζωνος et λοχεία nuncuparetur, Proetidis tam furoris quam redditae sanitatis fuisse causam.

Verum quoniam Arcadia tamquam altera Dianae patria poetae videtur, summo opere contendat necesse est, ut cum Arcadica dea cultus

---

[1]) Ex parte tantum cum hisce conspirat Pausanias qui Melampodem deduxisse quidem virgines in templum ibique sanasse narrat, sed eius rei honorem tamen Dianae tribuit cognomine Ἡμερασία (VIII. 18. 8.) Nullo autem argumento firmat Immerwahrius quae scribit l. l. 143[1] „*die hier vorliegende Form scheint <die Sage> erst durch Kallimachos erhalten zu haben*". Ita, postquam semel, idque iniuria, mythologiae audax innovator dictus est noster, ultro ista fama crescit.

[2]) Testatur Apollodorus II. 2. 2. 2 secundum Hesiodum Dionysum furore affecisse Proetidas „ἐμανήσαν, ὡς Ἡσίοδός φησιν, ὅτι τὰς Διονύσου τελετὰς οὐ κατεδέχοντο". Catalogi autem fragmentum 53 (Rz.) cum γυναικομανίαν earum describit „εἵνεκα μαχλοσύνης στυγερῆς τέρεν ὤλεσαν ἄνθος", non Bacchicum furorem spectavit sed morbum longe diversum; vide enim quo modo morbum ipsum depinxerit Catalogi poeta fr. 54. Acusilaus (apud Apollodorum l. l.) Iunoni infensae „διότι τὸ τῆς Ἥρας ξόανον ἐξηντέλισαν" morbi causas tribuit.

[3]) Apollod. l. l. Herod. II. 49.

ceteros, quibus per totum orbem terrarum gaudet Artemis, coniungat, quin immo Virgini venatrici ea quoque munera conciliet, quae a virginis officiis ceteroquin aliena esse videantur. Dianae venatricis laudes, quas tam deae rebus gestis enarratis amplificat (v. 98—112) quam adiectis illustrium venatricium nominibus ornat (v. 206—220), facillime ad Arcadiam refert, pluribus de Atalante quam de ceteris omnibus disserens. [1]) Verum quid de ea dicendum erat, quae fuit „Lucina dolentibus"? Reticere enim in hymno Dianae sacrato ea munera, propter quae tanto erat in honore apud aequales, non volebat. Vide, quam parum id agat Callimachus, ut theologi vice fungatur. Licet potestatem *τῆς λυσιζώνου*, quam populi fides ac fictio poetarum Dianae mandat, cum *lunaris* deae natura cohaerere censeant philosophi atque poetae — ut se censere ostendit Euripides *τὴν φωσφόρον θεὸν* eodem tenore puerperis caram dicens: „*τὰν εὔλοχον οὐρανίαν τόξων μεδέουσαν*" (*Hipp.* 166) [2]) — Callimachus talia philosophemata semper sprevit. Quin, ne vana philosophentur qui mirantes rogent, quinam fieri potuerit, ut *παρθένος ἀγνὴ* simul sit *λοχεία* et *κουροτρόφος*, ipsam facit deam monentem, sibi quidem alia munera placuisse, hoc tantum suscepisse tamquam debitum grati animi officium (vs. 20):

„*οὔρεσιν οἰκήσω· πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν*
μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες
τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον, ἦσί με Μοῖραι
γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν,
ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα
μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο γυίων".

Frigide haec argutatur poeta, at doctissime; nam Pindari premit vestigia Dianae Ilithyiae officia cum Parcis coniungens; Thebano enim poetae Ilithyia audit *πάρεδρος Μοιρᾶν βαθυφρόνων* [3]). Sed iam

[1]) Cyrenen alibi cantat pluribus. Procrin et Atalanten coniunctas fortasse invenit in antiquo catalogo mulierum (cf. Xenoph. *Ven.* 13. 18), sed Anticlea neque quid sibi velit, neque utrum Ulixis mater an alia quaedam designetur, video. Nam cum Schirmero (Rosch. Lex. i. v.) ex Odysseae *λ*. 172 (*ἡ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχομένη κατέπεφνεν*) efficere ut Homero ipsa quoque Anticlea venatrix visa sit, id mihi quidem nondum contigit. — An forte haec de venatrice Anticlea fabula cohaeret cum eo quod Autolyci venatoris filia cum Sisypho rem habuisse et sive in Ithaca, sive in Euboea *per montes dum vagatur*, filium Ulixen peperisse dicebatur (Lycophr. vs. 784)?

Atalanten Arcadiae servat Callimachus cum vs. 216 Iasii filiam dicit eam, quae Hesiodo fuerat filia Schoenei.

[2]) Diserte antiquorum testimonia refert Plutarchus (*Symp.* III. 10. 10): „*δῆθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν λοχείαν καὶ Εἰλείθυιαν, οὐκ οὖσαν ἑτέραν ἢ τὴν Σελήνην, ἀνομάσθαι*". Cf. Timoth. fr. 2 Bgk. (*Poet. Lyr.* III. 620): *διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων διά τ' ὠκυτόκοιο σελάνας.*

[3]) *Nem.* VII. 1. cf. *Ol.* VI. 41 „*τῷ μὲν ὁ Χρυσοκόμας πραϋμητίν τ' Εἰλείθυιαν παρίστασίν τε Μοίρας.*

vidimus poetam, unice sollicitum, ut ad legitimam patriam deae cultum referret, nihili pendere altam theologorum sapientiam, quae varia Dianae munera ex una eademque divina potestate nasci doceret. Nonne, cum *λιμενοσκοπία* deae memoranda esset, satis habuit pro causa indicare Iovis voluntatem, qui filiolae submisse petentis „*πόλιν τινά*" modestia delectatus, de se non tantum *τρὶς δέκα* ei largitus esset urbes, sed addidisset (vs. 38): „*καὶ μὲν ἀγυιαῖς ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος*"?

Illa artis inopia minime laborat iam progrediente hymno ostendens, quam celeriter per totum orbem religio Dianae ex Arcadiae montibus se effuderit. Ecce, quam raptim, simul quam abunde deae iter describat. Pergit Diana ad Haemum usque [1]), currum conscendit, Asiae urbes pervadit, insulas sacris replet, nusquam non nymphas heroinas suae religioni adsciscens. Tenui licet filo haec saepe cum Arcadia coniuncta sint, subtili arte tamen efficit poeta, ut cum antiquis Graecorum religionibus cohaerere videantur aequalibus. Breviter nos rem explorare oportet; et licebit, nam diserta sunt exempla. „*Unde deae Arcadicae lunaris potestas? ποῦ δ' ἔταμες πεύκην, ἀπὸ δὲ φλογὸς ἧψαο πολῆς;*" ita rogat poeta vs. 116. Et quia memor fuit, Homero Dianam *φαεσφόρον* nondum fuisse notam, ac postea demum hac potestate deam auctam esse, ipse sibi respondet

Μυσῷ ἐν Οὐλύμπῳ, φάεος δ' ἐνέηκας ἀυτμὴν
ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀσποστάζουσι περαυνοί.

Lunarem facem igitur a patre accepisse deam indicat, atque ideo recte a poetis Atticis Lunam cum Diana componi, modo teneas talis coniunctae religionis origines esse quaerendas in Asia, in qua regione lunaris deae cultum ubique invenissent, qui inde ab Alexandri aetate studiorum causa eas terras peragrassent [2]). Nam non

---

[1]) Num montis Haemi mentione facta cogitat de Diana Thracia, quae Bendis sive Cotytto audit? Admodum incertum, nam Thracum dea *δίλογχος* curru non vehitur, Callimachus autem in ipso Haemo Dianam primum sibi currum fecisse narrat, antiquam Graecorum traditionem secutus, ex qua Artemis iam ab Homero *χρυσήνιος* dicta erat.

[2]) Prorsus tamen cum Diana iampridem coaluisse lunaris deae personam ne Callimachus quidem negat. Nam ex Artemidis epithetis unum consulto derivat ex lunaris deae splendore, deam vs. 204 „*Ὀδπι ἄνασσ' εἰῶπι φαίσφορε*" salutans. In qua re non suffragatur iis qui auctores fuerunt Ciceroni *Deor. Nat.* III. 23 docenti praeter primam Dianam Proserpinae, alteramque Latonae filiam, fuisse tertiam „*cuius pater Upis traditur, Glauca mater*" quam saepe a Graecis Upin paterno nomine apellatam esse. — Euemeri scholae haec sunt inventa quibus nihil magis aversatur

solum ipsa dea quae apud populos orientales sive Anaitis dicebatur sive Astarte, a Graecis hominibus cum Artemide componebatur, sed in Caria Artemis δαδοφόρος colebatur, cuius cultus cum Iovis πανημερίου religione coniunctus erat, eandemque deam Timotheus nuper in templo Ephesio Selenen salutaverat [1]).

In sequenti hymni parte specie quidem longe ab Arcadia aberrare poeta videtur; nam vs. 183 ita deam interrogans:

τίς δέ νύ τοι νήσων, ποῖον δ' ὄρος εὔαδε πλεῖστον;
τίς δὲ λιμήν; ποίη δὲ πόλις;

primum Dolichen et Pergen, mox Taygetum memorat, item paulo post, vs. 225, ex ambagibus redux novis titulis ac minime Arcadicis deam salutat: Χιτώνην, Μιλήτῳ ἐπίδημον, mox Ἡγεμόνην et Χησιάδα et Ἰμβρασίην. Quarum regionum longe inter se distantium enumerationem inde ortam suspicatur Ernestus Maass, quod noster hymnus celebraret Dianam νησιῶτιν, quae dea tutelaris esset Cyrenensium phylae tertiae, sive τῶν νησιωτῶν [2]). Cuius si ratiocinatio valet, non Arcadiae honores, ut equidem contendi, hymno tertio spectantur a poeta, sed Cyrenensium, vanaque sunt quae hucusque attuli ut demonstrarem, singulari studio ad origines vere Graecas Dianae religionem revocasse Callimachum. Quapropter argumenta examinanda sunt quibus nititur vir de Callimacho optime meritus. „*Praeter solitum nympharum comitatum*", ita fere Maassius, „*deam circumdat poeta Oceanidis. Quaenam hae? Qui legerit hymnum quartum, Delumque ceteris insulis ad patrem Oceanum praeeuntem viderit, statim concedat Oceanidas nostras τὰς νήσους esse.*" — Equidem iam statim refragor. Quid, quaeso, poetam movit, ut Insularum deas indicaturus, non νήσους proprio nomine eas diserte vocaret, sed tali titulo, sub quali nullus auditor nisi monitus, Insulas latentes agnosceret? Sed maiora obstant, ni fallor; quae indicabo.

Accurate Callimachus distinxit inter singula genera nympharum tum aliis versibus, de quibus postea erit disputandi locus, cum nostro hymno. [3]) Oceaninas sexaginta sibi poscit Diana nymphas

---

Callimachus. Statim addam haec esse documento virginem illam quae nomine Upis inter Hyperboreas (*h. in Del.* 292) occurrit, nomen suum a Dea accepisse videri Callimacho (idque iure), qua ratione ceterae duae virgines Ὀξώ τε καὶ Ἑκαέργη nomina deberent Apollini. (Ita Herod. IV. 36 una ex iis audit Arge = Lucina).

[1]) Cf. Alex. Aetol. apud Macrob. V. 22. 5. Huc quoque pertinet Dianae Pergaeae mentio vs. 187, de cuius deae natura parum sane apud aequales constabat, fanum autem a Cicerone quoque dicitur antiquissimum et sanctissimum, *Verr.* I. 20. 54.

[2]) *Kallimachos und Kyrene* (*Herm.* XXV. p. 400 sqq.) p. 403—406.

[3]) Maiorem quam Homero in tali re Hesiodo auctoritatem tribuit Callimachus.

comites itinerum (vs. 13), at Amnisiades, minorum gentium nymphas ex Creta oriundas, duodecim, quae humiliore fungantur ministerio (vs. 15. cl. 41—45 et vs. 162). Cur ita distinxit? Oceaninas summo habet in honore omnibusque nymphis praeponit, partim Hesiodi auctoritatem, partim Arcadum cultus sacros secutus. Adsunt igitur Rheae in puerperio, hymno *in Iov.* 3. 5, ubi nomine indicatur Neda cui custodiendus traditur Iuppiter recens natus:

πρεσβυτάτῃ νυμφέων, αἳ μιν τότε μαιώσαντο
πρωτίστῃ γενεήν τε μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε.

neque inconsulto hunc honorem Nedae tribuit poeta, quoniam gaudet ea cultu sanctissimo tam apud Phigalenses quam apud Tegeatas [1]). Dianae autem eo libentius adiunxit Oceaninas ut hac quoque re dea quae professa esset „*καὶ γὰρ ἐγὼ Λητωιὰς ὥσπερ Ἀπόλλων*" (vs. 83), videretur fratrem aemulari cui, teste eodem Hesiodo, adiunctae erant Oceaninae

αἳ κατὰ γαῖαν
ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι.

Sed alio quoque argumento nititur Maassius, idque corroborat solita doctrinae copia. „*Quaecunque enumerantur in nostro hymno cultuum loca, ea aut ad mare sita sunt aut facili opera cum litore maris coniunguntur*". Hoc ne si verum esset quidem, quidquam, opinor, valeret, nam qui deam *νησιῶτιν* cantat, insulas laudet necesse est; non satis erit, si urbes modo laudabit, quae in continenti sita sunt ad litora maris. Sed minime verum est. Per haud exiguam enim hymni partem Arcadiae montes celebrantur. Quod non fugit virum clarissimum, qui addit: „*Arkadien kann ohne weiteres auf Samos bezogen werden*". Itane? Qui Samum Samique cultum laudare voluerit, nonne inepte aget, si ipsam insulam vix duobus versibus dignabitur, at Arcadiam, quia haec regio ad Samum pertineat, per centum versus celebrabit? Porro tantane fuit in Cyrenaicis civibus cum sagacitate doctrina coniuncta, ut docente poeta „*πολίων δέ τοι εὖαδε Πέργη*" statim secum cogitare possent, qualia eruditissime nobis exponit Maassius: „*saepe cultus Pergensis Dianae*

Homero enim nymphae, quae Dianam comitantur, sunt *κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο* (at in hymno *in Cer.* 418 *sq.* Proserpinam videbis *παίζουσαν κούρῃσι σὺν Ὠκεανοῦ βαθυκόλποις*); noster vero Hesiodeum nympharum catalogum *Theog.* 347 *sqq.* consuluit Nedae locum tribuens statim post Stygem „*ἥ δὴ σφεων προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων*". Philyren autem ideo fortasse aequalem Stygi fecit Callimachus quod ex ea Chiron, Iove maior, natus esse dicebatur.

[1]) Cf. Immerwahr l. l. p. 218, 237, 238. Omnino autem tenendum est iam vita frui nympham antequam nascatur flumen Neda.

Halicarnasum Rhodumque transportatus est"? [1]) Non opinor. Graves fuerunt, quas infra pluribus ostendam, causae, quae in re sacra Callimachum ad Arcadiam accesserent, et ipsi Maassio praesertim egregia laus debetur quod in disputatione de Apolline Cyrenaico primus ad eas causas investigandas certam viam monstravit [2]).

Totum hymnum in Dianam si quis sine exceptione ad Arcadicas origines referre studebit, vano fungetur labore. Attamen constans poetae consilium fuisse videtur, ut doceret cultum, quo gauderet Diana in iis regionibus, quae extra continentem Graecam sitae essent, ingenuum non esse, sed ex ipsa Graecia, ex Arcadia praecipue illatum. Subtiliter rem suam agens et arte varia argumentum illustrans, saepe a proposita via aberrare, primo quidem obtutu, videbitur; veluti cum novam hymni partem ingressus et de urbibus montibus insulis deae gratis agens, adicit vs. 184 „*τίνα δ' ἔξοχα νυμφέων φίλαο καὶ πολίας ἠρωίδας ἔσχες ἑταίρας;*" Nolim tamen imputare neglegentiae poetae quod carmen deflectat de proposito. Heroinis enumeratis occasio offertur disserendi de Britomartide sive Dictynna, quam non solum Cretenses divino afficiebant honore, sed saepe Attici quoque poetae — id quod graviora pericula minabatur honori Graeciae — ita cum ipsa Artemide confundebant, ut Cretensis Diana iam videretur [3]). Huius Dictynnae igitur fabulam consulto ita noster

---

[1]) Ceterum licet diserte dicat poeta „*πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργη*" non tamen nimis hoc testimonium premendum est, quasi revera omnibus locis Perge anteponenda sit in cultu Dianae. Ex omnibus locis Dianae caris unum quemlibet eligit poeta, eadem fere dicendi ratione usus, qua postea Vergilius dicit Iunonem Carthaginem „*post habita coluisse Samo*". Taygetum autem si ex montibus solum nominat poeta id malo ad Homeri memoriam referre (ζ. 103 *ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ 'Ερύμανθον*) quam cum Maassio de Artemide Cnidia '*Υακινθοτρόφῳ* cum Apolline Laconico coniunctissima cogitare.

[2]) *Herm.* XXV. p. 402.

[3]) Id inprimis placuit Euripidi, rerum Cretensium semper valde curioso. *Hipp.* 1128 „*ἵππ. κυνῶν ὠκυπόδων μέτα θῆρας ἴναιρεν Δίκτυνναν ἀμφὶ σεμνάν*". Graecam Dianam mulieres Troezeniae hic designant, at cognomine, quod quantopere ad Cretense numen proprie attineret optime ipsae noverant. Nam vs. 145 Phaedram, reginam Cretensem, interrogaverant, num forte *τὰν πολύθηρον Δίκτυνναν* neglegentia sacrificandi offendisset, eandem procul dubio deam spectantes, quae ab Aristophane (dum Euripidis fabulam *Cretenses* ludit) dicitur *Δίκτυννα παῖς καλά* (*Ran.* 1360).

De ipsa Britomartide abunde egit Rappius (Roscheri Lex. *i. v. Britom.*) Errat autem idem vir doctus cum in nostro hymno iuxta ceteras nymphas Upin nympham memorari a Callimacho docet l. l. II. 1093 (*i. v. Kephalos*), ex versibus 201 *sqq.* qui Britomartidis cognomen Dictynnam spectant, iniuria efficiens Upin videri poetae nomen nymphae, simul autem, quod gravius est, propter Dictynnae fabulam lectores monens „*<dass*

enarrat, ut dearum numero eam prohibeat et disertis verbis fabulae originem ex sua quidem opinione exponat: non deam esse Britomartin sed nympham tantum, Dianam vero propter virginis amorem assumpsisse cognomen Britomartidis sive Dictynnae.

Mox raptim ceteris nymphis enumeratis iam largius agit atque uberius de Atalante, quoniam Tegeatarum honorem ille cantare videtur, qui cantat Iasii filiam [1]); tum tandem redit ad iter inceptum vs. 225

πότνια πουλυμέλαθρε πολύπτολι χαῖρε Χιτώνη,
Μιλήτῳ ἐπίδημε· σὲ γὰρ ποιήσατο Νηλεὺς
Ἡγεμόνην.

Cordi igitur est poetae ne quis obliviscatur, ex ipsa Graecia Dianae cultum Milesios accepisse; immo fortasse ex Arcadia ipsa. Erat enim apud Tegeatas Dianae Hegemones templum sanctissimum; cognomen autem *Ἡγεμόνη* pluribus Arcadiae locis notum erat, atque idcirco aptum ei poterat videri quod nunc adhiberet, ut ipsa interpretatione moneret, quemnam verum (ut apud Arcades acceptum) iudicaret huius tituli sensum, nam — aeque ac nostra aetate mythologi quidam — nonnulli ad inferorum mysteria illud nomen trahebant, Orphicorum doctrinis edocti, Tychen iam salutantium (*hymn. Orph.* 78. 3)

„Ἄρτεμιν Ἡγεμόνην μεγαλώνυμον Εὐβουλῆος
αἵματος ἐκγεγαῶσαν."

Lenem facilemque hoc ipso cognomine sibi ad cetera parat transitum. Quae enim dea comes et dux itinerum Neleo praeiit cum Miletum conderet, eadem mox ad insulas iter Graecorum comitata Samum incoluit *Χησιὰς*, *Ἰμβρασίη*, *πρωτόθρονος* [2]).

Kallimachos> in seinem Gedicht auf Artemis von Kreta ausgeht". De nomine Upis infra dicam. Britomartidis autem et nomen et fabulam suspicor memorari hoc loco propter Deliaca Britomartia. Ceterum ut plerumque solet nunc quoque popularem etymologiam fabulamque sequi maluit Callimachus quam ad Dicten montem nomen deae Cretensis referre (cf. Usener *Götternamen* p. 40).

[1]) Conspiciebatur in Tegeatarum templi fastigio Scopae Parii arte expressa venatio Calydonia, in qua medium tenebat cum Meleagro Atalante; Paus. VIII. 45. 6; cf. Call. vss. 218. 19.

[2]) Quonam pertineant ipsa epitheta, me quidem latet; id praesertim obscurum, quo consilio poeta nunc *Ἰμβρασίην* dicat Dianam; nam solet hoc nomen Iunonem designare (cf. Apoll. Rhod. *Arg.* I. 187). Quoniam autem Samiorum mythologia docuit (cf. Athen. VII. 284 E) Chesiam *nympham* Imbraso peperisse Ocyrrhoen, fieri potest, ut noster hanc Chesiam eodem modo deae Dianae addicat quo Dictynnam, atque a nympha carissima hoc quoque nomen assumpsisse deam putet.

Ad Samum insulam memorandam hoc fortasse non minime Callimachum impulit quod inter eam insulam, ea aetate Duridis imperio parentem, atque Ptolemaeos amicitia quaedam fuit; quam testari videtur lapis in honorem Ptolemaei Philadelphi atque Arsinoes ibi positus (cf. Strack *Dyn. d. Ptol.* p. 222 vs. 18).

Et ita iam praeludit ad laudes Ephesiae Dianae, nam haec quoque *πρωτοθρόνου* nomine gaudet [1]). Huic vero deae sicuti in Arcadia Proetidarum pater propter redditam filiabus castitatem templum posuisset (vs. 233—236), ita Amazones, castitatis laude cum ipsa fere dea certantes, primum sanctissimum posuisse simulacrum narrat. Ita sensim, et carminis cursu fere delatus ad Ephesii templi mentionem, cum Graecorum atque Arcadum cultu apte Asiaticae deae sacra coniungit. Attamen plurimum abest, ut concedamus — quod demonstrare conatus est Couatius [2]) — in Ephesiae deae honorem compositum esse hymnum nostrum, sive certamini Ephesio destinatum, idque iam ex eo apparere quod magna carminis pars Ephesiae Dianae sit dedicata. Profecto eam aedem, cuius sanctitas ab antiquissimis temporibus celebrata nuper tantopere esset aucta, cum post Herostrati incendium instauratum esset, non potuit non memorare. Quin etiam magnifice extollit templum quod honoraverat Alexander postque eum Lagidae. At vide, quam diligenter caveat, nequis externam hanc Dianam, minusve Graecam esse suspicatur. Ipsam deam eodem nomine *Οὖπιν* salutat, quo ante (vs. 204) Graecam nuncupaverat Dianam. Sacerdotes illos cultui Ephesio proprios, *ἀρχιερέα, μεγαβύζους, ἐσσῆνας*, eunuchos, virgines *ἱερείας* verbo non tangit; orgiasmi autem elementa cum memoranda sunt, tympana cymbala, Matri Magnae cum Diana Ephesia communia, ita hoc facit, ut minus ad ipsius deae indolem quam Timotheus dixerat

μαινάδα θυάδα φοιβάδα λυσσάδα,

quam ad feroces Amazonum mores pertinere videantur [3]). Tandem, Epheso penetrasse cultum in Asiam neque — quod hodie rectius censemus — ex Oriente religionem deae Ephesiae in litora maris devenisse, id diserte quidem nusquam dixit poeta, sed nescio an tale quid innuerit post saltationis sacrae descriptionem haec addens (vs. 245):

„ἔδραμε δ' ἠχὼ
Σάρδιας ἔς τε νομὸν Βερεκύνθιον."

---

[1]) Aram in templo Ephesio *Ἀρτέμιδος πρωτοθρονίης* Rhoeci Samii arte perfectam memorat Pausanias X. 38. 6.

[2]) *La poésie Alexandrine* p. 218 *sqq.*

[3]) Num Amazones hunc Dianae cultum frequentem ipsi Graeciae debeant, non indicavit Callimachus, cuius superstites saltem libri de Amazonibus tacent. Potuit tamen ut Peloponnesiaci cultus tale quid docere ei viderentur, quoniam constabat in Laconica olim ab Amazonibus signa lignea (sicut Ephesi) dedicata esse Apollini Amazonio et Dianae *ἀστρατείᾳ* (Paus. III. 25. 3).

IV

Vidimus igitur Iovem atque Dianam a Callimacho Arcadiae addici tamquam illius praesertim regionis deos titulares, atque poetam in hac re multo minus ductum esse poetarum antiquorum testimoniis, quam studio diligenti cultuum et *ἐπικλήσεων* quibus dei ipsi in ea regione quae antiquissima ei videretur, gauderent. Id vero antiquitatis studium quantum quamque constans fuerit in Callimacho, antequam pergam, quibusdam exemplis illustrabo, quo magis appareat sedulo semper singulorum locorum iura ab eo perpendi, palmam autem deferri illi loco, qui sacra sua antiquissimo iure vindicaret.

Viam indicant aetiologia et priscorum nominum investigatio. Huc referendi sunt *αἰτίων* libri et opera navata *ταῖς μετονομασίαις*. Huc pertinet quod Euboea Macris dicitur (hymn. IV. 20 *Μάκρις Ἀβαντιὰς Ἐλλοπιήων*) quod, praeeunte Lycophrone (*Alex.* 1209), Boeotiae partem, quae Thebis adiacet, *Ἀονίην* vocat IV. 75, huc referendum est *Ῥείης λεχώιον* I. 12, *Ἀπιδανῆες* I. 13, *Λύμαξ* I. 15, *Ὀμφάλιον πεδίον* I. 45, sescenta alia [1]), in quibus si quis nil nisi vanam eruditionis ostentationem videt, iniquius iudicat de Callimacho. Nam cum esset in omnibus huius aetatis poetis ardentissimum studium antiquitatis — praeierat Philetas, mox secutus est Apollonius — Callimachus ceteros hoc amore superavit, sed certo quodam consilio in hac re usus esse putandus est. Dum enim ad suas quemque patrias singulorum deorum cultum referre studet, id egisse mihi videtur, ut antiquis nominibus priscam quoque Graeciam, deorum illorum

[1]) Pertinet huc quoque Pan in *αὐλιὸι Ἀρκαδικῇ* (*in Dian.* 87) cf. Aelian. *Nat. An.* XI. 6 *ἐν Ἀρκαδίᾳ δὲ χώρᾳ ἐστὶν ἱερὸν Πανός· Αὐλὴ τῷ χώρῳ τὸ ὄνομα.* Item Hermes Acacesius (*in Dian.* 143) deus Megalopolitanus, Paus. VIII. 30. 6; cf. 36. 10.

patriam, lectoribus quodammodo ante oculos poneret, et huius sacrae geographiae auxilio luculenter ostenderet, quam arcte cum ipsa Graecia cohaererent numina illa, quae exteris originibus deberi inanis quaedam doceret aequalium sapientia. — Aptius exemplum non extat huius mythicae geographiae, quam id quod praebet Latonae vagatio, in hymno quarto, multo auctius quam id fecerat poeta homericus in hymno ad Apollinem, exposita. In qua terrarum urbiumque enumeratione saepe profecto contra fabulosas etiam temporum rationes mire peccavit. Ita vs. 101 memorantur Helice *Ποσειδάωνος ἑταίρη* et Bura *Δεξαμενοῖο βοόστασις Οἰκιάδαο*, quamquam constabat apud omnes, tunc quidem nondum nato Apolline, nusquam extitisse Buram, quippe quam a cognomine nympha Apollinis nepte nomen accepisse fama esset. Neque minus ineptum erat narrare Ephyrae atque Troezenis incolas Delum insulam vidisse vagantem (vs. 41), quasi vero Tantalum Pelopem Troezena ante Apollinem natos esse mythologia doceret [1]); vel etiam consulto monere lectorem (IV. 48) tandem devenisse Latonem ad *νήσοιο διάβροχον ὕδατι μαστὸν Παρθενίης* — „*οὔπω γὰρ ἦην Σάμος*", et eodem versu memorare nymphas Mycalenses easque dicere *γείτονας Ἀγκαίου*, qui rex, ex Argonautis unus, multis demum post aetatibus vixit [2]).

Verum si talia saepe peccata commisit poeta — augebit autem seriem, si tanti videbitur, lector quivis — ipsis nonnunquam erroribus arguit antiquissima se petere. Surgat ex carminibus priscae patriae imago, id studet atque optat. Partheniam memorat, non Samon; sic enim in auditoris animum revocatur sanctissima atque antiquissima memoria Virginis Iunonis, quae clam in insula Parthenia olim summi dei amore frueretur „*ὥς τε Ζεὺς ἐράτιζε τριηκοσίους ἐνιαυτούς*" [3]). — Intrat errabunda Latona Thessaliam (vs. 104): „*φεῦγε δ' Ἄνανρος*". Quorsum Anaurus? Parvulum flumen, neque inter Thessaliae fluvios praecipue memorabile! At Ceycis morte nobilissimum; nam, ut est in Scuto Hesiodeo (vs. 477)

---

[1]) Eo versu (IV. 41) cum *Τροιζῆνος ἀπὸ ξάνθοιο* mutari iuberet Schneiderus legens *ἀπὲξ Ἄνθαο* nescio an magis etiam rem confuderit. Anthen enim Callimachus diu post haec tempora viventem memorat fr. 369, qui heros *ἐκ Τροιζῆνος μετῴκησε λαβὼν τὴν Δυμάναν φύλην*. Maior autem Anthes qui Neptuni filius erat (Paus. II. 2) partem tantum condidit eius urbis quam postea Troezen auxit suoque nomine ornavit. Hoc igitur oppidum si indicare voluisset Callimachus parum recte id „Troezena, Anthei urbem" nuncupasset.

[2]) Nomen Ancaei memoravit, ut indicaret ab eo insulam novum accepisse nomen (Paus. VII. 4. 2).

[3]) fr. 20. cf. fr. 218: *ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασος Παρθενίου.*

τοῦ δὲ τάφον καὶ σῆμ' ἀιδὲς ποίησεν Ἄνανρος
ὄμβρῳ χειμερίῳ πλήθων.

Statim post Larisam refugiunt a Latone αἱ Χειρωνίδες ἄκραι (vs. 104) et praesto sunt lectori Πηλίου ἄκρα κάρηνα (hymn. hom. *in Apoll.* 33), et Chiron ille Peliacam hastam in montis cacumine fabricatus. Increpat montem dea miserrima (vs. 118)

„Πήλιον ὦ Φιλύρης νυμφήιον, ἀλλὰ σὺ μεῖνον,"

nonne ante audientium oculos surgunt Chiron, Chironisque alumni: Achilles ille, qui „τὰ μὲν μένων Φιλύρας ἐν δόμοις παῖς ἐὼν ἄθυρε μεγάλα ἔργα [1]), aut Iason, Aesculapiusve, simul autem imago ipsius Philyrae in eo monte Chironem parientis, qui mons nunc Latonae hospitium denegat? [2]).

Suppeditat horum nonnulla Callimacho recordatio erudita antiquorum carminum. Sed poetarum testimoniis longe praeponit ipsam sacrorum locorum antiquam traditionem, sive ipse ab incolis eam recepit, sive ex periegetarum libris eruit. Ita cum IV. 70 Arcadiae Argolidisque montem conterminum dixit „ὄρος ἱερὸν Αὔγης Παρθένιον" montem in quo partum deposuit Auge sacrum dixit incolarum exemplo doctus. Ut enim de Telepho memoratur sacra quadam fabula a Quinto Smyrnaeo enarrata VI. 139

„καί μιν τυτθὸν ἐόντα καὶ ἰσχανόωντα γάλακτος
θρέψε θοή ποτε κεμμάς", [3]).

ita sacello Telephum a Tegeatis donatum esse in Parthenio novimus ex testimonio Pausaniae VIII. 54. 5. Matris ibi honores cum filio iunctos esse haud temere suspiceris, quia constat Augen a Tegeae civibus in Athenae Aleae templo cultam et statua honoratam esse [4]).

---

[1]) Pind. *Nem.* III. 43, cf. *Pyth.* III. 1—6).

[2]) Pelion cum dicit poeta „Philyrae *νυμφήιον*" certe cogitat de partu Chironis, non tamen eo nomine Pelium montem indicasset si cum Apollonio Rhodio II. 1213 credidisset Philyren cum Saturno rem habuisse in insula *Philyride*. Neque ex scholiis ad eum locum efficere licet tale quid docuisse Pherecyden (cf. *Schol.* ad Apoll. I. 554).

[3]) Cf. Apollodor. II. 7. 4; III. 9. 1; Paus. VIII. 48. 7. — Quae autem ibi narrantur de *Αὔγῃ ἐν γόνασιν* (quo nomine colitur apud Tegeatas Ilithyia) ad interpretandum locum Callimachi de *sacro* Augae *monte Parthenio* adhiberi non possunt, quoniam sacellum illud Augae non in monte Parthenio verum in ipso Tegeatarum foro est.

[4]) Fuit autem causa cur Callimachus inter loca quae Latonam laborantem effugere dicebantur, Parthenium quoque memoraret. Nam inhaerebat memoriae Tegeatarum olim Latonam, cum apud se hospitium petiisset, reiectam fuisse ab ipsorum proavis, cuius facinoris poenam ab Apolline et Diana sumtam esse de Tegeatis quapropter postea ad Apollinis iram placandam templum ei voverunt, cf. Paus. VIII. 53. 1.

Simili causa adductus poeta hymno IV. 73 Sicyona non nominavit *Μηκώνην* — ut fecit fragmento 195 Hesiodum (*Theog.* 536) secutus — sed *Αἰγιαλόν*. Ceterum nunc quidem, in enumerando eas regiones, quae Iunonis dicto parentes recederent a Latone laborante, aptissime illud nomen elegit. Optime enim convenit huic narrationi Aegialei memoria, cuius famam ingenua traditio Sicyoniorum servabat. Urbis Sicyonis conditoris fuerat, at filius illius Inachi qui olim inter Neptunum ac Iunonem litem dirimens sententiam tulisset deorum reginae secundam, primusque sacra Iunoni instituisset. Hinc *Αἰγιαλὸς* cara Iunoni.

Vix necesse est haec exempla augere. Nam valet fere in universum de Callimacho — quod in Apollonio quoque usu venit —: religioni ei est in carminibus omittere ea, quae traditio locorum quae memorat, tamquam apud incolas accepta docet. Ambo etiam eas sacrorum locorum traditiones nonnumquam proferunt quae ipsis improbandae videntur [1]). Itaque si quid innovare videtur Callimachus in geographia sacra, si quid ex mythica historia factum alii regioni addicit, ac ceteri fecerant scriptores, si alio modo rem exponit, addit nova tradita omittit, ita egisse poetam apparebit quod antiqua cuiusdam regionis iura litterarum testimoniis praeponeret. Eiusmodi mutationis unum afferam exemplum. In hymno tertio Dianae prima venatio describitur vs. 98:

ἔνθεν ἀπερχομένη (μετὰ καὶ κύνες ἐσσεύοντο)
εὗρες ἐπὶ προμολῇς ὄρεος τοῦ Παρρασίοιο
σκαιρούσας ἐλάφους, μέγα τι χρέος, αἳ μὲν ἐπ' ὄχθαις
αἰὲν ἐβουκολέοντο μελαμψήφιδος ἀναύρου,
μάσσονες ἢ ταῦροι· περάων δ' ἀπελάμπετο χρυσός.
ἐξαπίνης δ' ἔταφές τε καὶ ὃν ποτὶ θυμὸν ἔειπες·
„τοῦτό κεν Ἀρτέμιδος πρωτάγριον ἄξιον εἴη."
πέντ' ἔσαν αἱ πᾶσαι· πίσυρας δ' ἕλες ὦκα θέουσα
νόσφι κυνοδρομίης, ἵνα τοι θοὸν ἅρμα φέρωσι.
τὴν δὲ μίαν Κελάδοντος ὑπὲρ ποταμοῖο φυγοῦσαν
Ἥρης ἐννεσίῃσιν, ἀέθλιον Ἡρακλῆϊ
ὕστατον ὄφρα γένοιτο, πάγος Κερύνειος ἔδεκτο.

Quanta in hisce a vulgata fabula discrepant! Quinque numero cervas fuisse, unam effugisse Iunonis iussu, celeberrimi certaminis gloriam prius obvenisse Dianae, quam frueretur ea Hercules. Carent haec pleraque testimonio; et revera a poeta si non ficta tamen

[1]) Cf. Apollon. II. 843.

ex veteribus narrationibus haud paucis immutata videntur, docte sane et proprio consilio. Arcadiae honorem iterum spectat et Arcadici moris αἴτιον indicat, narrans cervas a dea curru fuisse iunctas. Nam apud Arcades Dianae haud raro in nummis atque imaginibus currus addebatur a cervis vectus, sicuti in templo Bassaeo conspiciebatur in eodem curru cum Apolline Diana [1]). Idcirco etiam sacrae venationis honore ornanda videbatur Arcadia, quod ut fieret coniungenda erant et miscenda testimonia veterum. Iam enim Pindarus quoque cum Dianae cultu coniunxerat cervam Cerenytiden, *Olymp.* III. 29 memorans Herculem „*χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν ἄξονθ', ἅν ποτε Ταϋγέτα ἀντιθεῖσ' Ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν ἱεράν*". Quod ita explicant scholia: „*λέγεται γὰρ ὅτι, ἡνίκα Ἡρακλῆς παρέσχεν αὐτὴν Εὐρυσθεῖ, τότε ἐπὶ τοῦ τραχήλου αὐτῆς γεγραμμένον ἦν· „Ταϋγέτη ἱερὰν ἀνέθηκεν Ἀρτέμιδι*". Addit alius interpres: „*ἡ Ταϋγέτη ἡ τοῦ Ἄτλαντος θυγάτηρ, ἥντινα Διὸς βουληθέντος βιάσασθαι εἰς ἔλαφον μετέβαλεν ἡ Ἄρτεμις, εἶτα πάλιν εἰς τὴν οἰκείαν φύσιν ἀποκατασταῖσα καὶ γενομένη ἄνθρωπος καθιέρωσεν αὐτὴν τῇ Ἀρτέμιδι*". Laconicam fabulam nunc non recepit noster, quamvis diligens in Spartanorum quoque Dianae sacris enarrandis [2]). Sed tamquam causam indicaturus, cur in Arcadum sacellis cervarum greges Dianae sacri alerentur, Mantinensi deae Cerynitides quoque cervas addicit. Qua in re Euripidis aliquatenus testimonium secutus est. Is enim (*Herc. fur.* vs. 375) de Hercule dixerat: „*τάν τε χρυσοκάρανον δόρκα ποικιλόνωτον συλήτειραν ἀγρώσταν κτείνας, θηροφόνον θεὰν Οἰνωᾶτιν ἀγάλλει*". Eam fabulae formam Apollodorus quoque postea agnovit, II. 5. 3: „*ἦν δὲ ἡ ἔλαφος ἐν Οἰνόῃ Ἀρτέμιδος ἱερά*".

Propter talem innovationem, si quidem innovatio est, temerarium mutatorem nemo Callimachum vocabit. Verum ne hoc quidem, quod sibi sumpsit in fabula cervae Cerynitidis enarranda, crebro licere putat. Plerumque diligenter quaerit antiquissima quaeque singulorum locorum sacrorum iura, verum caute abstinet si lites solvere sine invidia non potest. Tali etiam usus est abstinentia in hymno sexto, cum de Proserpinae raptu erat dicendum. Nam cum plurimae urbes in hac re sibi honorem vindicantes in suo quaeque solo raptam esse deam contenderent, poetae autem partim (quod posterioribus placebat, veluti Euemero vel Ovidio) Hennam praeferrent, partim

---

[1]) Cf. Baumeister *Denkm.* i. v. *Phigaleia* p. 1322.

[2]) Laconicis enim fabula propter Taygeten heroinam adscribenda est, licet scholiasta ad Pindarum dicat deam a monte Arcadiae Orthosio cognominatam esse Orthosiam.

Oceanum vel Cretam, denique ipsam Atticam, Callimachus non constat sibi; nam, nescio an in epica narratione maiorem quam in hymno licentiam concessam sibi ratus, in *Hecale* Hermionensibus honorem petitum largitus est, quoniam placebat aetiologia — causam enim suam firmabant Hermionenses qui docebant, apud se „*τὴν εἰς Ἅιδου κατάβασιν σύντομον εἶναι· διόπερ οὐκ ἐντιθέασιν ἐνταῦθα τοῖς νεκροῖς ναῦλον*" [1]) — sed in hymni gravitate abstinet a tali argumento; nam vide quam caute rem tangat (VI. 7):

„*Ἕσπερος ἐκ κνέφεων ἐσκέψατο (πανίκα νεῖται·)*
Ἕσπερος ὅς τε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν,
ἁρπαγίμας ὄκ' ἄπυστα μετέστιχεν ἴχνια κώρας.
πότνια, πῶς σε δύναντο πόδες φέρεν ἔστ' ἐπὶ δυθμάς,
ἔστ' ἐπὶ τὼς μέλανας καὶ ὅπα τὰ χρύσεα μᾶλα;
τρὶς μὲν δὴ διέβας Ἀχελώιον ἀργυροδίναν,
τοσσάκι δ' ἀενάων ποταμῶν ἐπέρασας ἕκαστον,"

et sic pergit, sed ne verbo quidem indicat, ubinam tandem vestigia raptus reperta sint a matre.

Sed ut probem hanc cautionem ab eruditissimo poeta non sine consilio adhiberi, unum addam idque luculentius exemplum, de Palladio.

Palladium a Diomede ex urbe Troia Argos esse delatum ipsi Argivi contendebant, teste Pausania II. 23. 5: „*ἄγαλμα κεῖσθαι παρὰ σφίσιν Ἀθηνᾶς τὸ ἐκπομισθὲν ἐξ Ἰλίου, καὶ ἁλῶναι ποιῆσαν Ἴλιον*". Pausanias hisce Argivorum verbis fidem denegans hoc loco refert, sibi magis probabile videri, Palladis signum ab Aenea in Italiam abductum esse; at I. 28. 9 eam famam memorat, quae notissima erat apud Graecos et vulgo acceptissima, Palladium a Demophonte rege Attico ereptum esse Argivis cum a Troia redeuntes aberrassent ab itinere. Tam diversa a Pausania referri nemo mirabitur, nam admodum dubia fuit res, et iam eo perventum erat — quod in talibus saepissime accidere novimus — ut diversa sed eadem sanctitate ornata duo vel plura palladia extare homines contenderent [2]). Res profecto

---

[1]) Strabo p. 373. Naeke *de Callimachi Hecale* 210—214. — Callimachum in hymno ad Proserpinam Hennensem mentionem fecisse Hennae: „*φιλατίρα ἄρτι γά οἱ Σικελὰ μὲν Ἕννα*" (fr. 146) etiamsi non improbabiliter coniecit Schneider, incertissimum tamen est, num raptus quoque in eo carmine expositus fuerit.

[2]) Serv. *ad Aen.* II. vs. 166. „Dicunt sane alii unum simulacrum coelo lapsum quod nubibus advectum et in ponte depositum apud Athenas tantum fuisse. Unde et *γεφυριστής* dicta est; .... sed hoc Atheniense Palladium a veteribus Troianis Ilium translatum. Alii duo volunt, hoc de quo diximus et Atheniense. Alii cum ab Ilo Ilium conderetur hoc Troianum caelo lapsum". — Suid. i. v. *ἐπὶ Παλλαδίῳ*: *Ἀργεῖοι γὰρ ἀπὸ*

eiusmodi erat, quae doctum poetam lacesseret. Attamen Callimachus qui Argivis iubentibus hymnum in Palladis honorem componeret, cum neque fidem eis denegare vellet, neque pro certo haberet iure eos sibi illam gloriam vindicare, constituit uti docta quadam abstinentia. Ita (V. 33) Palladium ipsum non nominat:

ἔξιθ' Ἀθαναίη· πάρα τοι καταθύμιος ἵλα,
παρθενικαὶ μεγάλων παῖδες Ἀκεστοριδᾶν.
ὠθάνα, φέρεται δὲ καὶ ἃ Διομήδεος ἀσπίς,
ὡς ἔθος Ἀργείων τοῦτο παλαιότατον.

Ita nihil pro certo affirmans ad urbis sacros usus se tamen applicat, et eatenus saltem favet Argivorum opinionibus, quod cum Diomede Pallada coniungit. Docuerat enim Ilias parva, Diomedis opera Palladium ex urbe Troia esse ereptum [1]), idem docebat Argivorum *ἔθος παλαιότατον*. Nam, ut pergit narrare noster, olim Eumedes quidam Minervae sacerdos, suspectus apud cives quod consilium haberet hostibus tradendi sanctissimum deae simulacrum, aufugerat ex urbe et *„ἐν Κρείῳ ὄρει"* sacellum deae instituit. Videtur autem (nam obscure rem narrat poeta) inde ab illo tempore tamquam ad deam tutandam signo Minervae appositum fuisse Diomedis scutum. Quod cum memorat Callimachus tantum non suffragatur Argivis, Palladium apud se servari contendentibus. Simulacrum enim quod Eumedes auferre voluisset Palladium fuisse verisimile fit si comparamus Plutarchi Quaestionum Graecarum duodequinquagesimam, qua secundum Laconicam auctoritatem res enarratur: *„Ἐργῖνος εἷς τῶν Διομήδους ἀπογόνων ὑπὸ Τημενοῦ πεισθεὶς ἐξέκλεψε τὸ Παλλάδιον ἐξ Ἄργους, συνειδότος Λεάγρου καὶ συνεκκλέπτοντος· ἦν δὲ οὗτος εἷς τῶν Τημενοῦ συνήθων· ὕστερον δὲ τῷ Τημενῷ γενόμενος δι' ὀργῆς ὁ Λέαγρος εἰς Λακεδαίμονα μετέστη τὸ Παλλάδιον κομίζων. Οἱ δὲ βασιλεῖς δεξάμενοι προθύμως ἱδρύσαντο πλησίον τοῦ τῶν Λευκιππίδων ἱεροῦ, καὶ πέμψαντες εἰς Δελφοὺς διεμαντεύοντο περὶ σωτηρίας αὐτοῦ καὶ φυλακῆς. Ἀνελόντος δὲ τοῦ θεοῦ ἕνα τῶν ὑφελομένων τὸ Παλλάδιον φύλακα ποιεῖσθαι, κατεσκεύασαν αὐτόθι τοῦ Ὀδυσσέως τὸ ἡρῷον."* Unam eandemque rem diverse tradi ab Argivis Lacedaemoniisque de Palladii sui sanctitate certantibus perspicuum est.

Ἴλιον πλέοντες ἡνίκα προσίσχον Φαλήροις ὑπὸ Ἀθηναίων ἀγνοούμενοι ἀνηρέθησαν· ὕστερον δὲ Ἀκάμαντος γνωρίσαντος καὶ τοῦ Παλλαδίου εὑρεθέντος κατὰ χρησμὸν αὐτόθι τὸ δικαστήριον ἀπέδειξαν, ὡς Φανόδημος. Κλειτόδημος δέ φησιν Ἀγαμέμνονος σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος Ἀθήναις Δημοφῶντα ἁρπάσαι τὸ Παλλάδιον καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀνελεῖν.

[1]) Fragm. Ep. ed. *Kinkel* p. 37: *„καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου"*.

V

Antiquitatis sacrae studiis eo adductus esse videtur Callimachus, ut nonnumquam religionis cuiusdam sedes antiquissimas accurata investigatione etiamnunc inveniri posse indicaret. Verum enim vero nihil antiquius nihil diligenti studio dignius censebat quam id quod cum patriae Cyrenaicae originibus cohaereret. Ita per totum hymnorum et carminum cursum tantum non semper eo ipse sua trahitur voluptate, ut simodo possit ad patrum religionem proavorumque Minyarum deos tandem denique se applicet.

Sed antequam haec pluribus exponam primum statuere oportet, quid de patriae conditoribus poetae visum sit, quid ex antiquorum testimoniis reiecerit, quid ceteris anteposuerit.

In hymno *ad Apollinem*, qui hymnus Apollinis Carnei sacris destinatus super solitam Callimachi aequanimitatem adsurgit, Cyrenaici dei honorem diserte celebrans raptim per quinque versus ita de Cyrenae primordiis exponit, ut quae reticuerit consulto eum praeterisse haud obscurum sit (vs. 72):

Σπάρτη τοι Καρνεῖε, τόδε πρώτιστον ἕδεθλον [1]),
δεύτερον αὖ Θήρῃ, τριτατόν γε μὲν ἄστυ Κυρήνης.
ἐκ μέν σε Σπάρτης ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο
ἦγαγε Θηραίην ἐς ἀποίκισιν· ἐκ δέ σε Θήρης
οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ.

Haec si cum duplici narratione quam tradidit Herodotus comparamus pauca quaedam sed magnopere discrepare videmus; sed plera-

[1]) Cf. de huius versu corruptela *Studia Call.* I. p. 212.

que ita conveniunt, ut credere liceat etiam Callimachi aetate praevaluisse eam apud Cyrenenses traditionem quam refert Herodotus [1]).

Ab urbe Sparta primas origines esse petendas uterque scriptor contendit. Herodotus ex alto rem repetens capite 145 refert Minyas, Argonautarum nepotes olim e Lemno fugatos consedisse in Taygeto, inde supplices adisse Lacedaemonios ut in civitatem se reciperent, receptos autem praecipue propterea quod Dioscuri Argonautarum expeditioni interfuissent, postea, Spartanorum virginibus in matrimonium acceptis, in suspicionem venisse regni affectandi; quam ob causam in vincula coniecti dolo tamen uxorum e carcere aufugerunt, et cum forte eodem tempore Theras ὁ *Αὐτεσίωνος τοῦ Τισαμενοῦ τοῦ Θερσάνδρου τοῦ Πολυνείκεος*, qui matrimonio cum genere Heraclidarum iunctus esset, post exactam Eurysthenis ac Proclis tutelam, in eo esset ut coloniam in Theram insulam deduceret, „*ad cognatos suos*", secum Minyas deduxit, aut saltem partem eorum (*οὔ τι πάντας ἄγων τοὺς Μινύας ἀλλ' ὀλίγους τινάς*, cap. 148). — At Callimachus, quippe qui hymno de quo agimus non urbis primordia sed honorem Carnei cantet, nunc quidem de Minyarum nepotibus tacet, duas autem res inprimis urguet: Lacedaemoni patriam suam deum ipsum Carneum acceptum referre, et curam Carnei cultus Cyrenaicos debere Therae, viro e Boeotica gente orto. Ad utramque rem infra recurram.

Theram insulam Phoenices olim incoluisse (quae erat Herodoti opinio multis postea quoque accepta [2]) reticet Callimachus nostro loco; et, ne sua urbs etiam ex elementis minus Graecis constare videretur, reiecit etiam fortasse hanc historiam. Constat enim Strabonis testimonio (I. p. 46) in Argonautarum reditu enarrando huius insulae mentionem fecisse poetam: *λέγεται πολλὰ τεκμήρια τῆς τε Ἰάσονος στρατείας καὶ τῆς Φρίξου· τῆς δ' Ἰάσονος καὶ τῶν ἐπιδιωξάντων Κόλχων καὶ μέχρι τῆς Κρήτης καὶ τῆς Ἰταλίας καὶ τοῦ Ἀδρίου, ὧν ἔνια καὶ ὁ Καλλίμαχος ἐπισημαίνεται, τοτὲ μὲν „Αἰγλήτην Ἀνάφην τε Λακωνίδι γείτονα Θήρῃ" λέγων κ. τ. λ.* (cf. Schneider *Call.* II. p. 382). Hoc loco igitur si constat Callimachum de Thera insula egisse — Calliste quae tunc fuit — probabile est eum putasse ab Argonautis insulam habitatam esse: quodsi Minyarum sedem ab antiquis

---

[1]) Herod. IV. 145—149.

[2]) Steph. Byz. *Μεμβλίαρος, νῆσος πλησίον Θήρας, <ἡ> καὶ Ἀνάφη, ἀπὸ Μεμβλιάρου τοῦ Θήραν οἰκήσαντος Φοίνικος, τῶν μετὰ Κάδμου ἱνός.* cf. Studniczka i. Roscheri Lexico s. v. *Kyrene* (II. 1739).

inde temporibus insulam fuisse putavit, Phoenicum ibi vestigia ignoravit vel potius neglexit, sive eadem de fabulosa insulae origine probavit quae tradit Apollonius, sive — quod potius credam — alia testimonia secutus est. Arcte vero Callisten cum Cyrenis cohaerere ipse quoque profitetur, disertis verbis eam insulam salutans Cyrenaicae patriam:

„Καλλίστη τὸ πάροιθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη
μήτηρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης [1])

Pergit Herodotus c. 150 *sqq.*, multis verbis ut in certamine gravissimo Theraeorum atque Cyrenaicorum, testimonia exponere de primordiis urbis Cyrenes, quae ad verbum hic referre non attinet. Convenit inter utrosque Battum Polymnesti filium ex genere Euphemidarum iussu Pythii Apollinis ad urbem novam in Libya condendam profectum esse, et oraculum, sive neglectum sive male intellectum iterandum fuisse deo, antequam revera ad Cyrenaicae oram appellerent coloni; at discrepabat inter Theraeos et Cyrenaicos (eos quidem quorum testimonium Herodotus refert) hac re: secundum Theraeos (c. 151—153) nullae aliae Cretensium fuerunt partes in Cyrena condenda quam quod Coroebum piscatorem Cretensem ex urbe Itano ducem itineris coloni Theraei secum duxissent ad insulam Plateam; contra Cyrenaicorum fuit opinio regem ipsum Battum matris genere Cretensem fuisse. Ex eorundem autem auctoritate affert historicus notissima illa duo oracula, quae Cyrenarum incolae Batto data esse contenderunt a Pythio Apolline, quorum alterum idcirco nunc memoratu dignum est, quod spectat Apollinis iter in Libyam cum Cyrene nympha olim factum:

„αἴ τυ ἐμεῦ Λιβύαν μηλοτρόφον οἶδας ἄμεινον
μὴ ἐλθὼν ἐλθόντος, ἄγαν ἄγαμαι σοφιάν σεῦ".

Quid igitur in hac re Callimachus statuendum docuit? Res maximi momenti mihi videtur quod utrumque, tam oraculum Delphicum quam Cretensium auxilium, silentio praetermissum est a poeta

---

[1]) Fr. 112.— *Εὔιππος πατρίς* hic dicitur propter Pindari laudes *Pyth.* IV. 2 *„εὐίππου βασιλῆι Κυράνας"*. Eandem patriae laudem fortasse spectavit Callimachus, cum fr. 2 narravit Enyalium (*Neptuni Libyaeque* filium) primum invenisse *τὸν ἱππικὸν ἀγῶνα ἅρμασι διπώλοις*. Quoniam autem saepius in hymno secundo ita verba legit et ordinat noster ut pro certo inde efficias Pindari carmen Pythium quartum et quintum ei ante oculos fuisse (cf. Call. II. vs. 71 et Pind. V. 72 sqq.), veri haud dissimile videtur in Euphemi Minyae historia quae ferebatur de gleba illa, quam obtulerat heroi Eurypyli personam indutus daemon Libycus, Callimacho magis placuisse quae Pindarus tradit (IV. 42), glebam Euphemi neglegentia in mare delapsam delatamque ad Theram insulam, quam quae leguntur apud Apollonium.

qui vix umquam neglegentia tale quid omisit [1]). De Pythiae oraculo cur nullam in tam gravi re fecerit mentionem, posthac inquiram; nunc videndum est de Cretensibus. Cretae insulae quam ob causam honor in condenda Callimachi patria postulari soleat, id quidem facile dictu. Regnante enim Batto cui cognomen Felix fuit, aucta est res publica Cyrenensium, Pythiae iussu, multis ex Graecia hominibus arcessitis, inter quos nonnullos fuisse Cretenses eo apparet, quod postea in discordia civium Cyrenensium Demonax Mantinea arcessitus ad res ordinandas, civitatem in tres tribus divisit: „*τριφύλους ἐποίησέ σφεας, τῇδε διαθείς. Θηραίων μὲν καὶ περιοίκων μίαν μοῖραν ἐποίησε, ἄλλην δὲ Πελοποννησίων καὶ Κρητῶν, τρίτην δε νησιωτέων πάντων*" [2]). Prima igitur tribus ex primis colonis constabat, et siquidem permanebant Callimachi aetate tribus Demonacteae, necesse est Battiaden, quippe qui esset ex genere Euphemi Minyae, huic primae tribui adscriptum fuisse. Nec tamen propterea primam tribum ceteris praeposuit aut Cretensibus ideo in condenda urbe concessit partes, quas antiquae historiae studio edoctus aliis deberi iudicaverat. Non solum in sua tribu quae elementa ex antiquis Minyis orta erant, ea ceteris anteposuit, diserte professus (II 69),

„*ὦπολλον, πολλοί σε Βοηδρόμιον κλείουσι* [3])
πολλοὶ δὲ Κλάριον· πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ·
αὐτὰρ ἐγὼ Καρνεῖον· ἐ μ ο ὶ πατρώιον οὕτω,"

verum semper et ubique tenaci studio in vestigiis Minyae gentis exscrutandis versatus, in ceteris quoque tribubus quidquid ad Minyas pertinere ei videbatur sedulo extulit, cetera pressit. Atqui, in altera tribu quinam fuerint illi „Peloponnesii", id quidem non constat, verum si tenemus Mantinea arcessitum esse Demonactem a Cyrenensibus, tum si recordamur antiquitus Theram, Autesionis filium, Lacedaemone proficiscentem non omnes Minyas esse secutos,

---

[1]) Incerta enim, licet multis probata, suspicio est Caroli Dilthey de fr. 264 (*Schol.* Pind. *Pyth.* IV. 104): *οὐκ ἠρωτήθη παρὰ τοῦ Βάττου περὶ τῆς ἀποικίας ἀλλὰ περὶ τῆς φάτης. ἔνθεν δὴ καὶ αὐτώρης ὁ τρίπους· ὡς Καλλίμαχος· „αὐτώρης ὅτε τοῖσιν ἐπίφραδε", καὶ τότε αὐτώρης ἡ μάντις λέγεται ὅταν μὴ βουλ[ευ]ομένου τινὸς περὶ ὅτου ἦκει μαντευσόμενος ἀπαντομανίαν.* Vir doctissimus enim scholiastae verbis laudatis (*de Cydippe* p. 93. *not.* 2) haec addit: „*Nexus quo illud profert scholiographus me movet, ut Callimachea quoque ad Battii historia revocare malim*". Mihi quidem versus Callimacheus propter nullam aliam causam afferri videtur a scholiasta quam ut testimonio explicet vocem *αὐτώρης*, nec enim addit ille iis verbis spectari Battum, ad quem ut referantur certe non suadet forma pluralis *τοῖσιν*, Battus enim cum oraculum peteret solus Pythiam adiit (Herod. IV. 156).

[2]) Herod. IV. 159 et 161.

[3]) *Stud. Callim.* I. 211.

quia complures *„ἐτράποντο ἐς τοὺς Παρωρεήτας καὶ Καύκωνας, τούτους δὲ ἐξελάσαντες ἐκ τῆς χώρης σφέας αὐτοὺς ἓξ μοίρας διεῖλον, καὶ ἔπειτα ἔκτισαν πόλιας τάσδε ἐν αὐτοῖσι, Λέπρεον Μάκιστον Φριξὰς Πύργον Ἔπιον Νούδιον"* [1]), haud levis est suspicio ex hisce Triphyliae incolis ac vicinis Arcadibus nonnullos consanguinitate Minyis iunctos posteris temporibus in Cyrenaicam esse profectos. His igitur civibus, ex Peloponneso oriundis, Minyarum ex Triphylia et Arcadia pronepotibus quam maxime favet poeta, eorum sacris traditionibus palmam defert antiquitatis, eorum mythis fidem habendam censet. Et si forte singularum tribuum discrepant sacrae fabulae, si certant cum Cretensibus Peloponnesii, quo magis favet Arcadibus eo infestior Cretensibus est, sicuti vidimus eum gravissimas inter utramque gentem lites una voce dirimentem: *„Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται"*. [2])

Verum si recte suspicor poetam eo deductum esse antiquitatis studio, ut quidquid in cultu sacrisque fabulis cum Minyarum gente et Cyrenaicorum proavis cohaerere videretur id praecipue investigaret atque exponeret, necesse est alia plura eius suspicionis adminicula in hymnis se offerre. Quaerenti non deerunt.

Sane hymnus in Iovem, post expositam dei originem Arcadicam statim ad eius facultates ac potentiam celebrandam se vertens, in numine cantando quod ab universa Graecia iam eadem ubique ratione coleretur Minyeiae antiquitatis studia non prodit; sed hymnus *in Apollinem* cum Carnei Spartiatae honore ita Nomium coniungit, ut de Cyrenarum cultu Phoebeo simul disertum ferat iudicium poeta (II. 47)

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἕξετι κείνου,
ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Cyrenaici enim non solum Apollinem Carneum sed Nomium quoque proprio cultu honorabant itemque Apollinis ex nympha Cyrene filium Aristaeum cognomine *Νόμιον* salutabant [3]), sed certabatur de cognominis vi atque origine, et profecto dei naturam melius

---

[1]) Herod. IV. 148.

[2]) Hymn. *in Iov.* vs. 6. Mihi igitur verisimile videtur inter duas opiniones quae vigerent in urbe sua ipsum poetam eo hymno diiudicasse. Ceterum non suffragor iis quae scribit Maass. *Herm.* XXV p. 402 *„Kallimachos hat die Kenntniss seiner eigenartigen Zeuslegende aus seiner Heimath nach Alexandreia, wo er den Hymnus ± 280 für ein Symposion von Privatpersonen, vielleicht Kyrenaeern, verfasste, mitgenommen."*

[3]) Pind. *Pyth.* IX. 66. Schirmer in Roscheri Lexico *s. v. Aristaios.*

quam Callimachus perspectam habebant ii qui docuerunt scholiasten ad Hom. *Φ.* 441—449 „*τὸν Ἀπόλλωνα κεκλῆσθαι Νόμιον διὰ τοιαύτην αἰτίαν. οἱ παλαιοὶ τοὺς λοιμοὺς ἐξ Ἀπόλλωνος ἐνόμιζον. πᾶς δὲ λοιμὸς ἐκ τῶν ἀλόγων ἄρχεται, ὡς καὶ Ὅμηρος· „οὐρῆας μὲν πρῶτον κ. τ. λ.*". Sed mythorum interpretationes physicas minus curat Callimachus quam antiquam historiae fidem. Revocat *Νομίου* dei cultum ad eas regiones ad quas eum referre iubebat ipsa gentis suae antiqua memoria, ad sedes antiquissimas Cyrenae deae proavorumque Minyarum; adicit ex accurata locorum notitia ipsum fluvioli nomen, in Pagasaeum sinum influentis, ad cuius ripas deus homini ministerium praestitisse dicebatur, denique equas non boves pavisse deum memorat quo magis Homeri quoque auctoritate niti videatur, qui de Eumeli equis testimonium tulerat *B.* 766:

τὰς ἐν Πιερίῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
ἄμφω θηλείας. [1])

Ipsam Cyrenen nympham diserte ad priscam patriam referre vix opus erat, nam de ea plerique consentiebant, atque imprimis longa et clarissima extabat Pindari narratio. Hypseum patrem ei addicit noster [2]), et amores nymphae vimque validam haud sine gratia exponens cum Apolline Nomio, ut par erat, arctissimo vinculo coniungit eam II. 90—95. Hymno tertio eam Artemidi sociam atque amicam addit, ita tamen ut hic quoque cum Minyarum gente ac sedibus eam coniungat (III. 206):

„καὶ μὴν Κυρήνην ἑταρίσσαο, τῇ ποτ' ἔδωκας
αὐτὴ θηρητῆρε δύω κύνε, τοῖς ἕνι κούρη
Ὕψηις παρὰ τύμβον Ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου",

quibus versibus ante Iolci portas (nam ibi Peliae tumulum fuisse putandum est) eum collocat locum, quo nympha amore Apollinis,

---

[1]) Eiusdem Apollinis Thessali alium cultum memorat fr. 545[b], nempe Actii ad cuius templum factam esse Argo navem docet; unde urbs Pagasae dicta est. Cf. Apoll. Rhod. I. 403. 238.

[2]) Neque dubitat de eius genealogia, bis enim *Ὑψηίδα* eam dixit, III. 208, II. 92; nusquam Penei filiam, quod monendum videtur quoniam Maassius (*Orpheus* p. 292) de Philetae *Aristaeo* multa incerta proferens, contendit verba quibus Latona Peneum alloquitur Call. IV. vs. 152 „*χάριτος δέ τοι ἵσσεν ἀμοιβή*", spectare Aristaeum, qui scilicet in Philetae carmine amisso dictus esset natus esse Cyrena, Penei filia: „*Jetzt erklärt sich das kallimacheische Zitat: Letos damals geborner Sohn wird die Tochter des Peneios, die Nymphe Kyrene, mit seiner Liebe beglücken; Aristaios ist wirklich Peneios' wie Letos Enkel.*" Quis credat, eundem poetam, qui ipse Cyrenen bis *Ὑψηίδα* dixit, ita tacite hoc loco innuere in aliam genealogiam? Nam de Cyrenae origine ex Peneo ne verbum quidem addit.

ἀρχηγέτου urbis suae, primum dignata est. Sic — quod acute observavit Maassius — cum Cyrenes victoria poeta coniungit memoriam ludorum ferialium, quibus Euphemum Battiadarum proavum victorem quondam vidissent Minyae. [1])

In hymno ad Apollinem ipse fere carminis argumentum ducit ad Minyas. Sed sexto etiam ac quinto hymno poeta eodem ultro agi videtur. Specie enim ordo narrationis Callimachum deducit, revera proprium consilium qua ipse iubet eum agit, cum hymno in Cererem vs. 16 ipse se increpans:

„μὴ μὴ ταῦτα λέγωμες, ἃ δάκρυον ἄγαγε Δηοῖ,"

subito cursum deflectit et in Thessaliae campos auditores sevocat. Quare subito in Thessaliam? Causa aperta est si Couatium, virum doctissimum, audimus: „hymnum in honorem Cereris Cnidiae quae in Triopio promunturio colitur, poeta composuit; *„l'emploi du dialecte dorien dans l'hymne VI, et la place prépondérante qu'y occupe la fable d'Erysichthon ne peuvent s'expliquer que de cette manière*". [2])

Hanc opinionem ut tutetur Couatius primum scholiastae obloquitur. Et id quidem recte, si contendisse scholiasten concedendum est, ad festum *Alexandrinae* Cereris hymnum scriptum esse. Doricam enim dialectum in Eleusiniis Alexandrinis adhibitam esse perquam improbabile videtur. [3]) Accedit autem, quod ne verbo quidem Thesmophoria in hymno nostro memorantur. Ceterum ne ipse quidem scholiasta sententiam, quam merito Couatius reiecit, disertis promit verbis. Explicat tantum prima hymni verba „τῷ καλάθῳ κατιόντος" hunc in modum; „Ὁ Φιλάδελφος Πτολεμαῖος κατὰ μίμησιν τῶν Ἀθηνῶν ἔθη τινὰ ἵδρυσεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἐν οἷς καὶ τὴν τοῦ καλάθου πρόοδον. ἔθος γὰρ ἦν ἐν Ἀθήναις ἐν ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ ἐπὶ ὀχήματος φέρεσθαι καλάθιον εἰς τιμὴν τῆς Δήμητρος". Quae verba, neglegenti cuidam excerptori debita, hac quoque re falsa videntur,

---

[1]) Paus. V. 17. 4; Maass. *Göttinger Anz.* 1890 p. 342; cf. Studniczka *Kyrene* in Roscheri Lexico col. 1720. Quicunque Urbis Cyrenes sive historiam sive sacra tangit, plurima debet Studniczkae sagaci doctrinae, cuius investigationi siqua conveniant inventa mea non nisi inscius hoc monere omitto. Contra minime mihi probantur quae de Cyrene Callimachea ac de hymno Callimachi in Apollinem disputavit. De qua re infra disseram.

[2]) *La poésie Alexandrine* p. 227.

[3]) Inscriptiones saltem Eleusini apud Alexandriam repertas, quas contulit Néroutsos-Bey, *l'ancienne Alexandrie* p. 110 sqq., tituli plerique sepulchrales hominum Graecorum ex Creta, Samothrace, Rhodo, Delphis oriundorum, Attice scriptae sunt.

quod Philadelpho tribuunt quae patri debentur [1]). Sed non solent scholia Callimachea, ex optimis saepe fontibus hausta, aberrare tota re. Instaurata esse a Ptolemaeo Thesmophoria secundum ritus Atticos nemo negat. Et quoniam instituta Ptolemaeorum etiam extra Alexandriam inter imperii incolas Graecos saepe imitatores invenerunt, haud absum a suspicione Cyrenas quoque sua habuisse Thesmophoria atque ita hunc quoque hymnum, quod de hymnis secundo ac tertio mihi constat, poetae patriae destinatum fuisse. Certe dialectus hymni Dorica, quae Couatium induxit ut festo Triopico carmen dedicatum fuisse opinaretur, suspicioni meae minime obstat. Ut aliis urbibus Doricis ita Cyrenis hymnus dorice conscriptus destinari potuit.

Verum etiam alio argumento nititur Couatii disputatio, quod, aliqua parte immutatum, iterum protulit Crusius in Roscheri lexico I. 1374 [2]). *Der Dichter*", ita ille, „*wird zur Behandlung der Erysichthon-sage veranlasst sein durch das Pietäts-verhältniss, welches seinen in Kosgeborenen königlichen Auftraggeber mit dem Triopischen Heiligthum verband*". Et cultui Triopico — non solum Cereris sed aliorum quoque deorum — favisse Ptolemaeos, id sane constat [3]). Verum quid de poeta aulico, in quovis adulationis genere versatissimo, iudicemus, qui carmine ornaturus ea sacra quae antiquitus Triopas Cereri condidisse ferebatur, horrendam infamemque calamitatem enarrandam sibi sumpserit, qua olim ipsa Ceres hunc eundem Triopan propter filii Erysichthonis impietatem affecisset! Ipse poeta, modo iam in eo se versari fingens, ut raptum Proser-

---

[1]) Non enim est cur diffidamus Taciti testimonio *Hist.* IV. 83 referentis Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, ut Antistitem caerimoniarum Eleusine excitum esse a primo Lagida. Cf. Plut. *Is.* c. 28. Ita quoque Lafaye (*Les divinités d'Alexandrie hors de l'Egypte* p. 21): „*ils* (i. e. Ptolemaeus Lagi filius et Timotheus) *réglèrent d'une façon définitive tout ce qui touchait au dogme et à l'organisation du culte mixte.*" Quibus suffragor quod attinet ad temporis rationem, nam de cultu illo mixto quae disputat vir doctus multum abest ut iis mihi persuaserit.

[2]) Quamquam nescio num ille ex eo efficere voluerit *Triopicis* sacris hymnum destinatum fuisse, nam scribit „*das Gedicht ist für ein von Ptolemaios Philadelphos eingesetztes Demeterfest bestimmt*", at de quonam cogitet festo non indicat.

[3]) Aperte indicat eum cultum Theocritus XVII. 68, quem versum ipse Crusius quoque laudat. Callimachus autem si hunc hymnum sacris Triopicis destinasset numquam versum scripturus fuit qualem nunc dedit 30: „*θεὰ δ' ἐπεμαίνετο χώρῳ ὅσσον Ἐλευσῖνι, Τριοπᾶδ' ὅσον, ὄχθον Ἔννᾳ*", parum enim conveniebat in festis Triopicis ita Cereris erga hunc locum amorem praedicare, ut simul cum aliis locis tamquam in transitu enumeraretur, idque eo tantum consilio ut non ipsius Triopii sed campi Dotii laudes celebrarentur.

pinae enarraret, subito se cohibuerat et exclamaverat „μὴ μὴ ταῦτα λέγωμες ἃ δάκρυον ἄγαγε Δηοῖ"; quid igitur, lacrimas ciere Triopae, aut Triopii incolis nonne eum dedecebit? Talia si in Triopensi festo ausus esset decantare, ipsius verbis eum increpuissent Triopenses: „τὶ δάκρυον εὖδον ἐγείρεις; — nefas est in sacro festo enarrare infandas conditoris ruinas!"

At si non Ceres Cnidia hymno sexto cantatur neque Eleusinia Ceres Alexandrinorum, si contra Cyrenaicae Cereris honores spectantur, poetae quaerenti quid matronis narret expectantibus sacri calathi reditum, aptissime obvenit antiquae deae atque proavorum Minyarum patria. Indulget studio quo semper flagrat, et antiquitatis illustrandae causa in priscas sedes Minyarum praeit auditoribus [1]). Nam proxime Iolcum situs erat olim Dotius ille campus, quem tantopere dilectum fuisse Cereri narrat, ut neque Triopium, neque Eleusin neque Ennan magis amaret. Cuius campi incolas si non Minyas dicit poeta sed Pelasgos, nemo mirabitur; solet enim eo nomine indicare quidquid ad antiquissimos Graeciae incolas pertinet [2]), atque quomodo Homerum secutus Pelasgos nuncupat qui Dodonam incolunt, Argivasque matronas Pelasgiades salutat, ita nunc eius campi, in quo quondam rex Abas τὸ Πελασγικὸν Ἄργος condidisse ferebatur, incolas haud absurde Pelasgos vocat. Simul vero, cum genere Minyarum arcte cohaerere Dotii campi reges, contra Hellanici testimonium ac contra alias quoque genealogias, diserte monet. Docuerat Hellanicus ἐν πρώτῳ Δευκαλιωνείας Erysichthona Myrmidonis fuisse filium [3]). Extat alius stirpis memoria apud Zenonem Rhodium Polybii aequalem, qui antiquioribus, Rhodiis scriptoribus debet opinor quae narrat: Triopan (sive Erysichthona, nam idem apud Cnidios fuit) ex patre Sole, matre Rhode natum habitasse in insula Rhodo atque inde in Cariam profectum esse [4]).

---

[1]) Mythi cultusque Thessalicae originis etiam atque etiam in Callimacheis recurrunt: huc quoque pertinent IV. 118 *Πήλιον ὦ Φιλύρης νυμφήιον* supra p. 32. Admeti fabula (supra p. 30) et fortasse Artemis Pheraea (hymn. III. 259).

[2]) V. 4 *Πελασγιάδες* Argivae. IV. 284 *Δωδώνηθι Πελασγοί* (cf. *Stud. Callim.* I. p. 180). Epigrammate autem XL (*Δημήτρι τῇ Πυλαίῃ, τῇ τοῦτον οὐκ Πελασγὸν Ἀκρίσιος τὸν νηὸν ἰδείματο*) docte meminit quae de Thessalorum Cerere antiqua eiusque templo ad Thermopylas sito memorata essent ab Hellanico aliisque rerum scriptoribus: Acrisium in Delphorum cum vicinis discordia ad res ordinandas arcessitum. Cf. Hellanicum apud schol. Apoll. *Argon.* I. 40 et schol. ad Euripid. *Orest.* 1087. — Argos Pelasgicum Callimachus, quantum scimus, non memoravit, sed regem Abantem respicit cum Boeotiam Abantiada dicit IV. 20 (cf. *Stud.* I. p. 115).

[3]) F. H. G. I. p. 48. fr. 17.

[4]) F. H. G. III. p. 178. Sunt qui putent haec a Zenone ipso vane ficta esse ad augen-

Denique tertiam genealogiam servat scholiasta ad Theocritum ex Iasone Posidonii discipulo referens: „*τὸ δὲ Τριόπιον ἀκρωτήριον τῆς Κνίδου, ἀπὸ Τριόπου τοῦ Ἄβαντος, ὡς ἐν τοῖς περὶ Κνίδου (Ῥόδου* Müller probabiliter) *Ἰάσων φησί*" [1]). Equidem has omnes Triopae genealogias iam Callimacho notas fuisse neque contendo neque negaverim, nam etiam plures extant; data opera autem poetam in nostro hymno docuisse quid sibi statuendum videretur, dabit mihi quicunque animadverterit quam accurate Triopas de genere suo patrem suum edoceat, huius rei mehercle non ignarum. Increpat enim Erysichthonis parens miserrimus Neptunum hisce verbis vs. 97:

καὶ δ' αὐτὸς Τριόπας πολιαῖς ἐπὶ χεῖρας ἔβαλλε,
τοῖα τὸν οὐκ ἀλιοντα Ποσειδάωνα καλιστρέων·
„ψευδοπάτωρ, ἴδε τόνδε τεοῦ τρίτον, εἴπερ ἐγὼ μὲν
σεῦ τε καὶ Ἁλολίδος Κανάκας γένος, αὐτὰρ ἐμεῖο
τοῦτο τὸ δείλαιον γένετο βρέφος".

Sicut ita e patre Neptuno tam Minyas quam rex Dotii campi Triopas nati erant, a matribus quoque consanguinei sunt. Minyas enim ex Chryside Aeoli nepte mox nascetur Neptuno. Poseidon autem ille *ἵππιος*, deus Minyarum gentilis [2]), quem simul cum Cerere in sacro Triopio quoque cultum esse scholia ad Theocritum supra laudata testantur, haud neglectus est a Callimacho. Eum sacris nuptiis cum Cerere coniunctum coli apud Thelpusaeos Arcadiae incolas memoravit fr. 207, ei filium addidit Lepreum illum (fr. 100 h[6]) cuius a nomine dicta esset urbs in Triphylia condita ab illis Minyis qui ex Laconica aufugerant aetate Therae. Denique *Ἵππιον* Battiadarum deum gentilem respexit cum Dianam puerulam Vulcani officinas intrantem describens adiecit quonam opere occupatos Cyclopes ea invenisset (III. 50):

ἱππείην τετύκοντο Ποσειδάωνι ποτίστρην. [3])

Haec igitur sunt quae de Poseidone Hippio deque Cereris sedibus antiquissimis iudicasse videtur. Quam deam, licet eius numen

---

dam patriae gloriam. Num tali suspicione dignus sit scriptor quem laudet Polybius (XVII. 14) et per plura deinceps capita sequatur, dubito.

[1]) Schol. ad Theocr. XVII. 69.

[2]) Id enim egregie demonstravit Immerwahr l. l. p. 35 *sqq.* p. 113 *sqq.*; etiamsi multa attulit quae nimis incerta propriam argumentationem obscurant (inprimis quae de Aonibus Azanibusque p. 114 *sq.* protulit).

[3]) Cf. etiam *Stud.* I. p. 60. — Delphorum origines huic deo tribuisse videtur fr. 24[b] ex eo natum Delphum heroem memorans, cf. fr. 221; Lesbum insulam cum eo coniungit *Μυτωνίδα Λέσβον* eam nominans fr. 38.

delineaverit tantum, non depinxerit, aptissime tamen et convenienter ei indoli qua priscis Thessalis praedita videbatur, ita in hymni exitu salutat (vs. 135):

χαῖρε θεὰ καὶ τάνδε σάω πόλιν, ἐν δ' ὁμονοίᾳ
ἔν τ' εὐηπελίᾳ. [1])

Sed ad alias Minyarum sedes auditores poeta arcessit cum Athenae laudes canendae sunt. Tamquam in transitu hanc deam hymno sexto nominat, vs. 75 narrans:

ἦνθον Ἰτωνιάδος νιν Ἀθαναίας ἐπ' ἄεθλα
Ὀρμενίδαι καλέοντες,

quibus sedulo dedit operam ut indicaret pristinos illos Thessaliae incolas ac reges praesertim coluisse Athenam illam quae cum gentis Aeolicae originibus arctissime cohaereret, cuius auspicio Argo navis a Minyis aedificata et per maria vecta esset [2]). Noverat autem optime vir eruditissimus hunc Itonidis cultum postea ex Thessalia secum duxisse Aeoles, in eas Boeotiae sedes migrantes, quae Minyarum regnum florentissimum vidissent. Ea igitur sacra Minervae ut cantaret, similem atque in sexto hymno rationem iniit hymno quinto, quo carmine sive revera Argivorum iussu celebrat sive iussum se fingit celebrare festum Argivum τῶν λούτρων. Deam enim Argivam, celeberrimo cultu atque antiquissimo in urbis arce honoratam iustis sane cognominibus ornat sed tamen inprimis eam divinae virginis imaginem depingit quae apud cives suos esset cognita atque dilecta. Hippia enim Athena est quam initio carminis salutat:

Ὅσσαι λωτροχόοι τᾶς Παλλάδος, ἔξιτε πᾶσαι,

---

[1]) Cereris Homonoiae non fit mentio a Callimacho. Oboritur autem suspicio, cum tamquam τῆς ὁμονοίας dea tutelaris hic a poeta Ceres salutetur, haud afuisse eum ab opinione, Boeotorum Cererem, quae ex Thessalia ac monte Homole deducta esset, Thebas atque ibi nomine τῆς Ὁμολωίας sive Ὁμολοίας coleretur, proprie dictam fuisse Ὁμονοίαν. Haec fuit saltem Istri opinio de Iove Ὁμολωίῳ cf. Ist. apud Phot. s. v. Ὁμολώιος, Steuding in Roscheri Lexico I. 2700. Bursian *Gr. Geogr.* I. p. 204.

[2]) Apoll. *Argon.* I. 551 Merkelius recepit lectionem Laurentiani Τριτωνίδος. In scholiis autem Ἰτωνὶς explicatur, quod altera manus quoque addidit in Laurentiano. Scholium mihi rectam lectionem servasse videtur, quamquam I. 109 et 761 Apollonius Τριτωνίδα deam dixit; saltem recte observata, et ex antiquo fonte hausta sunt quae adiciuntur: „Ἰτωνία; Ἀθηνᾶ; ἐστιν ἱερὸν ἐν Κορωνείᾳ τῆς Βοιωτίας. ὁ μέντοι Ἀπολλώνιος οὐκ ἂν λέγοι τὴν Ἀθηνᾶν ἐπὶ κατασκευῇ τῆς Ἀργοῦς ἀπὸ τῆς ἐν Κορωνείᾳ ἐπικλήσεως, μᾶλλον δὲ ἀπὸ Θεσσαλικῆς Ἰτωνίας περὶ ἧς Ἑκαταῖος κ. τ. λ."

ἔξιτε τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομενᾶν
τᾶν ἱερᾶν ἐσάκουσα,

et singulari cura per septem deinceps versus exponit, quam diligenti semper amore equos suos virgo bellatrix colere solita sit, quae numquam sua brachia laverit antequam pulverem equis deterserit; quin etiam cum ex Gigantum praelio rediisset

πολὺ πράτιστον ὑφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων
λυσαμένα παγαῖς ἔκλυσεν Ὠκεανῶ
ἱδρῶ καὶ ῥαθάμιγγας· ἐφοίβασεν δὲ παγέντα
πάντα χαλινοφάγων ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων.

Et tamen Argivorum deam, sive salutabatur bellicoso nomine Salpinx, sive Pania, sive Oxyderces [1]), curru vectam vix sibi fingebant cives; non magis quam aut poetae qui Gigantomachias cantarunt, Athenen e curru pugnantem fingere solebant, aut sculptores. Num igitur currum ascendit Athena Callimachea quoniam in Iliade haec sola dea cum Iunone curru ad bellum profecta esset? Alia, ni fallor, et gravior causa poetam duxit. Sicut ipsa patria Cyrene curruum semper gloria inclaruit — Arcesilai laudes quis non recordatur! — ita deam *χαλινῖτιν* summo apud Cyrenaicos honore semper cultam fuisse non dubium est, sive Hippiam eam nuncupabant sive alio nomine salutabant; aptissime autem Cyrenaicam Athenam cum Poseidone Hippio coniunxit Mnaseas Patrensis fr. 40: *„φασὶ δὲ αὐτοὺς καὶ πρώτους ἅρμα ζεῦξαι διδαχθέντας ὑπὸ Ποσειδῶνος, τὸ δὲ ἡνιοχεῖν ὑπὸ Ἀθηνᾶς, ὡς Μνασέας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης"* [2]).

Patriam igitur deam simul cum Argivorum Minerva spectans, et magis patriam quam Argivam, iterum, quod facere amat, carmine progrediente indicat antiquae deae sedes cum proavorum suorum memoria coniunctas. Et potuit profecto, si vellet, iterare cursum in Arcadiae pagos, nec ibi frustra quaesivisset Athenae Hippiae vestigia. Poterat Clitora urbem indicare, Athenae *κορίας* cultu claram, quam deam quadrigarum inventricem ferebant Arcades [3]). Poterat inprimis — nam huc conferre omnes Hippiae cultus Arcades nihil attinet — illud deae simulacrum memorare ad quod fere ultro invitavit mentio prioribus versibus facta de Gigantum proelio, sanctissimum dico signum, quod apud se asservabant, Manthyrei, de quo

---

[1]) Cf. Dümmler in Pauly-Wissowae Lexico II. s. v. *Athena* col. 1972.

[2]) Müller F. H. G. III. p. 156. Fragmentum Mnaseae debetur grammaticis qui eo illustrarunt versum Sophocleum *El.* 727. *μέτωπα συμπαίουσι Βαρκαίοις ὄχοις.*

[3]) Immerwahr l. l. p. 50, qui idem memorat nummos huius urbis cum equi frenati effigie. Collegit loca Arcadiae quae Hippiam celebrant p. 54, 70, 164.

Pausanias VIII. 47. 1: „*τὸ δὲ ἄγαλμα ἐν Τεγέᾳ τὸ ἐφ' ἡμῶν ἐκομίσθη μὲν ἐκ δήμου τοῦ Μανθουρέων, Ἵππία δὲ παρὰ τοῖς Μανθουρεῦσιν εἶχεν ἐπίκλησιν, ὅτι τῷ ἐκείνων λόγῳ γινομένης τοῖς θεοῖς πρὸς Γίγαντας μάχης ἐπήλασεν Ἐγκελάδῳ ἵππων τὸ ἅρμα*". Sed quamquam certo non immemor huius Palladis erat [1]), doctius nunc rem illustrat altiusque repetit. Ecce ex patria matronas Argivas, dum exituram deam expectant, narrando deducit in Boeotiam (vs. 55):

πότνι' Ἀθαναία, σὺ μὲν ἔξιθι· μέσφα δ' ἐγώ τι
ταῖσδ' ἐρέω. μῦθος δ' οὐκ ἐμὸς, ἀλλ' ἑτέρων.

Et iam sequitur, tenui profecto filo consuta cum Palladis cultu Argivo, narratio multis de causis laudanda qua venuste exponitur fabula de caecitate Tiresiae adulescentulo inflicta, cum *σχέτλιος οὐκ ἐθέλων εἶδε τὰ μὴ θέμιτ' ἦν* [2]). Quam fabulam ut hoc loco, non adulescentibus Argivis, quibus res exemplo posset esse, sed matronis exponeret, quaenam tandem eum causa adduxit? Haec opinor, quod occasionem quaerit de Athenae Hippiae religione antiquissima uberius disserendi. Ex more suo agit accuratissime, singula loca cultu antiquae Palladis inclyta-nomine indicans: nam exponens, quam cara fuerit Virgini nympha Chariclo, Tiresiae mater quam semper dea secum duxit sociam, haec addit (V. 61 *sqq.*):

ἀρχαίων εὖτ' ἐπὶ Θεσπιέων
ἦ 'πὶ Κορωνείας, ἦ εἰς Ἁλίαρτον ἐλαύνοι
ἵππως Βοιωτῶν ἔργα διερχομένα.

Num potuit accuratius indicare Minyarum in Boeotia sedes, aptiusve coniungere loca quibus Pallas Minyas antiquitus culta esse videbatur? Nam norant omnes Coroneae celeberrimum *τῆς Ἰτωνίας* fanum, de quo templo disertum est Strabonis testimonium lib. IX. p. 411 B: „*κρατήσαντες δὲ* (sc. Boeoti illi qui ex Thessalia venerant) *τῆς Κορωνείας ἐν τῷ πρὸ αὐτῆς πεδίῳ τὸ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἱδρύσαντο ὁμώνυμον τῷ Θετταλικῷ καὶ τὸν παραρρέοντα ποταμὸν Κουάριον προσηγόρευσαν ὁμοφώνως τῷ ἐκεῖ*". Noster autem, ut amat

---

[1]) Orphicorum hymnorum quoque poeta qui saepissime Callimachum exprimit imitando (ita tamen ut adiciat mysticismum a quo noster abhorret) *hymn.* 32. 12 sic Pallada invocat: „*Φλεγραίων ὀλέτειρα Γιγάντων ἱππολάτειρα*".

[2]) Num forte lavacri mos Argivus memoriam servet antiquae lavationis in fonte Heliconio quam enarraturus est, haec quaestio non eius est generis quod Callimachum alliciat. Neque magis quaerit quonam vinculo coniungi possint Palladis *πλυντήρια* Atheniensia cum Argivorum festo. Laetum noster diem festum finxit, et luce diurna fiunt Argivae deae lavacra. Contra nefastus Athenis dies *τῶν πλυντηρίων*, et tristi fere gravitate fit pompa solemnis.

poetarum testimoniis ornare numina quae celebrat, ita nunc in memoranda Coronea (vs. 63):

ἵνα οἱ τεθυωμένον ἄλσος
καὶ βωμοὶ ποταμῷ κεῖντ' ἐπὶ Κωραλίῳ,

Alcaei spectat versus quos idem laudat Strabo:

Ὄνασσ' Ἀθανάα πολεμαδόκος,
ἃ ποι Κορωνήας ἐπὶ πίσεων
ναύῳ πάροιθεν ἀμφιβαίνεις
Κωραλίῳ ποτάμῳ παρ' ὄχθαις. [1])

Cum Minervae Minyae cultu Coronaeo iungit Haliartum et Thespias, atque id recte, nam inter Coroneam et Haliartum Alalcomeneidis fanum erat vix minus quam Coraliae aedes antiquitate sacratum [2]) atque iuxta viam quae Thespias ducit, ad montis Heliconis radices, Hippocrene illa Palladis lavacro clarissima.

Propter hanc talem in Boeoticis diligentiam memoratu dignum est, quod de Tritone fluviolo, ubi natam esse Minervam contendebant, Callimachus tacet. Dissensit enim in hac re ab opinione vulgo accepta [3]), et Tritona fluvium patriae suae adscribere maluit. Num ideo putandum sit probatam fuisse poetae eam traditionem quae in Libya natam quoque Athenam ferret, admodum incertum est [4]). Et mihi quidem, etsi Tritonidem hic illic Minervam nuncupaverit [5]), poetarum morem secutus, parum id videtur probabile. Numquam saltem diserte memoravit, e Iovis capite natam esse Athenam ad Libycum lacum Tritonidem, et neglegentia omittere talia non solet. Gravius autem quod cultum Athenae Cyrenaicae cum Spartanorum religione nunc quoque coniungit, atque id rectissime, quia fama erat, Theram Autesionis filium in insulam Theram Minyas colonos deducturum, Athenae — deae gentili, quae a Minyis etiam in Boeotia olim culta fuisset — in urbe Sparta dedicasse sacellum. Eum igitur

---

[1]) Bergk *Poet. Lyr.*[4] fr. 8 (III. p. 151). Pausanias memorat Agoracritum Coronaeis fecisse simulacra aenea Athenae Itoniae et Iovis. Iovis autem Coronaei cultus non minus quam Athenae originem habet ex Minyis: Laphystius enim est (cf. Paus. IX. 34. 1, 4; 24. 2 et Herod. VII. 197).

[2]) Strabo IX. 413 C. Paus. IX. 33. 5.

[3]) Aliter iudicasse videtur Apollonius qui *Argon.* I. 109 Tiphyn Thespiensem inter Argonautas memorans ita dicit: „*αὐτὴ μὲν Τριτωνὶς ἀριστήων ἐς ὅμιλον ὦρσεν Ἀθηναίη.*"

[4]) Quidvis enim effici potest ex fr. 13: „*οἵη τε Τρίτωνος ἀφ' ὕδασιν Ἀσβύστεω*", neque plus proficimus ex fr. 398: Plin. *N. H.* V. 28 „*Ab his non procul a continente palus vasta Tritonem amnem nomenque ab eo accipit, Pallantias appellata Callimacho et citra minorem Syrtim esse dicta.*"

[5]) Veluti Epigr. inc. IX.

simul cum Apollinis Carnei cultu Athenam Hippiam deduxisse in Theram insulam, atque inde cum Phoebo Minyae deae religionem venisse Cyrenas tantum non certum est. [1])

Disertis verbis haec non docent Callimachi poemata. At memorant tamen Spartam deamque Laconicam hymni versus 28 *sqq.*:

ἃ δὲ, δις ἑξήκοντα διαθρέξασα διαύλως,
οἷα παρ' Εὐρώτᾳ τοὶ Λακεδαιμόνιοι
ἀστέρες, ἐμπεράμως ἐνετρίψατο λιτὰ λαβοῖσα
χρίματα, τᾶς ἰδίας ἔκγονα φυταλιᾶς.

Quid Dioscuri huc faciant quivis videbit. Cum iis componitur dea virgo, quoniam arctissime cum iis tam Spartae quam Cyrenis Athenae cultus coniunctus est. Et praesertim quidem Spartae consociantur cum Athena „sidera Laconica", inde autem cum hac dea devenerunt Cyrenas.

In ipsa Lacedaemone eius societatis testimonia abundabant: in urbis foro coniunctas habent aras Zeus *Ἀμβούλιος*, Athena *Ἀμβουλία* Dioscuri *Ἀμβούλιοι*. Ipsius deae *πολιούχου* aedem post Tyndari mortem Dioscuri confecturi erant si longior inter mortales vita iis data fuisset. Athenae Asiae templum iidem vovent, salvi ex Argonautarum expeditione reduces [2]). Tandem Minervam Dioscuris *ἐπαυλῆσαι τὸν ἐνόπλιον* narrat Epicharmus [3]). Cyrenis autem quanto in honore fuerint Dioscuri, nemo ignorat. Erat eorum templum in urbis foro. Cum silphio Dioscuri effinguntur in nummis rei publicae. Qui reges vincunt curru, eos Pindarus, is quoque originem Minyam *τῶν λευκίππων* haud ignorans, vicisse *ἕκατι χρυσαρμάτου Κάστορος* exclamat. [4]) Et Lacedaemone Dioscurorum cultum Cyrenas advectum esse, id memoria servabatur fideliter et fabulosis narrationibus iterabatur. Ita apud Pausaniam III. 16. 2 exponitur theophania Phormioni cuidam Spartiatae olim facta; narrantur Tyndari filii domum habitasse Amyclis: *χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐκτήσατο Φορμίων ὁ Σπαρτιάτης.*

---

[1]) **Paus. III. 15. 6:** „*Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἰόντι ἐτέραν ὁδὸν ἀπὸ τοῦ ὁρόμου. Θήραν δὲ ἀναθεῖναι τὸν Αὐτεσίωνος τοῦ Τισαμένου τοῦ Θερσάνδρου φασὶν, ἡνίκα ἀποικίαν ἔστελλεν ἐπὶ τὴν νῆσον, ἣ νῦν ἀπὸ Θήρα τούτου τὸ ὄνομα ἔσχηκε.*" Rectissime Wide *Lakonische Kulte* p. 38: „*Deshalb ist der Poseidon Hipposthenes, dessen Heiligthum neben dem von Theras gestifteten Tempel und dem Heroon des Kadmos von Pausanias angeführt wird, wahrscheinlich kein anderer als Gaiaochos-Asphalios-Hippios*".

[2]) **Paus. III. 13. 6; 17. 2; 24. 7.**

[3]) **Ath. IV. 184.**

[4]) **Pind.** *Pyth.* **V. 9** de rege Arcesilao. De Dioscurorum templo schol. ad *Pyth.* V. 121: „*λέγεται δὲ καὶ τὸ ἱερὸν ἐν ἐκείνῃ τῇ πλατείᾳ εἶναι*". Nummos vide apud Furtwängler in Roscheri lexico i. v. *Dioskuren*, I. 1166.

παρὰ τοῦτον ἀφίκοντο οἱ Διόσκουροι ξένοις ἀνδράσιν ἐσκότες· ἥκειν δὲ ἐκ Κυρήνης φήσαντες καταχθῆναί τε ἠξίουν παρ' αὐτῷ, καὶ οἴκημα ἤτουντο ᾧ μάλιστα ἔχαιρον, ἡνίκα μετὰ ἀνθρώπων ἦσαν. Hospes, quamvis ceteram domum libens peregrinis concedere paratus unum illud quod rogassent cubiculum se dare posse negat, quoniam ibi filiola cubet. Ecce postero die evanida est tam virgo quam ministrae eius, Διοσκούρων δὲ ἀγάλματα ἐν τῷ οἰκήματι εὑρέθη καὶ τράπεζά τε καὶ σίλφιον ἐπ' αὐτῇ. [1])

Cyrenaicorum cultuum origines in his omnibus numinibus exquirens, Callimachus Cereri Neptuno Apollini Minervae eas vindicat patrias ex quibus proavos Cyrenensium Minyas oriundos esse constabat. Ut rem absolvam adicienda pauca quaedam de Diana. Etsi enim, ut supra vidimus, huius deae cultum Arcadiae fere proprium dicare conatus est, unam tamen huius quoque religionis agnovit formam quam cum Minyarum gente prisca coniungere poterat.

Hymno tertio postquam animo ludenti indulgens vitae Olympiae imaginem dedit — quae haud paucis etiamnunc probatur propter elegantias, mihi infra Olympi dignitatem semper visa est — descendit in terram poeta, dulcem venustatem descripturus eius coetus, quo coniungit choros Diana (vs. 171)

ἀγχόθι πηγάων Λίγυπτίου Ἰνωποῖο
ἢ Πιτάνης (καὶ γὰρ Πιτάνη σέθεν) ἢ ἐνὶ Λίμναις
ἢ Ἴνα, δαῖμον, Ἁλὰς Ἀραφηνίδας οἰκήσουσα
ἦλθες ἀπὸ Σκυθίης, ἀπὸ δ' εἴπαο τέθμια Ταύρων.

Temere aut inconsulto Dianam Pitanensem sive Limnatin, Spartanorum igitur deam sive Issoriam sive Orthiam [2]) cum Diana Attica tam arcto vinculo coniungi nemo dicet. Et addi solent merito, quo illustrentur hi versus Euripidea illa, quibus exponitur mandatum, olim a Diana Taurica datum Oresti (*Iph. Taur.* 1449 *sqq.*) cum is iuberetur apud Brauronem condere aedem, ibique collocare Tauricae simulacrum sanctissimum. Impugnaverat Euripides iis versibus Lacedaemonios, qui contendere solebant, non apud Atticos relictam sed Lacedaemonem deductam esse Dianam Tauricam. Et haec sane opinio postea Pausaniae magis placuit quam illa; nam

[1]) Alia traditio sive iure sive iniuria Theopompo tributa legitur apud Suidam i. v. Φορμίων, ubi expositis iis quae acciderunt Phormioni Crotoniatae in proelio ad Sagram graviter vulnerato, additur postea theoxenia eum egisse; tum ἐκάλεσαν αὐτὸν οἱ Διόσκουροι πρὸς Βάττον εἰς Κυρήνην καὶ ἀνίστη τε ἔχων σιλφίου καυλόν.

[2]) Polyaen. II. 14; Paus. III. 14. 2; Wide *ll.* p. 97 sqq.

ita disputat III. 16. 7: „*πολῳ γὰρ δὴ λόγῳ κατέλιπεν ἂν ἐν Βραυρῶνι Ἰφιγένεια τὸ ἄγαλμα*;" At quid Callimachus? Nonne utriusque urbis simul mentione facta et deae Limnaeae cognominibus arcte cum Brauronio sacro coniunctis indicare videtur, olim Braurona, post vero Lacedaemonem Tauricae deae simulacrum habuisse? Extat enim historia apud Plutarchum, Pelasgos qui Lemnum incolebant rapuisse ex Attica non solum virgines sed ipsum quoque Brauroniae deae simulacrum, illud autem secum duxisse Minyas qui ex insula expulsi postea Lacedaemonem venerunt ad sedes petendas. Plutarchea num ex Philochoro fluxerint, quamquam pro certo dici non potest, tamen haud dissimile est veri [1]). Quisquis autem Plutarcho fuit auctor, iis quae refert, optime illustrari versus Callimacheos concedendum erit. Nec mirabimur haec placuisse Callimacho, cui ea ratione cum Euphemidis ac Batto proavo suo Brauroniam quoque deam antiquissima societate coniungere licebat.

---

[1]) Plutarch. *de mulier. virtut.* 247—248. Locum non exscripsi quia pauca tantum huc pertinent et in reliqua Brauronii simulacri historia alia docet Plutarchus, qui in Cretam id invectum esse putat. Philochori fragmenta cum hisce conferenda sunt 4 et 5 (Müll. *F. H. G.* I. p. 384).

VI

Sic sedulo Cyrenaicae religionis origines investigavit poeta Cyrenaicus. Sed erat hoc historici. Qui vero pro parte virili cultum non Cyrenaicum quendam sed vere Graecum corroborare Alexandriae et contra exterae religionis patronos defendere volebat, parum profecturus erat si eo Graecos commendaret deos, quod Cyrenis condendis adfuissent. Ceterum ipsi Lagidae iam diu tamquam digito indicarant, quaenam via ingredienda esset omnibus quicunque in Graecia Alexandrina Graecae religioni, litteris artibus Graecis victoriam firmare vellent. Ptolemaeus enim primus, cum probe nosset ipsam Alexandriam si unquam tamen non statim ab initio acceptam fore hominibus Graecis tamquam aram communem religionum Graecarum, simul vero persuasum haberet, nihil magis Lagidarum auctoritati apud omnes obesse, quam quod ad civitates Graecas imperium suum pertinere non videretur, simulac firmatum in ipsa Aegypto regnum suum habuit, summam dedit operam ut in ipsa Graecia locum quendam occuparet, qui religionis sanctitate praecellens domino suo certam apud Graecos auctoritatem conciliaret. Vix aptiorem sedem eligere poterat vir prudentissimus quam Delum. Aptissima enim erat insula sacra, cuius auctoritas Delphis opponeretur. Neque deus magis idoneus ad conciliandos Ptolemaeo hominum Graecorum animos quam Phoebus, quippe cuius religio hoc haberet ut mentes alliceret et vinciret, a ceterorum deorum cultu alienas iam et remotas. [1])

[1]) Iam viderat id quoque Alexander, in commentariis templa nova Apollini et Dianae in Delo insula suo nomine voveri iubens, vide supra pag. 4.

Etiamnunc ambigitur, quando Lagidae Deli dominatione potiti sint. Profecto si quis quaerit cuinam tempori hoc aptissime conveniat, vix inveniat occasionem magis opportunam Ptolemaeo ad demonstrandum quanti faceret sacra Graeca deosque Deliacos quam fuit annus, quo vindex Graecae libertatis contra Antigonum Cassandrum Lysimachum exstitisset, civitatibus eam postulans libertatem quae in ducum foedere promissa esset; quo anno (309—8 a. C. n.) Lyciae urbibus captis primum ad insulam Coum profectus erat — ubi natus ei est Ptolemaeus filius — indeque per Cyclades vectus Graeciae urbibus libertatem, vel potius societatem suam obtulit [1]).

Eo autem anno non solum venisse Ptolemaeum in insulam sacram sed vovisse quoque — quamquam non Apollini sed Veneri — vas aureum egregia pulchritudine inter rudera templi Dianae nuper repertum, Homollius, qua est sagacitate, iam pridem suspicatus erat [2]). Argumentis Homollii caute perpensis deinde scripserat Valerianus de Schoeffer [3]): „*arctioribus igitur finibus tempus quo insulanorum societas* (*τὸ κοινὸν τῶν νησιωτῶν*) *constituta est vix circumscribi potest quam ut post mortem Alexandri et ante Athenas a Demetrio captas hoc factum dicamus*". Concedebat igitur de Schoeffer, Homollium probabiliter suspicatum esse iam eo anno quem indicavi, 308 a. C. Deliis libertatem a Lagi filio esse redditam, verum eodem tempore eo auctore iam conditam esse societatem confoederatam insulanorum, id ex inscriptionibus quas attulisset Homollius effici posse, tum quidem negabat. Verum ea quae tum Homollius suspicari tantum poterat propria sagacitate usus, iam pro certo constare videntur ex inscriptione nuper reperta in insula, cui nomen hodie est *Νικουργία*, haud procul ab Amorgo sita. Continetur hoc titulo decretum foederis ex primis Ptolemaei Philadelphi regis annis; vs. 10 *sqq.* autem haec leguntur: „*δ[εδό]χθαι τῶι κοινῶι τῶν συνέδρων ἐπειδὴ ὁ βασιλεὺς καὶ σωτὴρ Πτολεμαῖος πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιος ἐγένετο τοῖς* [τ]*ε νησιώταις καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν, τάς τε πόλεις ἐλευθερώσας καὶ τοὺς νόμους ἀποδοὺς* [κ]*αὶ τὴμ πάτριομ πολιτείαμ πᾶσιγ καταστήσας*", quae verba ita rei constituendae curam cum reddita libertate coniungunt, ut in ipsa expeditione anni 308 institutum a Ptolemaeo *τὸ κοινὸν* et instauratum

---

[1]) Diod. XX. 37; Niese *Geschichte Alex. d. Gr. u. seiner Nachf.* I. p. 308.
[2]) Inscribitur *Πτολεμαῖος Ἀάγου Μακεδὼν Ἀφροδίτει* cf. supra pag. 4.
[3]) *de Deli insulae rebus* (*Stud. Berolin. IX*) p. 95.

antiquo splendore Apollinis cultum, iam non dubium sit [1]). Ptolemaeus igitur amplissimum insulae sacrae patrocinium in se recepisse videtur ipso eo anno quo ei natus est in insula Co filius dilectissimus. Dixeris fere renatum Apollinem Deliacum quo tempore primum lucem vidisset Philadelphus. Eleganter itaque et felici inventione Callimachus utriusque natales coniungere sibi videbatur carmine deliaco ita Apollinem matri suae suadentem faciens, cum illa onus gestans utero ad Coum insulam appropinquaret (hymn. *in Del.* 162):

„μὴ σύ γε μῆτερ
τῇ με τέκοις· οὔτ' οὖν ἐπιμέμφομαι οὐδὲ μεγαίρω
νῆσον, ἐπεὶ λιπαρή τε καὶ εὔβοτος, εἴ νύ τις ἄλλη·
ἀλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος
ἐστί, σαωτήρων ὕπατον γένος.

Quanta autem cura Philadelphus, alter ille deus — alterum fere Apollinem eum dicas nam μουσικώτατος erat — quantis honoribus Phoebum Deliacum tamquam religionis universae cultuumque imperii sui praesidem prosecutus sit, pluribus exponere non huius est loci [2]). Sed nobis demonstrandum est, quam enixe Callimachus in hac re operam navaverit, qui arte sua prodesse Graecorum deorum cultui Deliaco studebat, quo magis dis Graecis principatus firmaretur in Lagidarum imperio. Fecit id praesertim in hymno Deliaco, quamquam non unice. Sed in eo carmine componendo neque eruditioni suae neque ingenio (quamvis sane debiliori quam eruditio

---

[1]) Hoc luculenter demonstravit I. Delamarre: *Les deux premiers Ptolemées et la confédération des Cyclades* (*Revue de philologie* Tome XX p. 103 sqq. Cf. *Bull. d. l. Corr. Hell. XVII. p.* 205). Vix tamen concesserim viro docto ex inscriptionis versibus quae supra laudavi vel ex eo quod vs. 49 memoretur Ptolemaei *ara*, statui posse iam statim ab initio insulanos dedisse Ptolemaeo *divinos* honores titulumque τοῦ Σωτῆρος. Ornatur enim in inscriptione nostra, ut par est, divus rex iis titulis, quibus salutabatur eo tempore quo factum est decretum. Ita quoque, quamquam anno 308 nondum βασιλεὺς erat, tamen vs. 10, dum illius anni praeclara facta memorantur, audit „βασιλεὺς καὶ σωτήρ". Ceterum si Rhodii, cum anno 305 (Paus. I. 8. 2; Diod. XX. 100) consilium ceperunt hoc σωτῆρος titulo ac honoribus divinis regem ornandi, iam praeeuntes habuissent Insulanos, vix, opinor, misissent ad Ammonis oraculum, sciscitatum „εἰ συμβουλεύει, Ῥοδίους Πτολεμαῖον ὡς θεὸν τιμῆσαι."

[2]) Inscriptio quam laudavi decretum continet quo declaratur probatos fore insulanis festa isolympica Alexandriae nuper a Ptolemaeo constituta. Rectissime observat v. d. Delamarre apparere ex hoc decreto quanti aestumaverit Philadelphus accipi hoc institutum isolympicorum Alexandrinorum ab insulanis quod nisi ii probassent vere Graecum nulli videri posset.

erat) pepercit, ut tam ipsam insulam sacram quam insulae numina omni ornaret splendore, at proprio splendore, neque Delphis neque Athenis debito. In Deliaco hymno — nam de ceteris carminibus deinde videamus — statim ab initio consilium suum patefacit, supra modum adsolitum insulam non laudans solum sed propria mythologia exornans.

Surgit enim Insula ex homerici poetae prosopographia ad veram mythologiam, cum describitur a nostro Insularum choro praeiens ad Patrem Oceanum (vs. 16):

ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι,
ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν
νῆσοι ἀολλίζονται, ἀεὶ δ' ἕξαρχος ὁδεύει,

sed haec mythologiae forma non ipsi poetae debetur verum aetati, nec in Delo sola, sed in ceteris quoque terris fluviis fontibus occurrit. Neque eo magnopere ab antiquioribus deflectit, quod memorat fabulas (homerico poetae nondum fortasse notas at Pindari aetate receptas) de pristino insulae statu; attamen ita iam multo praestare videbitur ceteris terris. Etenim constabit non eadem ratione natam esse Delon qua ceteras insulas, quia alias quidem (vs. 30):

τὰ πρώτιστα μέγας θεὸς οὔρεα θείνων
ἄορι τριγλώχινι, τό οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν,
νήσους εἰναλίας εἰργάζετο, νέρθε δὲ πάσας
ἐκ νεάτων ὤχλισσε καὶ εἰσενύλισε θαλάσσῃ,

at Delos ex dea quam Iuppiter ipse suo amore dignatus esset, insula erat facta [1]). Porro elegit inter varias narrationes eam, quae summam sacrae insulae dare posset dignitatem. Non placuit quod vulgo narrabatur, Asterien cum Iovis repudiaret amorem in coturnicem ab eo esse mutatam, deinde vero insulam esse factam; altera quoque narratio reicitur, quae ferebat suis ipsam precibus

---

[1]) Qua aetate fabula vulgo credita de insula vagante, quae Coei filiam lucis deum parituram recepisset, cum narratione de Asterie, altera Coei filia, in insulam mutata coaluerit, prorsus non constat. Dixerim tamen homerici hymni poetam fabulam de Coei filia Asterie nondum cognitam habuisse, qui profecto Delum non ita alloquentem fecisset Latonam: „*Λητοῖ κυδίστη θύγατερ μεγάλου Κοίοιο*" si sorores eas putasset. Cum antiqua mythologia (quae Asterien Hecates fecit matrem) cohaerebat, opinor, quod parva insula Delo vicina *Ἑκάτης νῆσος* dicebatur (cf. Semus Delius apud Athen. XIV. 645 B). Neglexit autem Callimachus — id quod magnopere miror in poeta artificioso — consanguinitatis vinculum, quod cum Latona Asterien secundum antiquam mythologiam iunxit.

a dis nympham accepisse coturnicis figuram, ac postea ab Iove irato in insulam esse mutatam; multo magis respuenda videbatur Musaei doctrina, qui teste scholiasta ad Apollonium Rhodium (III. 1035) docuerat: „*Δία ἐρασθέντα Ἀστερίας μιγῆναι καὶ μιγέντα δοῦναι αὐτὴν τῷ Περσεῖ*" [1]). Quid sacra insula dignissimum putaverit et castissimum, indicat aperte versu 36:

οὔνομα δ' ἦν σοι
Ἀστερίη τὸ παλαιὸν, ἐπεὶ βαθὺν ἤλαο τάφρον
οὐρανόθεν φεύγουσα Διὸς γάμον ἀστέρι ἴση.

Servat autem apud Callimachum divinitatem nympha, postquam facta est insula. Quo auxit veteris poetae homerici artem. Allegoria enim quadam usus loquentem fecerat ille insulam et Latonae verbis respondentem, at noster non solum sua sponte neque iussam a quoquam vagantem antea Delon firmo stare solo fingit, misericordiaque motam hospitaliter ad se vocare laborantem Latonam [2]), sed mire cum antiqui poetae nativa simplicitate recentioris artis additamenta coniungens, primum quemnam splendorem nato Apolline insula induerit, fideliter exponit, homericum hymnum secutus; tum vero adicit vs. 264:

αὐτὴ δὲ χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος εἵλεο παῖδα,
ἐν δ' ἐβάλευ κόλποισιν, ἔπος δ' ἐφθέγξαο τοῖον·

Et iam longo ordine enumerat sacrae insulae dea quibusnam locis Delos antecessura sit nato Apolline, cui cedant Isthmia, cui palmam deferat Creta. Quibus dictis etiam pectori deum admovet: „*ὃ δὲ γλυκὺν ἔσπασε μαζόν*". Et hoc quidem novum, nam docuerat antiqua mythologia lacte materno non nutritum esse Apollinem, sed ambrosia ac nectar ei oblata extemplo a Themide [3]). Quod si

---

[1]) De diversis fabulis cf. Schirmer i. v. *Asteria* et Stoll i. v. *Delos* (Rosch. Lex.) Quaenam antiquissima sit traditio, et incertum est neque magni momenti nunc videtur. Ad coturnicis fabulam pertinent Lycophronis verba (*Alex.* 401) *ὀρτυγος πτερουμένης*. Quam tacitus reiecisse videtur noster, nam bis (II. 59, Ep. 63) Delum nomine Ortygia ornat; de fabula nihil addit tamen; contra IV. 12 cum de insula dicit „*αἰθυίης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἠὲν ἵπποις*", de eadem nominis causa cogitasse eum suspicor, quam refert Phanodemus *ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος* (Müller *F. H. G.* I. 366): Delon dictam fuisse „*ὑπὸ τῶν ἀρχαίων Ὀρτυγίαν παρὰ <τὸ> τὰς ἀγέλας τῶν ζῴων τούτων φερομένας ἐκ τοῦ πελάγους ἵζάνειν εἰς τὴν νῆσον διὰ τὸ εὔορμον εἶναι*". Quibuscum cf. Aristoph. *Av.* 870: „*Δηγοὶ ὀρτυγομήτρᾳ*". Prorsus diversam opinionem Nicandri servant versus maxime mutilati in scholl. ad Apoll. Rhod. I. 419.

[2]) Vs. 54; 203—205 cf. h. hom. *in Ap.* vs. 51—90.

[3]) Hymn. hom. *in Apoll.* vs. 123 *sqq.*. Ut hic a Callimacho nova laude augetur Delos, ita honores diminuuntur Themidi; simul itaque gloria Delphorum obscuratur, et,

noster invenit, a novis in mythologia inventis plerumque alienus, parum mehercle feliciter virgini tale officium imposuit. Attamen Asterien virginitatem contra Iovem defendisse non sine consilio monuit. Etenim hoc cur voluerit, mox ipse indicat, cum Iunonem dicentem facit (vs. 244):

„Ἀστερίῃ δ' οὐδέν τι βαρύνομαι εἵνεκα τῆσδε
ἀμπλακίης, οὐδ' ἔστιν ὅπως ἀποθύμια ῥέξω
τόσσα δέοι· μάλα γάρ τε κακῶς ἐχαρίσσατο Λητοῖ·
ἀλλά μιν ἔκπαγλόν τι σεβίζομαι, οὕνεκ' ἐμεῖο
δέμνιον οὐκ ἐπάτησε, Διὸς δ' ἀνθείλετο πόντον."

Noluit igitur Callimachus insulae tantopere a Regibus suis dilectae vel minimam adhaerere infamiam.

Quanta religione autem omnes, quotquot incolunt Graecas oras, sacram Apollinis insulam prosequantur, plurimis atque splendidissimis versibus poeta gloriatur, in quibus, ut minora mittamus, hoc tantum monitu dignum, quod *θυόεσσαν* Eleusine digno cognomine eam salutat [1]), et in hymni exitu exemplo eorum qui Delphos *γᾶς μεσόμφαλον ἑστίαν* dixerant [2]) insulam *ἑστίην νήσων εὐέστιον* vocat.

Aram communem Graeciae Delum igitur haud sine causa salutat, ad quam Phoebi adorandi causa undique cives urbium Graecarum Asiaticarum Aegyptiarum confluebant, primis quidem temporibus Apollinem Latonam Dianam, post vero cetera numina Graeca, quin etiam Isin Sarapin Osirin sacris ibi adeuntes. Haec profecto numina Aegyptiaca quo tempore hymnum in Delum composuit Callimachus Deli cultum nondum habebant, nec ea laudare curasset noster si habuissent, Graecorum vero deorum cultum deliacum commendare et adiuvare pro viribus non destitit. Qua ratione id fecerit quaerentibus nobis, primum — si de alio quam Callimachus fuit, sermo esset — oreretur quaestio, quid de Deliacorum deorum propria intimaque natura secum cogitavisset poeta. Verum enim vero in Callimachi opere artificioso tantum non semper haec frustra quaeras. Deliacus saltem hymnus tale quid roganti non respondet. Splendet enim ubique fulgore frigido, neque animi, qui sincera

---

secundum morem suum recedere cogit deam antiquissimi generis recentiori deae. Ita evanescit apud nostrum Themidis, Gaeae, Saturni potestas.

[1]) Vs. 275 sqq. Vs. 300 cf. *Stud. Call.* I. p. 185.

[2]) Eur. *Ion.* vs. 462.

ac sancta fide deorum movetur, unquam vocem reddit; hymnus in Delum magnificum prodit poetam, non vatem. Attamen cultum Deliacum, sive religionis cura motus, sive Graecarum artium litterarumque causa, acriter defendit.

Solito apud eruditos more ita rem suam agit, ut Delo sanctos antiquitate cultus arroget, iura quaedam atque inventa insulae adsignet, multorumque sacrorum origines ex Apollinis sede petat, denique quantum potest ipsas quoque Apollinis vires ac facultates cum sacra insula magis quam cum Delphis, quod antiquiores fecerant theologi et poetae, coniungat.

Oppugnasse poetam sanctissimam Delphorum sedem, et consulto obtrectasse Delphici templi dignitati, id quidem contendere non audeam. Nam, ut unum afferam exemplum, Paeonis *ἐπίκλησιν* cum ceteris omnibus auctoribus Delphis repetit idque ostendit in hymni secundi exitu cum minime erat necessaria Delphorum mentio [1]). Ita quoque tripodem Delphicum semel atque iterum honorifice memorat [2]). At saepe summos honores Delphico oraculo denegat. Iam vidimus silentio eum prementem oracula Batto data cum conditurus esset Cyrenas [3]). Alia quoque, quae Pythio templo deberi plerique censebant, aut neglegit noster aut ita poetica licentia immutat, ut quodammodo diminuantur laudes Delphorum.

Docuerat antiqua theologia, quam professus erat Aeschylus, divinandi vim qua Pythiam ad vaticinandum impellat Apollo, non statim ab initio huius dei fuisse dotem, sed tum demum a Patre deorum administratum esse Phoebo, cum primum is Delphos venisset. Delphici templi *πρωτόμαντις* fuerat Gaea, a qua receptum *τὸ μαντεῖον* Themis tradidit Phoebae [4]); tum postquam *λιπὼν δὲ λίμνην Δηλίαν τε χοιράδα* Delphos advenit Phoebus,

τέχνης δέ νιν Ζεὺς ἔνθεον κτίσας φρένα
ἵζει τέταρτον τόνδε μάντιν ἐν θρόνοις. [5])

---

[1]) Hymn. *in Apoll.* vs. 99—104. cf. de hac hymni secundi parte extrema *Stud.* I. p. 216. Nomen autem draconis ei opinor causa videbatur mutati nominis quod olim fuerat urbi Pytho. Hanc igitur etymologiam antiquiori („*ἐνταυθοῖ νῦν πύθεν*" hymn. hom. *in Apoll.* vs. 363) opposuit.

[2]) Hymn. in *Del.* vs. 90, 171—185. Heroa Delphum, urbis conditorem ex Neptuno natum docet fr. 24[b], vide supra pag. 46.

[3]) Supra pag. 40.

[4]) Quidnam in hac Delphorum antiquissima historia probaverit Callimachus, quid reiecerit, ex fragmentis non liquet. Neque Themidis nomen, neque Phoebes apud poetam occurrit. Sed recedunt fere in eius theologia antiquissimi generis numina.

[5]) Aesch. *Eumenid.* vs. 1—18

Ita igitur Aeschylus, eos secutus qui ex coniunctione Deli cum Delphis utriusque loci sanctitatem augere studebant [1]), docuerat Phoebum, statim postquam natus esset, ex Delo Delphos ad occupandum oraculum contendisse; ipsam autem divinationis vim Phoebeam Aeschylus cum aequalibus sacro Delphico propriam esse et ex tellure sanctissima manare putaverat. Fuit autem, quamvis multa ubique terrarum alia essent oracula, illa fere opinio apud Graecos vulgo accepta et a Delphis ipsis summa vi defensa; neque ii umquam neglexerunt ceterorum quoque oraculorum Phoebeorum origines quantum per sacratam mythologiam licebat, referre ad oraculum Pythium [2]). Improbavit, saltem neglexit hanc opinionem Callimachus; non quod graviora de ipsius divinationis natura, a philosophis edoctus profitenda haberet, novaque de summi Vatis numine coram populo proferret. De divinationis origine consentit cum antiquioribus:

τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔ τις τόσον ὅσσον Ἀπόλλων·
κεῖνος διστεντὴν ἕλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν,
(Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή),
κείνου δὲ θῆριαὶ καὶ μάντιες .... [3])

Unde tale donum? Facile responsum! *„Διὶ δεξιὸς ἧσται".* [4]) Sed hoc oppugnat Callimachus, hoc prohibet, quominus Delphis huius rei summa tribuatur gloria. Fuerunt Callimachi aetate complures qui summopere contenderent, ut antiqua Pythico oraculo redderetur maiestas. Eorum consiliis deberi non dubium est, carmen illud remotissimae scilicet antiquitatis, quod olim in Apollinis honorem cantasse Delphis narrabatur Boeo illa, oraculi origines carmine celebrans in hunc modum:

ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς [5]).

---

[1]) Hymnum homericum in Apollinem non esse dissecandum recte demonstravit Gemoll. in editione sua p. 111 *sqq.*

[2]) Exempla afferre vix opus est. Unum laudabo oraculum Branchidarum quod Delphico coniungunt mythographi per conditoris genealogiam. Cf. Strabo IX. p. 421 C: *„τοῦ δὲ Μαχαιρέως τούτου* (qui Neoptolemum necavit) *ἀπόγονόν φασι Βράγχον τὸν προστατήσαντα τοῦ ἐν Διδύμοις ἱεροῦ".* Quid de hoc oraculo senserit Callimachus ex fragmentis 75 et 95 vix pro certo efficiamus. Pythico tamen Apollini non soli huius sacri gloriam tribuit: quod unicus ex Brancho carmine choriambico versus fr. 36 lucide ostendit, qui iuxta Apollinem Iovem agnoscit huius loci praesidem et deum gentilem: *Δαίμονες εὐυμνότατοι, Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ, Διδύμων γενάρχαι.*

[3]) Hymn. *in Apoll.* vs. 42 *sqq.*

[4]) *Ibid.* vs. 29.

[5]) Pausan. X. 5. 8.

At Callimachus ita modo Delphicam maiestatem reveritus ut Deli gloriam inde minui non sinat, negat Delphis demum natam esse primamque exempla dedisse Apollinis *μαντικήν*. Artificio enim, quod nobis eo minus placebit quod simul duabus rebus prodesse voluit poeta, gloriae Apollinis cavens ac regis sui laudibus, finxit illum deum iam antequam Delphos adiisset vaticinantem, novo prorsus modo, nempe in utero matris, neque semel illud sed bis. Quo artificio ad quemnam finem nunc poeta utatur multas res exponens quae multo postea demum futurae essent [1]), et fabulas tractans earum regionum quas adit Latona, id nunc neglegi licet; unum illud moneam, deum nondum natum ipso vaticinii initio diserte Delphicum oraculum memorare atque ita iudicium poetae patefacere. Nam Thebas increpat: „Noli me invitum adigere ut vaticinia nunciam proferam, *nondum enim cortina Delphica mihi cordi est*, nondum mea manu occubuit immanis draco: a Plisti ripis adserpens nivosum Parnassum circumcingit etiamnunc novem orbibus horridum monstrum atque barbatum,

ἀλλ' ἔμπης ἐρέω τι τορώτερον ἢ ὑπὸ δάφνης" [2]).

Nolo contendere Callimachum cum hosce versus componeret id modo egisse, illud praecipue aluisse consilium, ut infringeret auctoritatem Pythici templi. Fortasse parum de antiqua Delphorum theologia tunc quidem cogitavit. At efferre cum ceteris vatibus Apollinis Delphici honores noluit. Quod si quis neget tale quid cogitasse poetam, cum praesertim constet Philadelphum donis adisse saepius Phoebum Pythium, alterum adiciam exemplum.

Constare videbatur antiquis, coloniarum deducendarum praesidium

---

[1]) Artificium illud poetis huius aetatis dilectissimum fuit, ut per vaticinia quidlibet enarrando ea quae post facta essent tamen carmine suo memorarent; quod idem fecisse nostrum in *Hecale* (fr. Hecal. a Gomp. ed. col. 2) sagaciter demonstravit H. J. Polak (*Verslagen en Mededeelingen der Koninkl. Akad. v. Wet.* 1894 *p.* 157 *sqq.*) Artem illam deberi Lycophroni nemo ignorat.

[2]) IV. 88—97. Ita Thebas adloquentem faciens Apollinem nondum natum poeta ceteroquin antiquitatis diligentissimus nunc exemplum neglegit hymni homerici in Apollinem, quem re saepius oppugnans, verbis totum imitatus erat. Poeta enim homericus memoraverat quidem vs. 225 *Θήβης ὕδος*, sed addiderat illud tunc quidem fuisse *κατασιμόνον ὕλῃ*,

οὐ γάρ πώ τις ἵναιε βροτῶν ἱερῇ ἔνι Θήβῃ
οὐδ' ἄρα πω τότε γ' ἦσαν ἀταρπιτοὶ οὐδὲ κέλευθοι
Θήβης ἂμ πεδίον πυρηφόρον, ἀλλ' ἔχεν ὕλη.

Tamen paucis versibus ante Boeotiam *Ἀονίην* dicere non oblitus erat (vs. 75), Lycophronis exemplum secutus (*Alex.* 1209 cf. 1206 quem versum accuratius expressit Apollonius *Argon.* III. 1178).

si Apollinis diceretur munus, id quam maxime pertinere ad Pythium deum. Eum enim adibant, cum colonias deducerent, eius oraculo cunctantes quoque saepe in terras peregrinas proficisci adigebantur [1]). Callimachus autem quamquam placitis antiquorum de Phoebi *ἀρχηγέτου* sive *οἰκιστοῦ* potestate summam fidem habuit, huius potestatis vim atque originem nequaquam in Delphico oraculo quaerendam putavit. Et hercle, si maior nobis facultas philosophiae in hoc poeta videretur, si in talibus cogitationibus eum interdum versatum esse putaremus, ut de vera numinum natura, de propria Phoebeae divinitatis origine ac facultate disquireret et carmine disputaret, operae pretium nunc esset huic quaestioni quaerere responsum: num Callimachus rectius quam aequales intimam Apollinis perspexisset naturam cum ab oraculo Pythico divelleret laudem *τοῦ ἀρχηγέτου* et Cynthio deo condonaret. Nunc vero praestat constituere, qua ratione et quam diserte id fecerit. Hymno II. vs. 55 ita praedicat:

Φοίβῳ δ' ἑσπόμενοι πόλιας διεμετρήσαντο
ἄνθρωποι· Φοῖβος γὰρ ἀεὶ πολίεσσι φιληδεῖ
κτιζομένῃς, αὐτὸς δὲ θεμείλια Φοῖβος ὑφαίνει.

„Unde constat Apollini praesertim talis potestas?" quaesiverit auditor talium rerum curiosus. Res ipsa antiquissima profecto: Nonne iam in Ilio urbe condenda navaverat eiusmodi operam Apollo? [2]) Originem autem, quae quidem ei videbatur, hymni homerici poeta indicavit, qui, quam arctissime illud *τοῦ κτίστου* munus cum Pythia sede coniunctum esset, exposuit hymni versibus 294 sqq. enarrans Delphici templi origines. Ipse enim Phoebus non solum locum eligit quo fiat aedes, ac praedicat sacri celebritatem futuram, verum enim vero

ὣς εἰπὼν διέθηκε θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων
εὐρέα καὶ μάλα μακρὰ διαμπερές· αὐτὰρ ἐπ' αὐτοῖς
λάϊνον οὐδὸν ἔθηκε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης,
υἱέες Ἐργίνου, φίλοι ἀθανάτοισι θεοῖσι [3]).

---

[1]) Cic. *de Div.* I. 3: „Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonio oraculo?" Nec ignoratur quam frustra fuerit centum fere annis post Cyrenas conditas Dorieus ille, qui *Σπαρτιήτας ἦγε ἐς ἀποικίην οὔτε τῷ ἐν Δελφοῖσι χρηστηρίῳ χρησάμενος ἐς ἥντινα γῆν κτίσων ἴῃ, οὔτε ποιήσας οὐδὲν τῶν νομιζομένων* (Herod. V. 42).

[2]) *H.* 452

τοῦ δ' ἐπιλήσονται, τό τ' ἐγὼ καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
ἥρωι Λαομέδοντι πολίσσαμεν ἀθλήσαντε.

[3]) Nondum igitur Hyperborei dicuntur ut in Boeus hymno supra pag. 61.

Nunc vide quam perspicue haec *παρῳδεῖ* Callimachus Delphicis laudibus alias opponens; ultro enim ad comparandum provocat iisdem saepius verbis vel eodem ordine verborum usus, quem adhibuerat poeta antiquior. Disertius non potuit indicare primas saltem Apollinis *τοῦ κτίστου* honores referri oportere ad insulam Delum: Tamquam si dicat: „Esto, condiderit adultus deus templum Pythicum; non negaverim. At prius eiusmodi operam in Delo sua navavit", ita cantat:

τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ περιηγέος ἐγγύθι λίμνης.
Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων. [1])

Clarus igitur sit ille *ἐν Δελφοῖς ἀρχαῖος νεώς*, tamen antiquitate cedet arae corneae Deliacae: Apollo *οἰκιστὴς* Cynthius potius quam Pythius dicetur. [2]) Ne quis erret, statim post enarratam clarissimae arae aedificationem adicit (vs. 64) „*Sic igitur primum didicit Apollo pangere fundamenta*, tum statim sequitur:

Φοῖβος καὶ βαθύγειον ἐμὴν πόλιν ἔφρασε Βάττῳ,
καὶ Λιβύην ἐσιόντι κόραξ ἡγήσατο λαῷ
δεξιὸς οἰκιστῆρι.

Quibus versibus Carneum (nam de hoc deo sermo est) aptissime cum Deliaco deo coniungens curat simul ut opponat denuo Delphico, nam respicit versu 65 homerici hymni versum 400 quo narratur Phoebus Cretensibus apparuisse „*δέμας δελφῖνι ἐοικώς*".

---

[1]) Hymn. *in Apoll.* 58—61. De ipsa ara cornea, miraculis tum praecipue cum vivebat Callimachus, addita, quae congeri possunt contulit iam Spanhemius, quem sequuntur ceteri scriptores, conf. Homolle *Bull. Corr. Hell.* VIII. 417 *sqq.* Equidem non habeo quod addam, nisi hoc: effici ex nostro loco aram corneam secundum Callimachi testimonium disertum fundatum esse quo loco Latona filium peperisse dicebatur, „*ἐπὶ τροχοειδέι λίμνῃ*" ut est apud Theognidem (vs. 7, cf. Herod. II. 170). Docuerat Dicaearchus (apud Plutarchum *Vit. Thes.* 21) saltationem quae dicebatur *γέρανος* a Theseo cum pueris virginibusque factam esse *περὶ τὸν κερατῶνα βωμόν*. Cui non assensus esse videtur Callimachus. Versus enim IV. 312 quo ille chorus respicitur ad quamnam aram pertineat difficile dictu est, certe non pertinet ad corneam.

[2]) Tali argumentandi ratione quae nititur historicis studiis non philosophicis plerumque utitur Callimachus. Et in hac quidem re praeceptorem secutus non est Apollonius. Melius saltem propriam *τοῦ ἀρχηγέτου θεοῦ* naturam eum perspexisse puto quoniam *Argon.* I. 410 *sqq.* Iasonem invocantem Apollinis *Πατρῴου* (i. e. Pythii, vide vs. 413) auxilium hisce verbis finem fecisse narrat (vs. 422) „*λύσαιμι δ' ἄναξ ἐκ' ἀπήμονι μοίρῃ πείσματα σὴν διὰ μῆτιν· ἐπιπνεύσειε δ' ἀήτης μείλιχος, ᾧ κ' ἐπὶ πόντον ἱλευσόμεσθ' οὐδιόωντες*". Ceterum certamen non iniit Apollonius ad quod provocavit Callimachus: aequo honore Iason utrumque et Pythium deum colit et Deliacum, cf. vs. 418 *ἄλλα δὲ Πυθοῖ, ἄλλα δ' ἐς Ὀρτυγίην ἀπερείσια δῶρα κομίσσω*..

Tandem vero neque hoc neglegamus oportet, accuratissime a poeta definitum esse, quanam aetate Deli aram sanctissimam condiderit Apollo: τετραέτης enim erat. Quo primum satis aperte indicatur haec facta esse ante quam deus Delphos adiret Pythonem interfecturus. Antiquiores sane poetae ac theologi admodum infantem putaverant Phoebum fuisse cum necaret Delphynam. Descripserat pugnam Euripides (*Iph. Taur.* 1250)

σὺ δέ νιν ἔτι βρέφος, ἔτι φίλας
ἐπὶ ματέρος ἀγκάλαισι θρῴσκων
ἔκανες.

Assensus erat Clearchus Solensis [1]), et eiusdem fere traditionis servavit vestigia Hyginus *fab.* 140: „post diem quartum quam essent nati, Apollo matris poenas exsecutus est; nam Parnassum venit et Pythonem sagittis interfecit; unde Pythius est dictus." At paulo aliter Alexandrinis poetis placuisse videtur. Apollonius enim II. 707 rem ita enarrat ut draconem interfecerit Phoebus

κοῦρος ἐὼν ἔτι γυμνὸς ἔτι πλοκάμοισι γεγηθώς.

Quod non multum definit; attamen licet ἄνηβος hic fuerit Apollo iam non infans est in matris manibus gestatus. A quibus haud multum abest Callimachus in hymni alterius exitu.

Oritur vero alia quoque quaestio ex hoc versu de quadrienni Phoebo, quia non solent tam accurate indicari deorum aetates nisi certo quodam consilio. Sic Delphis ἐννaετηρὶς instituta esse dicebatur ex memoria Pythonis interfecti. "Ἡ τε γὰρ ἱσταμένη καλιὰς ἐνταῦθα περὶ τὴν ἅλω δι' ἐννέα ἐτῶν οὐ φωλεώδης τοῦ δράκοντος χειά", ita scribit Plutarchus (*de def. Or.* p. 418 A.) qui tamen ipsis verbis declarat cohaerere ludicrum cum caede monstri *Quaest. Graec.* p. 293 B: τρεῖς ἄγουσι Δελφοὶ ἐννaετηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς, ὧν τὴν μὲν Στεπτήριον καλοῦσι ... τὸ μὲν οὖν στεπτήριον ἔοικε μίμημα τῆς πρὸς τὸν Πύθωνα τοῦ θεοῦ μάχης εἶναι". Ennaëteridem autem propterea institutam videri docebat idem Plutarchus (*de def. Orac.* c. 21 p. 421) quoniam *per novem annos* Phoebus exulasset interfecto dracone. Si vero ennaëteris Delphica cum novem annis exilii Apollinis cohaerebat, non inepte forsitan τετραέτης condidisse sanctissimam aram Deliacam dicitur deus, ut hac instituta quodammodo videri ille possit simul eum festum diem instituisse qui post quattuor annos exactos solemnis apud Deliacos redibat. Poterat certe ad talem aetiologiae libertatem incitare poetam quod gratum esse ipsis

[1]) Cf. *Stud.* I. 219.

quoque Deli incolis constabat si quis poeta hymnis fabulas Deliacas ornaret, et gratiam referre sciebant insulani, sicut Demotelen Aeschyli filium Andrium poetam insigni laude dignati sunt et corona laurea donaverunt „*ἐπειδὴ ἐπεπραγμάτευτο περὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὴν πόλιν τῶν Δηλίων καὶ τοὺς μύθους τοὺς ἐπιχωρίους ἐγεγράφει*". [1])

Pentetericam pompam a Ptolemaeis in insula sacra denuo institutam hymnus Deliacus, sive ad ipsum festum compositus sive aliae occasioni destinatus plurimis celebrat versibus; quo carmine, exemplo hymni homerici ductus, poeta mythicam sacris illis originem quaerit, et quantum per eruditionis copiam aut per feracem inventionem valet *γράφει τοὺς ἐπιχωρίους μύθους*. Nolo omnia indicare quae ad sacra Deliaca ornanda suppeditavit Callimacho mira eruditionis abundantia; quae praetermitti non possunt, sequuntur, et eo libentius ea adducam quia eximiam quandam consociandi artem in poeta patefaciunt. Non enim hic obruitur doctrinae divitiis, sed adiuvatur.

Erat inter dei cognomina unum quod vel maxime detrectare Deliaci dei dignitatem videbatur: *Λυκηγενῆ* saepe eum salutabant. Quid sibi vellet hoc epitheton, de ea re profecto olim vix dubitaverat Homerus, cum Pandarum hominem Lycium *Λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ* supplicantem fecisset. Deinde vero quid in hoc nomine luserint, inventaverint, investigaverint poetae atque grammatici, sive Lycium sive Lyceum dicebant deum, id omnibus notum est. [2]) Sufficit scholia in Iliadem evolvere, quae si non Aristarcheam, attamen Alexandrinam doctrinam reddunt (ad *Δ*. 101): „*Λυκηγενέϊ: ἐν Λυκίᾳ γενομένῳ· ἀψευδέστατον γάρ ἐστιν ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐν Λυκίᾳ. ἢ ὅτι λύκος ἡγήσατο μετὰ τὰς ὠδῖνας Λητοῖ, ὥστε καθαρθῆναι, εἰς τὸν Ξάνθον*," et paulo infra: „*Λυκηγενῆ αὐτὸν προσηγόρευσεν οὐχ ὡς ἐν Λυκίᾳ γεγεννημένον· ἔξω γάρ ἐστι τῆς Ὁμηρικῆς ἀναγνώσεως ὁ νεώτερος οὗτος μῦθος· ἀλλ' ὥσπερ, οἶμαι, τὴν ἡμέραν ἠριγένειαν ὀνομάζει τὴν τὸ ἦρος γεννῶσαν, τουτέστι τὸν ὄρθρον, οὕτω λυκηγενῆ τὸν ἥλιον προσηγόρευσεν, ἐπειδὴ τοῦ κατὰ τὴν ὄρθριον ὥραν λυκαυγοῦς αὐτός ἐστιν αἴτιος.*" Qui paulo interiorem habent Callimachi notitiam statim concedent ultimam sane huius cognominis explicationem sive eo modo quo hic data est accipias sive *luce genitum* deum interpretaris, non habere quod eum poetam magnopere allicere possit. Neque enim ita simpliciter Apollinis nu-

---

[1]) *Bull. Corr. Hell. IV.* 346.

[2]) Apte varias opiniones collegit Dümmler in Wissowae Lexico II. col. 59.

men pro sole dici posse ei videtur, ut iam Phoebus unus idemque deus cum Helio habeatur, et praesertim placent Callimacho illae semper nominum interpretationes, quae ad certum quendam locum singulos deos ac cultus adligent. Alteram quoque interpretationem si novit (quod vix dubito) tacitus condemnavit, sicut iter Latonae laborantis ea abundantia enarrans quae vix superetur, verbo tamen non tangit ea quae Aristoteles memorat *Hist. Anim.* VI. 35: „*λέγεται δέ τις περὶ τοῦ τόκου* (luporum intellegitur partus) *λόγος πρὸς μῦθον συνάπτων· φασὶ γὰρ πάντας τοὺς λύκους ἐν δώδεχ' ἡμέραις τοῦ ἐνιαυτοῦ τίκτειν· τούτου δὲ τὴν αἰτίαν ἐν μύθῳ λέγουσιν, ὅτι ἐν τοσαύταις ἡμέραις τὴν Λητὼ παρεκόμισαν ἐξ Ὑπερβορέων εἰς Δῆλον λύκαιναν φαινομένην διὰ τὸν τῆς Ἥρας φόβον.*" Restabat explicatio quae a regione Lycia nomen derivabat. Et quod scholiasta ad Iliadem notavit, in Lyciam profectam esse Latonam cum paritura esset filium, id poetae quoque nonnulli probaverunt, fabulisque illustrarunt, placebatque aliquatenus Ovidio etiam Lycia fabula, qui iam natis gemellis Latonam in Lyciae agros fugientem fecit propter Iunonis iram [1]). Qua in re constat Ovidio exemplum praebuisse Nicandrum, qui in libro mutationum Lyciorum agricolarum mutatam formam enarrans rem certe non invenerat ipse [2]). Hanc fabulam si novit Callimachus, non probavit [3]), at non fugit eum ipsa Lyciorum sacrorum antiquitas. Et si summi honores Delo reservandi erant, minima tamen neglegenda videbatur regio illa quae Patarensi gloriaretur deo, quae Clario, quae Dindymeno. Quid? Nonne utriusque terrae nomina iam coniunxerat Pindarus, nonne eo carmine quo praestantius musa lyrica poetam Thebanum non docuit, Pythio primo, deum qui Lyciae tenet dumeta natalemque silvam, ita vs. 38 salutarat: „*Λύκιε καὶ Δάλοι' ἀνάσσων Φοῖβε*"? Coniunxit igitur Callimachus quoque utriusque regionis iura ac laudes. Et fecit id, ut

---

[1]) *Metam.* VI. 337 *sqq.*

[2]) Antonin. Lib. *Metam.* c. 35. Res exposita quoque erat in Menecratis Xanthii *Lyciacis.*

[3]) Iram Iunonis, quam huius vagationis causam dicit Ovidius vs. 337 „*hinc quoque Iunonem fugisse puerpera fertur*", non memoratam invenimus in Antonini expositione brevissima: „*Λητὼ ἐπεὶ ἔτεκεν Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἐν Ἀστερίᾳ τῇ νήσῳ, ἀφίκετο εἰς Λυκίαν ἐπιφερομένη τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ λουτρὰ τοῦ Ξάνθου,*" sed ab Ovidio ipso causa non inventa est, nam, excogitata semel hac ratione Deliorum iura cum Lyciis coniungendi, non potuit non addi causa quae ad Lyciam Latonam cum recens natis duceret. Quando orta sit fabula prorsus incertum. Dixeris tamen Callimachum respexisse narrationem et reiecisse cum IV. 259 doceret: „*οὐδ' Ἥρη νεμίσησεν ἐπεὶ χόλον ἐξέλετο Ζεύς*".

mihi quidem videtur, arte subtili nec poeta indigna nec theologo. Cum iam in eo esset ut nasceretur in insula sua Delius ac Patareus Apollo, ecce (IV. 249)

κύκνοι δὲ θεὸν μέλποντες ἀοιδαῖς
Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
ἑβδομάκις περὶ Δῆλον, ἐπήεισάν τε λοχείῃ,
Μουσάων ὄρνιθες, ἀοιδότατοι πετεηνῶν.

Ita lites dirimuntur! Nascitur quidem in insula ipsa Apollo; sed quo tempore nascitur adsunt iam in Asiae oris — sive Lydiam dicis, sive Phrygiam sive Lyciam, docta enim neglegentia in talibus saepius tamquam inscius errat poeta — adsunt, inquam, et deum carissimum iam lucem adspecturum sentiunt aves Apollinei, quasi utraque simul terra advenientem deum sensisset [1]). Talia si inventa proferunt poetae Alexandrini solent fere addere argumenta ex aetiologia petita, quibus fides fabulae firmetur. Neque deest *αἴτιον* umquam Callimacho; docet enim vs. 253:

ἔνθεν ὁ παῖς τοσσάσδε λύρῃ ἐνεδήσατο χορδὰς
ὕστερον, ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἄεισαν.

Videmus *τὸ αἴτιον*, unde autem habeat poeta ignoramus. Temere ille fingere non solet talia quae cum doctorum opinionibus adversa fronte pugnant. Lyram non statim septem chordis fuisse ornatam sed antiquitus *τετράχορδον* fuisse vulgo opinabantur Graeci vulgatamque de ea re opinionem profert Strabo XIII. p. 618: Terpandrum *πρῶτον ἀντὶ τῆς τετραχόρδου λύρας ἑπταχόρδῳ χρησάμενον καθάπερ καὶ ἐν τοῖς ἀναφερομένοις ἔπεσιν εἰς αὐτὸν λέγεται·*

Σοὶ δ' ἡμεῖς τετράγηρυν ἀποστέρξαντες ἀοιδὰν
ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους.

Quibus tamen adversabatur hymnus homericus in Mercurium: Lyram ex testudine artificiose componens deus ceteris confectis omnibus (vs. 51) „*ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἰῶν ἐτανύσσατο χορδάς*". Auctoritatem igitur quae ei antiquior videbatur, in temporis ratione

---

[1]) Comparari aliquatenus hoc inventum potest cum Atheniensium fabula qui, ut Deliacae dignitatis partem quandam Atticae arrogarent, narrabant promunturium *Ζωστῆρα* inde nomen accepisse quod ibi Latona *ἐλύσατο τὴν ζώνην*, ac inde postea ab Athena Pronoea in insulam Delon deducta esset. Cf. Hyperid. fr. 70 (Blass.) et Steph. Byz. i. v. *Ζωστήρ*. Fuit autem Athenae *Προνοίας* sacrum in insula Delo cuius causam more suo longe subtiliorem dedit Macrobius I. 17. 54: „Diu intervenit Iuno .... sed divinae providentiae vicit instantia quae creditur iuvisse partum. Ideo in insula Delo ad confirmandam fidem fabulae aedes Providentiae quam *ναὸν Προνοίας Μήτηρ* appellant apta religione celebratur."

secutus, deflectit noster ab homerico poeta in inventoris nomine. Nonne verisimile est invenisse eum apud ipsos Deli incolas famam inventae ab ipso Apolline lyrae et inventae quidem in ipsa insula? Variabant enim de hac re opiniones, nam scimus Thebanos Amphioni inventionis laudem tribuisse, sive plane invenit, sive quattuor chordis tres adiecit novas [1]). In incerta autem re poetae placuit hac quoque gloria donare illam insulam quae omnium prima deum recens natum audiisset gloriantem:

„εἴη μοι κίθαρίς τε φίλη καὶ καμπύλα τόξα [2]).

De Lycio igitur Apollinis cultu hoc, ni fallor, iudicabat poeta, antiquissimo vinculo cohaerere cum Delo, nec tamen ideo fidem iis esse habendam qui ex Lycia Apollinem vel Phoebeam religionem in Graeciam translatam esse putarent; Deliaco cedere cultum Lycium iubet. Eam opinionem alibi quoque in hymno quarto firmavisse videtur. In carmine insulae sacrae dedicato silentio praetereundus non erat Olen, vates ille antiquitate gravissimus. Itaque plurimis versibus enarratur iuvenum ac virginum chorus (vs. 304):

οἳ μὲν ὑπαείδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος,
ὃν τοι ἀπὸ Ξάνθοιο θεοπρόπος ἤγαγεν Ὠλήν,
αἳ δὲ ποδοῖν πλήσσουσι χορίτιδες ἀσφαλὲς οὖδας.

Delo igitur vindicavit priscum vatem, ne quis ad Delphos potius eum pertinere putaret fide habita Delphorum narrationibus quales ex Boeus carmine subditicio profert Pausanias X. 5. 8: *„ἐπαριθμοῦσα δὲ καὶ ἄλλους τῶν Ὑπερβορέων ἐπὶ τελευτῇ τοῦ ὕμνου τὸν Ὠλῆνα ὠνόμασεν·*

Ὠλήν θ', ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας,
πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτήνατ' ἀοιδάν."

Cohaerebant haec cum Delphorum placitis de Hyperboreis, quae acriter impugnat Callimachus, et necesse erat ei eam ob causam diserte vatem Lycium tamquam sacris Deliacis adstantem memorare. Quae vero Olenis doctrinae de deorum genere inprimis de Ilithyia ferebantur [3]), has nequaquam ab omni parte probat. Hymnum igitur antiquum in Ilithyiam licet Deliis composuerit Olen, qui *„καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παλαιοὺς ὕμνους ἐποίησε ἐκ Λυκίης*

---

[1]) Plin. *nat. hist.* VII. 204. Paus. IX. 5. 7. — Hecataeus trichordae lyrae inventorem Hermen (Thoth) dixit (*μιμησάμενον τὰς κατ' ἐνιαυτὸν ὥρας*) Diod. I. 16.

[2]) Hymn. hom. *in Apoll.* vs. 131. In Delo si fama inventae ibi ab Apolline lyrae vulgata erat profecto cum dei natali die erat coniuncta.

[3]) De Ilithyia Deliaca cf. infra pag. 71.

ἐλθὼν τοὺς ἀειδομένους ἐν Δήλῳ" [1]), hoc teneat auditor quivis: ipsi insulae propria iam diu fuisse alia carmina in Ilithyiam, quoniam diu antequam natus esset Olen Lycius, iam in ipsis Apollinis natalibus, dum adsunt ex Pactoli ripis aves canorae, hymnum cantaverant nymphae Deliades in eius deae honorem (IV. 255)

αἳ δ' ἐπὶ μακρὸν
νύμφαι Δηλιάδες, ποταμοῦ γένος ἀρχαίοιο,
εἶπαν Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος.

Vides summam antiquitatem nymphis Deliacis postulare poetam. Nec hoc solo loco id facit, nec inconsulto. Deliacas virgines enim choreis ludentes describit iterum in hymno ad Dianam (vs. 171) auctius atque uberius chori venustatem memorans, quo cingunt nymphae Dianam

ἀγχόθι πηγάων Αἰγυπτίου Ἰνωποῖο.

Procul dubio indicat utroque loco sanctas et antiquissimas, ut ei videntur, origines eius chori, quo mense Artemisio dea celebrari solebat in insula Delo [2]). Eo autem versu quem ultimo loco attuli ita cum Brauronia Artemide ac cum Spartiatarum Orthosia coniunxit choreas Deliacas ut luculenter doceret Britomartia festa se spectare. Orthosiae enim sive Limnaeae nomine Britomartin Spartiatae salutant, quod testatur Pausanias III. 14, 2: „ἐπανελθοῦσι δὲ ὀπίσω πρὸς τὴν λέσχην ἐστὶν Ἀρτέμιδος Ἰσσώρας ἱερόν, ἐπονομάζουσι δὲ αὐτὴν καὶ Λιμναίαν", eodem nomine Deli invocatam esse Dianam constat ex inscriptionibus Deliacis [3]), ipse vero Callimachus propriam eius nominis deam Cretensibus esse negavit, nam, ut vidimus [4]), Cretici nominis Dictynnae formam ex mythica causa derivat ipsamque deam Dianam eo cognomine indicari censens, enarrata Dictynnae fabula statim ad Deliaca sacra auditores arcessit deam ita salutans: „Οὔπι ἄνασσ', Εὐῶπι".

Cum his autem Deliacis Britomartiis, quae mense Artemisio habebantur, fabulosum nympharum chorum vs. 255 Callimachus coniungit, praeterea non solum iuvenum choreas sed morem quoque sacrum, vs. 296 memoratum, quo comas tondere solebant in Artemisio sacro virgines puerique Deliaci. In qua re paululum Callimachus discrepat ab Herodoto quem plerumque sequitur fideliter. Nam

---

[1]) Ita Lib. IV. c. 35 Herodotus cuius auctoritati multum tribuit Callimachus.
[2]) Cf. A. Mommsen in *Burs. Jahresb.* XLVIII. p. 341.
[3]) *Bull. Corr. Hell.* XIV. 493.
[4]) Vide supra pag. 27.

accurate re exposita Herodotus IV. 34: „τῇσι δὲ παρθένοισι ταύτῃσι τῇσι ἐξ Ὑπερβορέων τελευτησάσῃσι ἐν Δήλῳ κείρονται καὶ αἱ κόραι καὶ οἱ παῖδες οἱ Δηλίων· αἱ μὲν πρὸ γάμου πλόκαμον ἀποταμνόμεναι καὶ περὶ ἄτρακτον εἱλίξασαι ἐπὶ τὸ σῆμα τιθεῖσι (τὸ δὲ σῆμά ἐστι ἔσω ἐς τὸ Ἀρτεμίσιον ἐσιόντι ἀριστέρης χειρὸς, ἐπιπέφυκε δέ οἱ ἐλαίη), ὅσοι δὲ παῖδες τῶν Δηλίων περὶ χλόην τινὰ εἱλίξαντες τῶν τριχῶν τιθεῖσι καὶ οὗτοι ἐπὶ τὸ σῆμα." Addit sacrum usum institutum esse in memoriam eorum donorum quae Hyperboreorum virgines olim obtulerant Ilithyiae ἀντὶ τοῦ ὠκυτόκου. Et id quidem quamvis in ceteris conspiret fere cum Herodoto Callimachus reiecit, Hyperboreis ipsis Dianae ministris non Ilithyiae hos crines offerri statuens (IV. 296 *sqq.*); Ilithyiae enim iura in insula sacra premit silentio et reddit Dianae, cuius rei diserte causam indicat hymno III. vs. 24. Quo magis nescio, qua causa motus in Deliaco hymno taceat Dianae Lucinae officia quae memorat Apollodorus I. 4. 1: (Λητὼ) εἰς Δῆλον ἐλθοῦσα γεννᾷ πρώτην Ἄρτεμιν, ὑφ' ἧς μαιωθεῖσα ὕστερον Ἀπόλλωνα ἐγέννησεν. [1])

Sic ad Hyperboreos deducit nos disputatio [2]). De quibus breviter dicere difficile est, non solum quia attinet scire, quid Callimachus religiosarum rerum iudex peritissimus iudicaverit in causa litigiosa — laudem enim antiquissimi cultus Phoebei quae sibi gens non arrogabat? — sed praesertim cum renovaverit plane ac informaverit doctrinam de Hyperboreis diligentia philosophorum qui Callimachi aetate de iis scripserunt. Causas huius studii invenire facillimum est. Occupabant enim Alexandrinorum animos nova illa ac mira quae de remotissima quaque gente referre adamabant periegetae ac historici. Attacoros celebraverat Amometus [3]), de Indis longaevis dixerunt alii, virtutibus praeclaros, simplicitate beatos homines aut fingentes, aut ex narrationibus peregrinis adsciscentes. Et aliquatenus talia fingendo exempla sequebantur antiquissima. Nonne enim iam Homerus Phaeaces ceteris omnibus hominibus tam virtute quam felicitate praestantes proposuerat? Nonne postea

---

[1]) Neque tempus indicat Callimachus neque locus quo lucem aspexisse Dianam putaverit. Non igitur est quod putemus a vulgata fama eum deflexisse quam dedit Apollodorus.

[2]) De Hyperboreis eiusmodi nunc extat Crusii dissertatio in Roscheri lexico ut ad eam semper recurrat quicunque in eos inquirit. Solum fere Callimachum spectant quae ego de Hyperboreorum fabulis hic dicam.

[3]) Plin. *N. H.* VI. 20. Amometi libros in manibus fuisse Callimacho testatur nobis fr. 100 n°. 28.

Aristeae miracula, fabulaeque de Arimaspis, de Grypibus summopere Graecos delectaverant? Haec autem animi oblectandi causa initio ficta cum religione arctius coniungi coepta erant, cum ad Hyperboreos Apollinis ministros antiquissimos referrentur. Viderat Callimachus id facientem Hecataeum, qui in ceteris studiis neque dis Graecis neque omnino religioni favens, eundem Graecorum numinum cultum, quem libro de rebus Aegyptiacis funditus everteret, fictis tamen fabulis tamquam iure postliminii restituisse videbatur, nam ad elementa physica rettulit, aut in terram detrusit deos Olympi; attamen prorsus e vita tollendam esse religionem negabat. Quo factum esse videtur, ut Callimachus, quamquam Hecataei placitis adversarius infensus, talia de Hyperboreis memoraret quae Hecataei narrationem respicere hic illic videbantur. In extrema occidente — ita is fere — extra vias Aquilonis iacet tellus cuius incolae *ἀπὸ τοῦ πορρωτέρου κεῖσθαι τῆς βορείου πνοῆς* Hyperborei dicuntur, insula scilicet *ἐν τοῖς καταντιπέραν τῆς Κελτικῆς* sita, magnitudine non minor quam Sicilia. Helixoea insulae nomen, quae et fertilitate praestat omnibus terris et sanctitate, quoniam Latonae est patria. Incolae autem sacrae insulae sive Apollinis sunt sacerdotes sive citharistae, quorum cantu cottidie honor celebratur Dei, ante sanctissimum eius templum. Illud forma rotunda fuisse dixit Hecataeus, *σφαιροειδές*, ut figura, opinor, universi imaginem redderet mundi, nam fuit hoc in placitis philosophi, mundum sphaerae forma esse praeditum [1]). Propria lingua Hyperborei utuntur; nulli genti magis quam Graecae favent, inter Graecos autem maxima benevolentia colunt Athenienses et Delios. Et profecto fuit cum ad Hyperboreos quidam Graecorum pervenirent; Graecos quoque Hyperboreorum filii adierunt veluti Abaris ille, qui in Graeciam profectus cum Deliis amicitiam et necessitudinem antiquam renovavit. — Haec fere ex Hecataeo Diodorus [2]). Pauca addantur ex Aeliano (*N. H.* XI. 1), ea saltem quae quodammodo a Callimacho respiciuntur; cetera enim Hecataei, quamvis per se observatione dignissima, huc non pertinent. Adicit igitur Aelianus, sacerdotes esse Apollinis in insula sacra filios Boreae et Chiones, *τρεῖς τὸν ἀριθμὸν, ἀδελφοὶ τὴν φύσιν, ἑξαπήχεις τὸ μῆκος.* Qui cum stato tempore solemne Apollinis sacrificium instaurant, ecce *„ἐκ τῶν Ῥιπαίων οὕτω καλουμένων παρ' αὐτοῖς ὀρῶν καταπέτονται*

---

[1]) Diogen. Laert. I. 10.

[2]) Diod. II. 47. Müller *F. H. G.* II. 386.

κύκνων ἀμήχανα τῷ πλήθει τὰ νέφη, καὶ περιελθόντες τὸν νεὼν καὶ οἱονεὶ καθήραντες αὐτὸν τῇ πτήσει εἶτα μέντοι κατιᾶσιν εἰς τὸν τοῦ νεὼ περίβολον", tum celebrantibus cum citharistis deum cantoribus ipsi quoque cycni concinne accinunt. — Multa porro adiecerat Hecataeus de Hyperboreorum pietate, ut fere solebant eius aetatis philosophi apud exteras gentes fingere illam simplicitatem morum vitaeque felicitatem quam domi frustra quaerebant [1]).

Callimachus scripta Hecataei minime neglexisse, sed arte egregia et Graecae religionis patrono dignissima ita philosophi inventa in suum usum convertisse videtur, ut ipsa imitatione doceret eam felicitatem quam apud Hyperboreorum gentem fabulosam quaesivisset ille, veris dei cultoribus haud ita procul esse quaerendam. Conferamus enim cum Apollinis festo illo, quo gaudent Hyperborei Hecataei, eam epiphaniam quam in laudem Apollinis Carnei describit Callimachus hymni in Apollinem versibus primis. Surgit ad animi divino afflatu elati sermonem sic declamans:

Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὄρπηξ,
οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον· ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.
καὶ δή που τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.
οὐχ ὁράᾳς; ἔπένευσεν ὁ Δήλιος ἡδύ τι φοῖνιξ
ἐξαπίνης, ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει.

Hic Hecataei ipsa verba spectari non magis contendo quam illum prae ceteris cycnos addicasse Phoebo, sed quodammodo Hecataei narrationibus hanc Apollinis laudem ita opponi, ut festa Cyrenaica et Deliaca Helixoeae anteferantur, illud mihi vix dubium videtur, cum cogito plane eadem ratione qua felicitatem Hyperboreorum praedicasset Hecataeus: „*εἶναι δ' αὐτοὺς ὥσπερ ἱερεῖς τινας Ἀπόλλωνος διὰ τὸ τὸν θεὸν τοῦτον καθ' ἡμέραν ὑπ' αὐτῶν ὑμνεῖσθαι μετ' ᾠδῆς συνεχῶς καὶ τιμᾶσθαι διαφερόντως*", Callimachum Delon insulam laudasse (IV. 302)

οὔτε σιωπηλὴν οὔτ' ἄψοφον οὖλος ἐθείραις
Ἕσπερος, ἀλλ' αἰεί σε καταβλέπει ἀμφιβόητον.

In ceteris non fuit cur Hecataei, doctissimi historici et periegetae, testimonia de ipsis Hyperboreis sperneret Callimachus. Nam eandem

---

[1]) Antea talia egerat Ctesias in Persicis, nuper Megasthenes in Indicis, quibuscum conferri poterunt quae de Gymnosophistarum Calanique sapientia narrata sunt ab Arriano. Historicorum autem eorum narrationes pro veris accipi solebant, non ita Hecataei inventum de Hyperboreis, qui rectius cum Atlantide Platonis vel cum Theopompi Meropibus, cum Urbe Piorum Castris Bellatorum Fluviis Laetitiae atque Doloris, componentur.

atque ille sententiam amplexus est de Hyperboreorum nomine, de quo maximum (ut est adhuc) tum fuit certamen. Inventarant alii nomen Atheniensis cuiusdam Hyperboreum alii Thessali sive Pelasgi: noster diserte quid sentiat docet vs. 281: „*οἳ καθύπερθε βορείης οἰκία θινὸς ἔχουσι*", quae opinio sane habebat testem quo se commendaret, nam videbatur iam ab Aristea prolata esse [1]). Neque merae etymologiae noster indulsit, cum in Hyperboreorum sacerdotum genealogia auctoritatem Hecataei sequendam esse censuit. „*Βασιλεύειν τε τῆς πόλεως ταύτης καὶ τοῦ τεμένους ἐπάρχειν τοὺς Βορεάδας, ἀπογόνους ὄντας Βορέου*" docuerat Hecataeus; iterum Callimachus obtemperat: Hyperboreorum virgines ei sunt *θυγατέρες Βορέαο* (vs. 292), et sicuti apud Hecataeum ita in nostri mythologia duplex ratio est et incerta in nomine ac persona Boreae [2]).

Non ultra secutus est Hecataeum. Quid enim vel tantillum valere ei videbatur nisi antiquis confirmaretur testimoniis? Ceterum non Hyperboreorum honor nunc agebatur verum Deli. Tum vero iterum cavendum erat, ne quis sacerdotum Delphorum documentis in errorem se induci pateretur, cum Delphico templo coniungendam esse Hyperboreorum historiam Pythiis testimoniis credens. Nam ut in plerisque rebus sacris quae ad Apollinem pertinent, ita in Hyperboreis quoque duplex erat traditio, tam Delphis quam Deliis sibi propriam eam gentem fuisse et a se ortam affirmantibus. Delphorum iura, quae iam respecta esse ab Alcaeo monuit Crusius [3]) summopere ipsius Callimachi aetate confirmare studebant Pythii

---

[1]) Hunc enim respicit Herodotus IV. 36 „*εἰ δὲ εἰσὶ Ὑπερβόρεοί τινες ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ ὑπερνότιοι ἄλλοι εἰσί*. Cf. Crusius l. l. 2814. 60.

[2]) Aquilonis enim persona ex parte tantum mythica est et magis quam ceteri di confusam habet apud Callimachum quoque mythologiam. Thraciam, quae apud Homerum ceterosque poetas Boreae fuerat patria, Callimachus quoque ei assignat (IV. 63—65) in notas regiones igitur revocans Venti domicilium quod ad terrae coelique fines relegarat Sophocles (fr. 658) „*ἐπ' Ἴσχατα χθονὸς νυκτός τε πηγὰς οὐρανοῦ τ' ἀναπτυχάς* (quas *ἀγαπτυχὰς* idem fere valere ac Callimachi *μυχούς* l. l. censet Rappius — Rosch. Lex. I. 807 — quod negaverim propter Eur. *Hipp.* 601 „*ἡλίου τ' ἀναπτυχαί*", *Ion.* vs. 1445 „*αἰθέρος ἀμπτυχαί*" et frequentem usum verbi *ἀναπτύσσειν*). Ita IV. 64 *antrum Boreae* quod mythologi nonnulli ultra regiones cognitas collocarant diserte in monte Haemo ponit (cf. III. 114). Neque ab antiqua natura recedit Boreas cum equorum Martis dicitur pater. — Sed ad aliam mythologiae speciem, recentiorem, qualem colunt Hecataei Euemerique asseclae qui verborum derivationes magis quam deorum naturam curant, Callimachus accessit cum ex Thracia in Hyperboreos antiquum translatit deum, ac *παρθενικῶν Ὑπερβορίων* patrem eum nominavit.

[3]) Rosch. Lex. I. col. 2806. De Epigonis Hesiodeis vix constat, nec multo magis de Antimacho.

oraculi fautores. Quibusnam in tali re subsidiis usi sint, docet opus subditicium quod, ut antiquitate testimoniorum rem suam corroborarent, Delphici oraculi defensores quidam hoc ipso fere tempore pervulgasse videntur, hymnum scilicet illum quem Boeo, Phoebi sacerdos vetustissima olim fecisse fingebatur [1]). Etenim eo carmine, ut vidimus supra pag. 61, diserte cum Delphici templi originibus Hyperborei coniungebantur,

ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς,

cum Hyperboreis Delphicis conciliatur quoque Olen: „*ἐπαριθμοῦσα δὲ καὶ ἄλλους τῶν Ὑπερβορέων ἐπὶ τελευτῇ τοῦ ὕμνου τὸν Ὦλῆνα ὠνόμασεν.*" Tandem vero cum ipsa Callimachi aetate Galli templum Delphicum invadere conati essent, Apollinem non sine Hyperboreorum auxilio templum suum defendisse non solum postea fuit Delphorum opinio — teste Pausania (I. 4. 4) „*ἐνταῦθα κεραυνοί τε ἐφέροντο ἐς τοὺς Γαλάτας καὶ ἀπορραγεῖσαι πέτραι τοῦ Παρνασσοῦ, δείματά τε ἄνδρες ἐφίσταντο ὁπλῖται τοῖς βαρβάροις. τούτων τοὺς μὲν ἐξ Ὑπερβορέων λέγουσιν ἐλθεῖν, Ὑπέροχον καὶ Ἀμάδοκον*" — idem apud eos iam statim post Gallos expulsos creditum esse verisimile est. Vulgo enim ferebatur editum esse ab Apolline ante Gallorum eventum oraculum illud „*ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις*" [2]), qualia oracula plerumque statim post depulsa pericula nasci solent.

---

[1]) Paus. X. 5. 7 *sqq.* Hymnum qui Boeus nomen ferebat Alexandrino auctori vindicavit Knaack. (*Analecta Alexandrino-romana p.* 1 *sqq.*), cui plerique viri docti assensi sunt. Et id quidem recte. Verum non video quo iure ex Athenaeo IX. 393, communi fere consensu eruditiorum, efficiatur iam Philochoro non solum notum sed etiam pro genuino extremae antiquitatis opere acceptum fuisse hymnum. Scribit Athenaeus: „*Βοῖος δ' ἐν Ὀρνιθογονίᾳ, ἣ Βοιὼ, ὥς φησι Φιλόχορος, ὑπὸ Ἄρεως τὸν Κύκνον ὀρνιθωθῆναι κ. τ. λ.*" Qui cetera perlegat facile concedet non voluisse indicare Athenaeum, ea quae narrat a Philochoro referri ex Boeus ornithogonia, sed Philochori auctoritatem idcirco ab eo laudari, ut ea tueatur femininam nominis formam antiquae illius sacerdotis. Boeus, plane ut Phemonoes, personam recentiores illi carminum antiquorum fabricatores assumpserunt ob eam ipsam causam quod tamquam mulieris divino afflatu olim ante ceteras ad vaticinium impulsae egregio honore apud Delphos vigeret eius memoria, sed quo tempore id fecerint ex Athenaei verbis non patet, atque ita parum veri simile fit ex Boeus carmine fluxisse quod IV. 160 Callimachus dixit *Κῶων Μεροπηΐδα νῆσον*, quae verba Boeus fuisse contendit O. Schneider *Nicandrea* XLVII. *not.* 2. Nihilo tamen magis probabile videtur falsarium ea verba debere Callimacho. Etenim: „*καὶ ᾤκουν Κῶν τὴν Μεροπίδα νῆσον*" ita Boei ornithogoniam secutus narrat Antoninus fab. XV, quo nomine non Callimachum qui *Μεροπηΐδα*, sed Pherecyden secutus est qui *Μεροπίδα* insulam dixit, cf. schol. in Hom. Σ 255.

[2]) Iustin. XXIV. 8. Diod. XXII. 10. 5. Cf. Crusius *l. l.* col. 2810.

Nihil tale apud Callimachum invenies. Olenem iam vidimus: Lycius senex dicitur, nec Delphos sed Delon venit. Alcaei carmen novit ille et respicit [1]), at respicit in Deliacis dei natalibus et in epiphania Cyrenaica. Denique Gallorum invasionem iam in utero vaticinatur Apollo idque loquaciter admodum (IV. 170—184), verum sibi soli honorem victorum Galatarum vindicat, de Hyperboreis alto tacet silentio.

Sed praeter Delphos alii quoque fuerunt, qui laudem Hyperboreorum sibi propriam esse contendebant. Inde ab eo tempore, quo primum Deli tutela coram Atheniensibus fuit, sedulo studio id Attici oratores ac poetae operam dederant, ut patriae suae primas quoque cultus Deliaci laudes iure quodam vindicare possent. [2]) Abarin, Hyperboreum illum Phoebi ministrum, cuius iter in Graeciam ne Hecataeus quidem omisit, Atheniensium oratores affirmabant, olim cum fame ac peste totus orbis terrarum laboraret, omnes adiisse Graeciae urbes et dei sui nomine imperitasse ut Atheniensibus in summo omnium rerum periculo salutem suam committerent, servari enim posse patriam *εἰ προηρόσιον ὑπὲρ ἁπάντων Ἀθηναῖοι θύσειαν* [3]). Eam ob causam undique frugum primitiae Atheniensibus tunc primum oblatae sunt, Athenienses autem inde ab eo tempore *εἰρεσιώνην* Pyanopsiis Apollini voverunt. — Non solum ad Pyanopsiorum sacra haec pertinere demonstravit Crusius sed etiam eo spectare cum Manhardtio monet, ut Atheniensibus iure obvenire videretur principatus in Hyperboreorum theoria Deliaca [4]). Sed auxerunt etiam mythologica auctoritate Atheniensium iura Atthidum scriptores qui docuerunt ea quae extant apud Pausaniam I. 31. 2: *„ἐν δὲ Πρασιεῦσιν Ἀπόλλωνός ἐστι ναός· ἐνταῦθα τὰς Ὑπερβορέων ἀπαρχὰς ἰέναι λέγεται· παραδιδόναι δὲ αὐτὰς Ὑπερβορέους μὲν Ἀριμασποῖς Ἀριμασποὺς δ' Ἰσσηδόσι, παρὰ δὲ τούτων Σκύθας ἐς Σινώπην κομίζειν, ἐντεῦθεν δὲ φέρεσθαι δι' Ἑλλήνων ἐς Πρασιάς, Ἀθηναίους δὲ εἶναι τοὺς ἐς Δῆλον ἄγοντας*". Atheniensibus illis autem ducem esse datum Erysichthona, qui antiquissimum *ξόανον* in insula Delo sacravisset, at inde Athenas priscum Ilithyiae simulacrum secum ducens in itinere mortuus esset, ab Atthidum item scriptoribus tradeba-

---

[1]) *Stud. Call.* I. p. 174, 190.

[2]) Crusius l.l. 2819 omnes qui huc pertinent locos contulit.

[3]) Schol. in Arist. *Eqq.* 729.

[4]) L.l. vs. 61. *„Man wollte für Athen die Vorstandschaft der „Hyperboreischen" Theorie nach Delos in Anspruch nehmen".*

tur, quibus cordi erat cum omnibus antiquissimis religionibus Athenarum gloriam coniungere [1]).

Non magis quam Delphorum iura Callimachus Atheniensium gloriam in rebus Deliacis tutatur. Scriptores Atticos sane noverat optime, neque, ubi eos salva gloria Deliorum licuit sequi, neglexit. At tantum non diserte dicit, iniuria tam magna in Delo sibi vindicasse Atheniensium scriptores. Etenim silentio obruit quae de Ilithyiae simulacro antiquissimo Erysichthonisque theoria narrabantur, cum tamen vs. 307 *sqq.* memoret, Thesea olim ex Creta ad insulam advectum sacram instituisse saltationem *τοῦ γεράνου*, et vovisse Aphrodites antiquissimum simulacrum; Theseae navis „*ἀειζώοντα τοπήια*" iure suo Cecropidas semper vovere non negat, at Hyperboreorum gloriam iis largiri non vult.

Quidnam tandem de Hyperboreis statuendum ipsi videatur id disertis docet versibus (vs. 280 *sqq.*): sacros manipulos spica illigatos Dodonaei Pelasgi ex longinquo sibi allatos accipiunt, transferunt in Malidis terrae montes, inde in Euboeam

οὐδ' ἔτι μακρὸς
Ὁ πλόος Εὐβοίηθεν ἐπεί σεο γείτονες ὅρμοι.

Sacrorum iter ex Hyperboreis adlatorum (in quo itinere neque Delphi memorantur neque Athenae) ita describit Callimachus, ut fere ipsa verba arguant eum sequi narrationem notissimam Herodoti. Is quoque (IV. 33) *ἱρὰ ἐνδεδεμένα ἐν καλάμῃ πυρῶν* omnium Graecorum primos narrat accepisse Dodonaeos, inde devenisse ad Malios, Euboeam, Tenum, Delum. Nec mirum poetam sequi Herodoti testimonium, quandoquidem ipsorum Deliorum auctoritate se niti scriptor adfirmaverat. Una tantum re differt haud parum ab historico poeta. Agnoverat Herodotus duas ipsorum Hyperboreorum sacras legationes (qua in re duplicem profecto Deliorum traditionem sequitur) priorem, quam refert c. 35 (nempe Argen atque Upin virgines Hyperboreas oblatis donis Ilithyiae domum rediisse), alteram vero (c. 33) *τοὺς Ὑπερβορέους πέμψαι φερούσας τὰ ἱρὰ δύο κούρας τὰς οὐνομάζουσι Δήλιοι εἶναι Ὑπερόχην τε καὶ Λαοδίκην· ἅμα δὲ αὐτῇσι ἀσφαλείης εἵνεκεν πέμψαι τοὺς Ὑπερβορέους τῶν ἀστῶν ἄνδρας πέντε πομπούς*, eas autem non rediisse ex Delo. [2]) Non ipsum igitur

---

[1]) Phanodem. fr. 1. Müller *F. H. G.* I. 366. Crusius l. l. col. 2820. Idem i. v. *Erysichthon* l. l. I. 1383.

[2]) Qui Delphis Hyperboreorum mythos conscripserunt haec nomina adoptarunt, cf. Paus. I. 44. X. 23.

Herodotum solum Callimacho fuisse auctorem ex hac re apparet. Audiit, ni fallor, poeta quae apud ipsos Deli incolas credebantur, et ea selegit quae sacrae insulae maximo esse videbantur honori. Erat sane maioris iudicabat et gravitatis et sanctitatis si — quod sive Olenis hymnus quidam sive alia carmina Deliaca profecto docebant [1]) — constare videretur numquam in patriam reduces fuisse virgines iuvenesque qui tanto honore digni iudicati essent ut Deliaco deo primitias frugum offerrent,

Οὖπίς τε Λοξώ τε καὶ εὐαίων Ἑκαέργη [2]),

quae virgines Apollineis nominibus appellatae, non magis quam iuvenes Hyperboreorum humanam mortem obiisse putandi sunt,

εὔμοιροι δ' ἐγένοντο καὶ ἀκλέες οὖποτ' ἐκεῖνοι. [3])

Sic pro virili parte Delum supra ceteras urbes sacras tollere conatus Callimachus Ptolemaeorum consiliis inserviebat [4]). Novas fabulas ad ornandam eam religionem cui rex favebat, invenit nullas; sed more suo eruditionem copiosam adhibuit constanter, ut Deli dignitas summo antiquitatis testimonio firmaretur.

---

[1]) Crusius l. l. 2812.

[2]) Unde haec nomina venerint Callimacho, quem non excogitasse ea pro certo affirmari licebit, non constat. Hecaerge iam occurrit in Melanopi hymno (cf. Paus. V. 7).

[3]) Praeteriri consulto quae de Ilithyia docebant scriptores iam vidimus supra p. 71.

[4]) Quae de Hyperboreis praeterea tradidit Callimachus (veluti de *ὀνοσφαγίαις* fr. 188, de montibus Rhipaeis fr. 215) nihil adferunt novi.

VII

Graecorum proavorum religionem intactam servare dum Callimachus constanti labore contendit num semper faventem habuerit regem Philadelphum admodum difficile est diiudicare. Iam vidimus iis qui solos papyros consulunt vel decreta sacerdotum magnis verborum ambagibus pietatem regis in deos Aegyptiacos praedicantium, iam Pharaonum filium Lagidam alterum videri; contra si Musei poetas priores, Callimachum Theocritum Apollonium audiamus, elabi omnem numinum Aegyptiacorum memoriam. Quid ergo? Commiscendane erunt utriusque generis testimonia, et assentiendum opinioni illorum qui iudicant, Philadelphum primum fuisse qui, a patris sui consiliis deflectens, cultum novum instituere voluerit ex Graecis atque Aegyptiacis elementis conflatum? [1]). Fuisse constat, in regis consilio, qui nihil magis sperarent, nullique rei magis studerent quam ut Aegyptios deos Alexandrinis imponerent. Illorum studia iam verbo tetigimus. Nunc accuratius Callimacho opponamus *τοὺς Αἰγυπτιάζοντας*, quatenus ex reliquiis licebit. Apparebit in quam diversa eruditiorum doctrinae eo tempore non regem solum sed civium quoque animos traxerint. Hoc tamen oberit disquisitioni, quod scripta quae Aegyptiacismo favent, admodum pauca nobis supersunt.

Et primum quidem, ut de totius religionis origine disquirere eius aetatis homines adamabant, ita Hecataeus hanc proponit quaestionem: „Undenam religio?" „Initio", sic fere docent eum,

[1]) Wilamowitzio Philadelphum dicenti *„den Alexandriner and Begründer der eigenartigen Mischcultur"* (*Gött. Nachr.* 1894) obloquitur Kaerstius *Rhein. Mus.* 1897, p. 42.

quos addit libenter, sacerdotes Aegyptiaci: „homines in Aegypto, oculos in convexum caeli dum tollunt, hoc sibi persuaserunt, duos esse deos ex omni aeternitate vita sempiterna fruentes". Haec profecto sapientia non omnis Aegypto debebatur. Iam Democritus terrorem, iam Academicos secutus Aristoteles admirationem initium dixerat religionis. Immo Prodicus etiam hanc doctrinam professus erat, primos homines propter multifaria beneficia quae soli, lunae, sideribus deberent deorum nomine ea salutasse. [1]) Talia autem licet a philosophorum scholis moverentur, quae religioni minus faverent, per se tamen deos non oppugnabant; non enim religionem tollit, qui originem quaerit religionis. Sed Stilponis alumnus cum talia doceret, qui audiisset Xenocratem Zenonemque, Hecataeus cum talia praedicaret in ipsa illa urbe quae Theodorum *τὸν ἄθεον* levi scurrilitate deos impugnantem et deorum naturam aperte tollentem vidisset, ingentem cladem imminere non solum Graecae sed universae religioni diceres. Nec tamen ferociter has doctrinas oppugnantem videbis sive Callimachum sive poetarum ex Museo alium quemquam. Disseruisse credas, immo acriter inter se disputasse contendas viros doctos qui a Timone dicuntur *βιβλιακοὶ χαρακῖται ἀπείριτα δηριόωντες Μουσέων ἐν ταλάρῳ* [2]), at in poetarum fragmentis talis quidem certaminis vestigia non conspiciuntur, et quod ad Callimachum attinet — vix putaverim de hac quaestione multa eum disquisivisse. Parum ille amat diu versare in religionum initiis, vix curat quae ante Saturni tempora facta gestaque sint. Gravius fuit quod Hecataeus absoluta quaestione de religionis origine, adiectaque cosmogonia, quae Diogenis Apolloniatae atque Archelai placita cum recentiori de elementis doctrina coniungeret [3]), deos revocavit ad ipsa elementa, quae in origine mundi conflassent universum. Opinatus enim erat *„κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν* caelum et terram *μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως* unam habuisse formam, sed post mutuam *τῶν σωμάτων* secessionem aerem agitationem obtinuisse perpetuam, cuius aeris partem igneam (*τὸ πυρῶδες αὐτοῦ*) ad sublimissima loca concurrisse, itaque et solem et ceteram astrorum multitudinem *τῇ πάσῃ δίνῃ* esse comprehen-

---

[1]) Sext. Emp. adv. Math. IX. 13—48. Cf. Plato *Cratyl.* p. 397; de Aristotele vide Cic. *Nat. Deor.* II. 37. 95.

[2]) Timon. Phlias. fragm. ed. Wachsmuth. fr. LX.

[3]) Diod. I. 7 *sq.*, quo capite haud minus quam in sequentibus Hecataei sapientia exposita esse mihi videtur, cf. *Mnemosyn.* XXII. p. 25 sqq.

sam, cum contra τὸ ὕλωδες καὶ θολερὸν μετὰ τῆς τῶν ὑγρῶν συγκρίσεως uno loco consideret propter gravitatem, donec ex humidis mare, ex solidioribus terra facta essent.

Eius autem cosmogoniae imaginem perfectam in Aegyptiorum religione inveniri ratus viam, quam iam Herodotus praeierat, ingreditur Hecataeus; antiquitatis enim palmam Aegyptiae religioni protendens simul quidquid est Graecorum numinum nomen quidem mutasse in Graecia, at originem habere Aegyptiam pluribus demonstrat. Aegyptios censet primos ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς ἀιδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι, Osiridis autem naturam iam nomine ipso indicari, nam significare πολυόφθαλμον quo optime conveniat cum illo deo, qui secundum Homerum „πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει". Ceterum haud ignarus a nonnullis Osirin cum Dionyso Graecorum compositum esse, syncreticos quoque poetas et Orphicos arcessit, nec longe a vero aberrasse eos monet, quibus Osiris aut Dionysos visus esset aut ὁ Σείριος, quoniam profecto simul est uterque. Nonne Eumolpus ἐν τοῖς Βακχικοῖς cantaverat:

„ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν",

nonne Orpheus

„τοὔνεκά μιν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον"? [1])

Haec raptim tantum excerpsit Diodorus, frusta modo altae theologiae ostendens; uberius vero tractasse putandus est ipse Hecataeus totam illam quae cordi omnibus erat quaestionem, quatenus utriusque regionis numina consanguinitate inter se iuncta essent. Quo animo autem talia Callimachum accepisse putabimus? Mitto cosmogoniam; sed illa de deorum consanguinitate placita non ab eo solo sed a compluribus commendata videbat, Isin atque Osirin inter deos Graecos iam accipiendos esse contendentibus. Simul eodem tendebant historici, poetae atque philosophi, cum eodem tempore Osirin summum deum praedicasset Hecataeus ἀστροφαῆ, Stoici autem aethera candentem Iovis nomine indicarent, Ζῆνα eum recte dici „παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστι" iudicantes [2]), Aratus denique solemnem sapientiam artis venustate illustrans in paucis prooemii sui versibus ita cum Iove patre aetherem commisceret, ut simul utrique, tam Stoicorum asseclae quam simplices de plebecula rustici in eius verba irent ita exordientis:

---

[1]) Diod. Sic. I. 11 cf. Plutarch. *de Isid.* c. 10.

[2]) Diogen Laert. VII. 147. Quibuscum confer Hecataei opinionem a Diodoro c. 12 expositam.

„μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες".

Auxit gravitatem atque auctoritatem τῶν *Αἰγυπτιαζόντων* — inter quos plerumque assentientem Manethonem habuit Hecataeus [1]) — quod systema proponebant tam perfectum atque absolutum. Nam sicut totam universi naturam Sol ac Luna coniunctim administrarent *τὸν σύμπαντα κόσμον διοικοῦντες τρέφοντές τε καὶ αὔξοντες πάντα τριμερέσιν ὥραις ἀοράτῳ κινήσει τὴν περίοδον ἀπαρτιζούσαις*, ita Isin — quam Lunae cornibus ornatam videbant in imaginibus — cum Osiride rem gubernare docebat, tum aetherium spiritum *Iovem* dictum fuisse, Terram *Demetris* accepisse nomen, aerem autem quoniam ex aethere nasceretur *Athenam* esse Iovis filiam. Et haec quidem extrema, quae cum physiologia Stoicorum multo magis quam cum deorum cultu cohaerebant, doctis impense placebant, at magnum periculum inde Graecorum deorum religioni vix timuerit Callimachus [2]). Gravius erat quod praedicabat Hecataeus apud Aegyptios aetatem illam floruisse qua cum mortalibus hominibus di familiari consuetudine vixissent, in Aegypto doctum a sacerdotibus ipsum Homerum primum audiisse de eo saeculo quo

θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι

---

[1]) Cf. Manethon. fr. 74. 75 Müller *F. H. G.* II. 613.

[2]) Unde physiologiam suam sumpserit Hecataeus, accurate disquirere non est huius loci. Quod autem systematis necessitate ductus Lunari deae eum concedit locum quem in Graecorum cosmologiis Gaea obtinere solita esset, favebant ei opinioni nonnulla. Viderant apud populos orientis comites Alexandri saepe duos simul deos esse cultos, cum deo coeli dea femina adponeretur, quam idcirco lunari natura fuisse haud absurde iudicabant, sive Astarte dicebatur sive Anaitis. At in Graecorum poematis licet rarius Selene ad tantam surgat potestatem, veluti in Homericis hymnis XXXI et XXXII, tamen eodem modo atque in Hecataei philosophumenis iam Aristoteles dixerat (*de gen. anim.* IV. 10) lunam conducere ad omnes generationes (*διὸ συμβάλλεται εἰς πάσας τὰς γενέσεις καὶ τελειώσεις*); multo autem propius quamquam omisso lunae nomine Xenocratis doctrina accesserat, modo demas *τὴν μονάδα*: Stob. Ecl. I. 62 (Heer.) *τὴν μονάδα καὶ τὴν δυάδα θεούς, τὴν μὲν ὡς ἄρρενα πατρὸς ἔχουσαν τάξιν, ἐν οὐρανῷ βασιλεύουσαν ἥντινα προσαγορεύει καὶ Ζῆνα καὶ περιττὸν καὶ νοῦν, ὅστις ἐστὶν αὐτῷ πρῶτος θεός· τὴν δὲ ὡς θήλειαν μητρὸς θεῶν δίκην, τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν λήξεως ἡγουμένην, ἥτις ἐστὶν αὐτῷ ψυχὴ τοῦ παντός.* (cf. de Xenocrate Plutarch. *de fac. lun.* c. 29.) Neque multum a primariis Solis ac Lunae elementis differunt Stoicorum *τὸ ποιοῦν* et *τὸ πάσχον*. — Postea plane atque accurate Hecataei doctrinam relatam videmus a Vettio Praetextato, hierophanta doctissimo apud Macrobium I. 17. 53 de lunae natura ita disserente: *solem maxima vi caloris in superna raptum, lunam vero umidiore et velut femineo sexu naturali quodam pressam tepore inferiora tenuisse.*" Idem autem Praetextatus Isin (Macrob. I. 20. 18) dixit *terram* vel *naturam rerum subiacentem Soli.*

παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας
ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐσορῶντες.

et quod primis quinque deis elementariis ex Aegyptiorum more secundum ordinem deorum adiciens (de quorum origine humana multa disserebat quae in praesens omitto) hos quoque deos a Graecis ex Aegypto desumptos esse diserte docuit.

Num revera ii a quorum partibus steterunt Manetho atque Hecataeus speraverint totum illud Aegyptiorum pantheon eo Graecis acceptum se reddere posse, quod Graecis nominibus induerent deos ingenuos, difficile dictu. Sane non omnibus dis Aegyptiorum idem studium favebat Alexandrinorum. Sed eos videamus, de quibus constat. Novimus Osirin atque Sarapin et ab Hecataeo et ab regibus commendatos esse urbi novae, Isin autem maximo iam honore coli ineunte Philadelphi imperio. Quae ab Hecataeo, licet imaginem eius descripserit cornutam figuraque vaccina [1]), disertis tamen verbis additaque causa Graecorum Cereri comparatur. Novimus iam inde ab Herodoto eam comparationem acceptam fuisse Graecis; sed causas atque argumenta demum adiciunt Hecataeus et aequales: Isin primam fruges invenisse, ferociaque immani liberasse humanum genus; testimonio autem non carere Aegyptios, si apud se fruges primum inventas contendant, „*ἔτι γὰρ καὶ νῦν κατὰ τὸν θερισμὸν τοὺς πρώτους ἀμηθέντας στάχυς θέντας τοὺς ἀνθρώπους κόπτεσθαι πλησίον τοῦ δράγματος καὶ τὴν Ἶσιν ἀνακαλεῖσθαι.*" Eandem autem deam leges quoque dedisse addit, „*καθ' οὓς ἀλλήλοις διδόναι τοὺς ἀνθρώπους τὸ δίκαιον καὶ τῆς ἀθέσμου βίας καὶ ὕβρεως παύσασθαι,*" qua in re deam laudans tamen philosophus religionis parcus fautor non se continet quin addat — Critiae opinor versuum in Sisypho memor — desiisse homines iniurias committere „*διὰ τὸν ἀπὸ τῆς τιμωρίας φόβον*" [2]). Conspirabat cum eo in hac quoque re, ut in pluribus conspirasse videtur Leo Pellaeus [3]), et compluribus aequalium probatam fuisse utriusque deae conmixtionem notum est. Ptolemaeus autem Philadelphus num faverit huic studio incertum, Isidis cultum non sprevit. Praeter ea quae supra pag. 6 memoravi, testimonio est quod ipso iubente urbs

---

[1]) Diodorus I. 11 duo confundit: de Iside primaria haec docet: „*τὴν δὲ Ἶσιν μυθευμένην εἶναι παλαιὰν, τεθειμένης τῆς προσηγορίας ἀπὸ τῆς ἀιδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως. κέρατα δ' αὐτῇ ἐπιτιθέασιν ἀπό τε τῆς ὄψεως ἣν ἔχουσα φαίνεται καθ' ὃν ἂν χρόνον ὑπάρχῃ μηνοειδής, καὶ* (hic iam spectatur secunda Isis) *ἀπὸ τῆς καθιερωμένης αὐτῇ βοὸς παρ' Αἰγυπτίοις.*

[2]) Hecataeus apud Diod. I. 14 (cf. Plutarch. *de Is.* c. 13). — Critias de religionis origine ex timore apud Sext. Empir. *adv. Math.* IX. 54.

[3]) Leon. fr. 2—4 Müller *F. H. G.* II. 383.

Heroopolis exsculptam habuit in columna imaginem regis sacra offerentis Dis Atum Osiridi Isidi Arsinoae [1]), neque improbabile videtur regem, penes quem tantum valeret dilectissimae uxoris auctoritas, hac quoque in re sororis *φιλαδέλφου* consiliis optemperasse; Arsinoen autem, iam antequam diadema Aegyptiacum accepisset, deos Aegyptios in honore habuisse titulus Cnidius docet: *„ἀγαθῆς τύχης [τῆς] Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος καὶ θεοῦ Σαράπι Ἴσι Ἀρσινόη τὸ ἱερὸν ἱδρύσατο"* [2]). Erant enim regiae domus mulieres — ut fert muliebris natura — prius etiam quam reges proclivae in cultus novos Aegyptios, quod etiam testatur inscriptio Halicarnassensis quaedam: *„Ἀγαθῆς τύχης Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος καὶ Θ.ω Σαράπιδι Ἀρσινόη τὸ ἱερὸν ἱδρύσατο"*. [3])

Faventibus regiis uxoribus quam facile pervaserit Isidis cultus non solum in Alexandriam sed per omnes terras Graecas atque Romanas omnes scimus; quo magis attinet observare, quam minime Callimachus Aegyptiae deae *μυριωνύμου* religioni addictus fuerit. Nominat ille quidem deam Aegypti reginam epigrammate quinquagesimo, sed magnae sane reverentiae in Isin non exhibet exemplum, personam comicam, faciem senilem, rugosam fuliginosamque ibi dicens *„ὀπτῇ ἰσχάδι καὶ λύχνοις Ἴσιδος εἰδόμενον"*. Temere factum videretur ex iocoso epigrammati versu petere argumentum in tali re, si obstarent alia testimonia. Et etiamsi nulla obstant, possunt, fateor, in tanto poematum naufragio interisse laudes Isidis, nescio ubi a Callimacho cantatae. Sed clarius quam ex hoc epigrammate aliunde apparebit, quanta tractaverit neglegentia Cyrenaicus vates eandem deam quam Cyrenensium uxores iam aetate Herodoti cultu sanctissimo coluissent [4]). Scilicet deam cum silere nollet, eam induit mythologia Graeca, tali tamen mythica genealogia ex qua summae Isidis dignitati non nihil detrectaretur. Ita eam epigrammate LVIII *Ἰναχίην* nuncupat, hymno III vs. 254 memorat *βοὸς πόρον Ἰναχίωνης* et singulari libro *Ἰοῦς ἄφιξιν* ita tractavit, ut graecam huic quoque deae originem vindicaret, sed ortam faceret patre mortali. Viam ad eam confusionem iam praeierat Herodotus qui, imaginum similitudine

---

[1]) Wiedemann *Philol.*. 1888 p. 83. Wilcken i. v. *Arsinoe* apd. Pauly-Wissowa II. col. 1285.

[2]) *Anc. Gr. Inscr. in Brit. Mus.* IV. 1 (quam laudat Kaerst, *die Begründung des Alexander- und Ptolemäer-Kultes in Aegypten, Rhein. Mus.* 1897 p. 49.

[3]) B. Haussoulier *Inscriptions d'Halicarnasse. B. C. H.* 1893. p. 400.

[4]) Herod. IV. 186 *βοῶν μὲν νυν θηλέων οὐδ' αἱ Κυρηναίων γυναῖκες διαιτεῦσι πατέεσθαι διὰ τὴν ἐν Λιγύπτῳ Ἶσιν, ἀλλὰ καὶ νηστείας αὐτῇ καὶ ὁρτὰς ἐπιτελέουσι.*

quadam in errorem inductus, inter utramque deam extare societatem quandam putabat — quamquam eandem esse deam Ionem ac Isin diserte non perhibet [1]) —; item parum fuerat eruditionis iis hominibus qui Ionis fata cum Iside primi data opera composuerunt, verum Callimachus cum eos sequebatur non neglegentia aut ignorantia peccasse videtur. Quosnam auctores audierit incertum est; nam desunt testimonia, iam diu ante istam aetatem homines de Iside ex Ione Argiva derivanda cogitasse. Ipse Callimachus certe rem non inventavit nam Hecataeus iam eam memoravit, quamquam ex re sua plane invertens rei ordinem cum memorat *τῆς Ἴσιδος τὴν γένεσιν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων εἰς Ἄργος μεταφέρεσθαι μυθολογούντων τὴν Ἰὼ τὴν εἰς βοὸς τύπον μεταμορφωθεῖσαν* [2]). Quid igitur hominem in Libya natum, qui versatus Alexandriae non posset ignorare nulli numini Aegyptiaco postponi deam Isiden, incitavit ut data opera exponeret, ex Peloponneso illuc advectam Inachi filiam recuperasse humanam formam et Iovis iussu divina dignitate indutam ab Aegyptiis postea Isin nuncupatam esse? Nonne hoc, ut totum cultum Isidis, fortasse quoque Osiridis et Apidis, apud Aegyptios a Graecis olim acceptum esse et barbarum ibi ritum induisse doceret? [3]) Ita Epaphum, quem diu post Mnaseas Patrensis cum Baccho atque Osiride vel Sarapide composuit [4]), de quo olim Herodotus iam docuerat: *ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν ἐστὶ Ἔπαφος* [5]), quoniam fuit Ius filius a Callimacho memoratum esse per se liquet. Quod si fecerit iis verbis quae summo, ni fallor, iure ad *Ἰοῦς ἄφιξιν* rettulerunt Alphonsus Hecker et Schneiderus (fr. 176) *„εἰδυῖαν φάλιον ταῦρον ἰηλεμίσαι"* [6]) fatendum erit non videri aut Osiridis cultum aut Apidis magnopere auditoribus Alexandrinis ab eo commendatum esse. Barbarorum hic pingit mores, non sanctae religionis extollit reverentiam [7]).

---

[1]) Herod. II. 41 *τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βουκεράων ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι.*

[2]) Diod. I. 24. Engelmann apud Boscher II. 265 *sqq.*, Drexler *ibid.* col. 489. — Seriores scriptores et poetae Romani Callimachi vestigis frequentes secuti sunt. Quin etiam in Isidis templum quod erat Philis ignotus quidam pervenit poeta, eruditione Alexandrina imbutus, qui ita carmen suum inchoat: *„Ἥ]λ[θο]μεν [Αἰ]γύπτοιο πόρ[ας, πορικ]αλλέα νῆ[σ]ον Ἴσ[ι]δος Ἰναχί[α]ς.* C. I. G. III. 4944.

[3]) Schneider *Callimach.* II. p. 33—35.

[4]) Mnas. fr. 37 (Müller *F. H. G.* III. 155 fr. 37).

[5]) Herod. II. 153, Wiedemann. p. 547.

[6]) Hecker *Comm. Call.* p. 8 not.; cf. Tibull. I. 7 hisce adlocutus Nilum patrem:

Te canit atque suum pubes miratur Osirin
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

[7]) Quod autem hymn. III. 254 Bosporum disertis verbis dicit *βοὸς πόρον Ἰναχιώνης*

Quoniam vero, propter Callimacheorum de Iside testimoniorum inopiam ne minima quidem neglegenda sunt, hic spectandum quoque erit fr. 139: „*καὶ τριτάτη Περσῆος ἐπώνυμος, ἥς ὀρόδαμνον Αἰγύπτῳ κατέπηξε*," quo apparet perseam arborem Isidi sacram Graeco iterum heroi et nomen debere et originem secundum Callimachum. Quae arbor Isidi ex mythis Aegyptiis cara fuit, teste Plutarcho (*de Isid.* 68), „*ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν*", aliis autem, minus recte profecto, nomen a Persis accepisse videbatur, qui primi in Aegyptum eam intulissent [1]), sed revera cum antiquo deae Hathor cultu coniunctissima erat et mortuorum ritu consecrata [2]). Num leve est, quod tantae sanctitatis arborem quam vidisset a rege ipso in Graeci dei pompa Graecis ornamentis adici, quo tempore solemnis Dionysi festus dies Alexandriae ageretur, operae pretium duxit poeta contra Aegyptiorum opiniones Perseo heroi et Graecae origini vindicare? [3])

Magis autem quam Isidis Aegyptiacae cultus, quem ubique florentem videbat, hoc poetam offendit quod nonnullis acceptam sentiebat doctrinam eorum, qui deam Aegyptiam cum Graecorum Demetre in unum numen coalescere volebant, cui opinioni haud minime Isidis natura favebat; valet enim de Iside quoque, quod de matre Dindymena canit Apollonius (I. 1098):

ἐκ γὰρ τῆς ἄνεμοί τε θάλασσά τε νειόθι τε χθὼν
πᾶσα πεπείρανται νιφόεν θ' ἕδος Οὐλύμποιο.

Temporum lapsu tam extra Aegyptum quam in Lagidarum imperio utriusque deae cultus prorsus coaluit [4]), sed florente Callimacho

---

id profecto non sine consilio fecit. Nam diu fuit, ex quo scriptores historici qui priscis fabulis de Ionis transitu fidem denegabant, alii aliam Bospori nominis causam excogitarant. Ex quibus nemo fuit magis dignus quem oppugnaret Callimachus, quam Ephorus, qui teste scholiasta ad Apollonium (*Arg.* II. 168) docuerat *ἡρπάσθαι τὴν Ἰὼ ὑπὸ Φοινίκων καὶ διακομισθῆναι εἰς Αἴγυπτον, ἀνθ' ἧς τὸν βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων πέμψαι Ἰνάχῳ ταῦρον· τετελευτηκότος δὲ ἐκείνου περιεῖναι αὐτοὺς παραδεικνύντας, καθὸ πρότερον οὐκ ἐγίγνωσκον τὸ ζῷον· τὸν δὲ τόπον προσηγορεῦσθαι, δι' οὗ οἱ τὸν ταῦρον ἔχοντες ἔπλευσαν, Βόσπορον.*

[1]) Diod. Sic. I. 34. Cf. Strabo XVII. 823. Wiedemann p. 191.

[2]) Néroutsos-Bey *l'Ancienne Alexandrie* p. 124. „*On voit souvent sur les monuments des dernières dynasties la déesse* (Hathor sive Isis) *surger de la cime du persée pour verser de sa main l'eau de la vie sur le défunt*, (*Σοὶ δὲ Ὄσιριδος ἀγνὸν ὕδωρ Ἶσις χαρίσαιτο*).

[3]) In pompa Dionysiaca (Call. Rhod. fr. apd Müll. *F. H. G.* III. p. 60) ipsa Penteteris progreditur altera manu coronam ex persea gerens altera palmam, cf. supra p. 7.

[4]) Ingenti testimoniorum copia, posterioris tamen praesertim aetatis, hoc demonstravit Drexler apud Rosch. II. 443.

nondum eo pervenit, ut Isidis festa *Δημήτρια* dicerentur aut (quod in Cleopatra atque Antonio factum videmus) in ipso Cereris templo quod erat Eleusini haud procul ab Alexandria, regis reginaeve effigies Osiridis atque Isidis cultu habituque ponerentur [1]). Num ipse Philadelphus commixti duarum dearum cultus iam auctor fuerit, ut vidimus, incertum est, eoque minus constat quoniam Eleusiniae Cereris sacra quomodo a Lagidis Alexandriae instituta sint prorsus ignoratur [2]), at fuisse qui faverent — a quibus haud vane Graecae religionis patroni timerent — id profecto dubitari non potest. Quid igitur Callimachus? Ad extremas Graeciae partes, ut vidimus, Cereris suae origines removet; Cereris filiam quaerentis describit iter, sed totum iter est per Graeciam; fertilitatis patronam (qua facultate inprimis cum Iside Demeter conveniebat) *πολυτρόφον πολυμέδιμνον* salutat (hymn. VI. 2. 120) ita ut Hesiodeam *πολυφόρβην* revocat; itemque cum in deae laudibus unam praecipue memoraret, quae magis ceteris omnibus Isidis propria esse videretur, cum igitur *ὡρηφόρον* celebrare vellet Cererem, iterum ita deam describit ut Graecas non Aegyptias origines revocent laudes quibus ornet eam (VI. 121):

χὡς αἱ τὸν κάλαθον λευκότριχες ἵπποι ἄγοντι
τέσσαρες, ὦς ἁμῖν μεγάλα θεὸς εὐρυάνασσα
λευκὸν ἔαρ, λευκὸν δὲ θέρος καὶ χεῖμα φέροισα
ἥξει καὶ φθινόπωρον,

denique cum feracem deae potestatem iam non frugum facultate circumscribens, sed quidquid horae ferant eius beneficio deberi opinatus, ulterius procedit vs. 137:

φέρβε βόας· φέρε μᾶλα, φέρε στάχυν, οἶσε θερισμόν,

contra tripartitam eam anni divisionem quam Osiridi atque Isidi

---

[1]) Videntur etiam artifices Alexandrini primis quidem temporibus satis integram Cereri Alexandrinae servasse indolem Graecam. Cf. Schreiber *Alexandrin. Toreutik* (*Abh. Sachs. Gesell.* XIV. 1894, p. 296, fig. 6; p. 307, fig. 39; p. 310, fig. 49; p. 441 et p. 456.

[2]) Cf. pag. 43. Admodum dubia mihi videntur quae de hac re proposuit G. Lafaye, o. l. p. 18—25 demonstrare studens prioribus Lagidis id fuisse consilium ut triadem summam Aegyptiorum Osirin (Sarapin)-Isin-Horum (Harpocraten) acceptam facerent Graecis demonstrando, „1° *que le panthéon égyptien se fondait dans une triade*, 2° *qu'il en était de même du panthéon grec*, 3° *que la triade égyptienne et la triade grecque étaient identiques*". Tales autem opiniones Lagidis tribuere equidem vereor, licet facile concesserim lapsu temporis ac opera syncreticorum postea eo haud paucos homines Alexandrinos pervenisse.

tribuerat Hecataeus [1]), graeca quattuor anni tempora defendit Callimachus. Sic ne verbo quidem in omnibus Cereris laudibus summam Aegyptiorum deam respicit.

Quodsi per omnes, quotquot extant, hymnos poetam Cyrenaicum consulto praeteriisse Isidis laudes videmus, audacter affirmare licebit iniuria ad nostrum Callimachum referri quae ei dedit Schneiderus (II. 693) fr. 561, quo fragmento ex Tortellii commentatione de orthographia (fol. 136 rect. ed. Venet. 1484) narratio affertur de Osiridis morte, Isidisque vagationibus teste „*Callimacho, Aegyptio historico, quem secutus est Seneca in libro, quem de sacris Aegyptiorum composuit*". Quae verba vix puto ita accipi posse, quasi Tortellius Callimachi librum de Osiridis caede nescio quem ipse manu versaverit. Si commentarios Callimacheos ille evolvisset non dixisset eum *historicum*, quali nomine qui nostrum significaverit, is parum Battiaden cognitum habuisse censendus est. Quin etiam dubitare licebit, num Tortellius ille ipsum Senecae librum de sacris Aegyptiorum inspexerit. Is enim Senecae liber uno tantum loco memoratur, idque a Servio *ad Aen.* VI. 154. Ipsum autem eum Servii locum exscripsit Tortellius cum hanc narrationem de Iside ac Osiride, a vulgatis ceteroquin mythologumenis nequicquam abhorrentem, componeret [2]). Quis igitur efficiet, quid in Tortellii narratione Callimacho debeatur, quid Senecae, quid Servio, Plinio, Solino denique, quos omnes, sive ipse sive auctor eius, compilavit? Equidem neque Battiaden consultum esse a Seneca putaverim in rebus sacris Aegyptiorum, licet in Quaestionibus naturalibus eius sequatur auctoritatem [3]), neque vero uberius

---

[1]) Diod. I. 11. 5 *τριμερίσιν ὥραις διοράτῳ κινήσει τὴν περίοδον διαρτιζούσαις.* Cf. c. 26. 5. Hic meminisse oportet, Hecataeum (Diod. I. 16) docuisse lyram Hermen Aegyptium (Thoth) fecisse *τρίχορδον, μιμησάμενον τὰς κατ' ἐνιαυτὸν ὥρας*, contra Callimacho placuisse lyram ab Apolline statim septem fuisse chordis instructam (vide supra pag. 69).

[2]) Scribit de Iohanne Tortellio (qui camerarius fuit Nicolai V papae et obiit fere anno 1466) Joecherus, *Gelehrtenlexicon* i. v.: „*Er legte sich insonderheit auf die grammaticalischen Studien, und soll auch selbst nach Griechenland gereiset sein, um sich in dieser Sprache fest zu setzen; wiewohl einige dafür halten, dass er nach Beschaffenheit damahliger Zeiten sich überhaupt in den Studien nicht allzuweit verstiegen habe, und dass die ihm von den damals lebenden Gelehrten ertheilten Lobsprüche nur daher gekommen, weil er überhaupt dienstfertig und bei den Päbsten wohl gelitten gewesen.*" Subscribet huic iudicio, leniter et sine ira expresso, quicunque fragmenti 561 confusam doctrinam totam perlegerit.

[3]) Call. fr. 182. Seneca *Qu. nat.* IV. 2. 15 (Schneider II. 429).

Osiridis atque Isidis fata a Callimacho exposita esse solius Tortellii auctoritati credendum censeo. [1])

Cum Iside simul Osirin, iam diu summum apud Aegyptios deum et omnino apud exteras gentes notissimum, Graecis hominibus ii commendabant quibus cordi erat utriusque gentis coniungere religiones. Nec mirum, nam revera Osiridis cultus, Abydo antiquitus proprius, iam Herodoti aetate ita per totam Aegyptum erat acceptus ut vere affirmare is posset: „*θεοὺς γὰρ δὴ οὐ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἴσιός τε καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι· τούτους δὲ ὁμοίως ἅπαντες σέβονται*". [2])

Comparationem cum Dionyso ita accepit Hecataeus, ut tamen, tamquam ipse meliora edoctus, simul Solis nomine deum Aegyptium nuncuparet, primarium enim Osirin summi elementi deum *Ἥλιον*, at alterum deum minoris illum ordinis Dionysum esse docebat [3]). Quantum potuit utriusque dei similitudines exposuit. Aegyptium quoque deum suas habere Thebas, fertilitatem terrae ab eo quoque augeri, in Arabia felici eum educatum esse „*ἐν Νύσῃ πλησίον Αἰγύπτου, Διὸς ὄντα παῖδα, καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχειν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀπό τε τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ τόπου Διόνυσον ὀνομασθέντα. μεμνῆσθαι δὲ τῆς Νύσης καὶ τὸν ποιητὴν ἐν τοῖς ὕμνοις ὅτι περὶ τὴν Αἴγυπτον γέγονεν, ἐν οἷς λέγει·*

ἔστι δέ τις Νύση, ὑπατον ὄρος ἀνθέον ὕλῃ
τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων [4]).

Quantam Hecataeus navaverit operam, ut quidquid mythologi Graeci Dionyso tribuebant, ab Osiride revera perpetratum demonstraret, pluribus hic exponere nihil attinet. Eundem esse deum, duobus nominibus vocatum, non solum permulti credebant scriptores, sed accipiebatur quoque haec doctrina haud ita multo post a

---

[1]) Tandem, si quis forte contenderit idcirco a Callimacho in Hecale (fr. 110 cf. Naeke *Hecale* p. 208—14) urbem Hermionen esse electam ex qua raptam ad inferos Proserpinam contenderet, quoniam mysteria Cereris quae ibi agerentur (teste Pausania II. 34. 10) fierent in Isidis templo, itaque in hac saltem urbe cultui dearum commixto favere Callimachum videri, moneo de tempore quo Isidi conditum sit sacellum Hermionense nihil constare, sed admodum probabile videri, diu post Callimachi aetatem ut in totam Argolidem ita Hermionen Isidis cultum (cum Sarapide coniunctum) translatum esse. Ceterum compluria habuit Ceres sacella in Hermionensium regione quorum unum, idque *τῆς χθονίας*, a piratis deletum esse memorat Plutarchus (*Pomp.* c. 24).

[2]) Herod. II. 42.

[3]) Cf. Diod. I. 11 et 13. Diog. Laert. *Prooem.* 7. Cf. supra p. 81.

[4]) Diod. I. 15; Hymn. Hom. XXXIII. vs. 8 *sq.*

Graecis plerisque qui Aegyptum incolebant. Quae enim insignia addita videbant Osiridi, thyrsum dico pellesque pantherae pampineasve sertas [1]), ea facile induxerunt homines saltem simpliciores ut a scriptoribus sacerdotibusque moniti Bacchi personam cum Osiride coniunctam esse putarent, neque temere suspicamur, ante Philometoris aetatem iam idem usu venisse quod de Ptolemaei IX[i] regno diserte docet lapis in insula Bacchi ad Cataracten repertus. Columna est, compluribus dis Aegyptiis dedicata, sed exculptos habet thyrsum duosque crateres. Qui vovent, Graeci plerique, sunt cultores regii „*βασιλίσται*", neque regis sacerdotio tantum addicti, sed, si verum vidit Letronnius qui accuratissime de hoc lapide disputavit [2]), Dionysi simul antistites (*τεχνῖται περὶ τὸν Διόνυσον καὶ θεοὺς Εὐεργέτας* ut dicuntur alibi [3])); Graeci tamen dei cultores tam ceteris dis Aegyptiacis sacrificant additis nominibus Graecis quam Osiridi *qui est in Amenti* „*Πετεμπαμέντει τῷ καὶ Διονύσῳ*". Haec igitur tabula testatur, iam uno saeculo elapso quorundam certe deorum quibusdam locis in unum coaluisse cultum graecum atque aegyptiacum. Quodsi hoc titulo Aegyptii homines numerantur in cultoribus Dionysi [4]), Graeci *Διονυσιάσται* Aegyptiorum Petempamenten tamquam proprium deum salutant, apparet sane lapsu temporis Hecataei Manethonis ceterorumque Aegyptii cultus fautorum piam diligentiam prosperum habuisse eventum [5]). Verum quod ad ipsam urbem Alexandriam attinet, primis certe tempori-

---

[1]) Drexler *Mythol. Beiträge I. p.* 39: „*Nach Fr. Lenormant* (*Coll. A. Raifé, Paris* 1867 *p.* 143—144, *Note zu n*° 1116) *hat Osiris in seiner Eigenschaft als Todtenrichter nicht selten ein Thyrsos mit Pantherfell vor sich aufgepflanzt..... Auf einem Exemplar des Todtenbuches und auf Todtenstelen in Lyon und Aix sieht man Weintrauben in dem Tempel aufgehängt*".

[2]) Letronne *Recueil des inscr. Gr. et Lat. de l'Ég.* I. p. 389—406.

[3]) Ita in titulis in Ptolemaide repertis, de quibus disputat, E. Miller (*Bull. Corr. Hell.* IX. p. 131 sqq.), quae ideo praesertim cum hoc lapide comparandae sunt quia Aegyptii cultus in hisce ne minimum quidem invenitur indicium.

[4]) Inter *βασιλιστῶν* nomina quinque sunt Aegyptia. Neque neglegendum est, in uno ex Deliacis titulis quos in vicinitate Sarapiei repertos tractavit Hauvette Besnault (*Bull. Corr. Hell.* VI. p. 295 *sqq.*, *inscr.* n° 40). Isidis sacerdotem memorari cuius filia *ἐκανηφόρησε τῷ Διονύσῳ*.

[5]) Venturum erat tempus sed etiamtum longe aberat quo sine discrimine homines privati utriusque religionis nominibus promiscue uterentur, sicuti factum est in epigrammate Memphi in ungue androsphingis insculpto (*C. I. G.* III. 4700 coll. *Add.* p. 1187. Kaibel *Epigr.* 1015) vs. 7 *τῇ δὲ θεᾷ Δητοῖ πρόσπολον ἀγνοτάτην* [*τὴν*] *ἐπιτηροῦσαν πεποθημένον ἐσθλὸν Ὄσειριν.* — Ita *C. I. G.* III. 4708 Apollas demortuus dicitur *Ἀβυδηναίου Ὀσείριδος θῆκον ἀμφιπολεύειν*, at deductus esse ad mortuos ab Herme Cyllenio.

bus et Philadelphi Euergetaeque aetate frustra fuerunt Aegyptiazontes illi. Osiridis cultus si hac aetate fuit Alexandriae — et sane templum ei dedicatum iam tum fuisse credibile est — silent tamen de eo scriptores, praetermittitur a poetis, tacetur quoque a Callimacho. Neque satis est taceri ab eo Osirin; quotiens tangit Dionysum, ita de Graeco deo dicit ut multo magis ab originibus Aegyptiacis eum vindicasse quam cum Osiridis aut persona aut patria coniunxisse videatur.

Rarissime Dionysum a nostro memoratum esse: in hymnis saltem illum deum cuius sacra tam late per orbem dispersa essent, e cuius mysteriis summae felicitatis spem mortalibus oriri plerique tunc homines putarent, nonnisi in transitu nominatum esse non sine causa mireris. Quid enim, in aulico quidem poeta, potius erat expectandum quam ut summa laude ornaret eum deum quem tamquam gentilem assumpsissent post Alexandrum Lagidae? [1]) Ipse enim Alexander quantopere „*τὰ Διονύσου μετιὼν ἴχνη, θεοῦ γενάρχου καὶ προπάτορος*" deum vere Macedonicum aemulari cordi habuisset, id Ptolemaei Lagidae commentarii docuerunt Arrianum [2]). Ex Dionyso genus ducere dignum videbatur Lagidis, qui regibus Aegyptiis, Osiride Ammone ceterisque numinibus prognatis, ita generis sui maiestatem opponerent, quemadmodum distincte in monumento Adulitano Euergetes audit „*βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος υἱὸς βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης θεῶν ἀδελφῶν βασιλέων Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης θεῶν σωτήρων ἀπόγονος, τὰ μὲν ἀπὸ πατρὸς Ἡρακλέους τοῦ Διὸς, τὰ δὲ ἀπὸ μητρὸς Διονύσου τοῦ Διός*" [3]). Neque splendidiore cultu quisquam deorum honoratus est Alexandriae in pompa illa celeberrima quam idem Dionysos. In urbe Ptolemaide, quam condidit primus Ptolemaeus [4]), cultum habuit Dionysos cum ipsorum regum cultu coniunctum, ad Graecum morem trieteride festo atque amphieteride celebratum per ludos scenicos atque cer-

---

[1]) Plut. *de Alex. s. virt. s. fort.* I. 10. Cf. Lumbroso *l'Egitto ecc.* ed. I. p. 107 „*Mentr' è un miraculo che si sappia qualcosa del culto reso dagli Alessandrini alle altre divinità dell' Olimpo, la loro storia è piena di Dionysos, com' è piena di Apollo, progenitore dei Seleucidi, la letteratura antiochense.*" Dionysum autem illum cum idem vir doctus „*l'Osiride greco*" dixit posteriora tempora potius spectasse ni fallor putandus est.

[2]) Arrian. IV. 8; 10. V. 1. Plut. *Alex.* 13. 2.

[3]) *C. I. G.* III. 5127.

[4]) *C. I. G.* 4925 *καὶ πάτρης γλυκερῆς Πτολεμαΐδος ἣν ἐπόλισσεν Σωτήρ.* Cf. Kaibel *epigr.* 982.

tamina musica. [1]) Denique perdurare videmus Dionysi cultum Alexandrinum, sed multo post demum cum Osiride aut Sarapide permisceri. Sed Callimacho hunc deum minus quam ceteros gratum fuisse dixeris. Patriam Bacchi acclamat Apollo (IV. 97)

„οὐ σύ γ' ἐμεῖο φίλη τροφὸς οὐδὲ Κιθαιρών"

et revera poetae mentem expressisse deus videtur monti Heliconi opponens Cithaeronem, musarum sedi montem Bacchicis orgiis celebratum. Nam si mittimus duos versus ex hymno in Cererem, 72 et 73

τόσσα Διώνυσον γὰρ ἃ καὶ Δάματρα χαλέπτει,
καὶ γὰρ τᾷ Δάματρι συνωργίσθη Διόνυσος,

— quorum versuum eiusmodi est tautologia ut iamdiu fuerit certamen inter criticos, uter damnari sit dignior — hos igitur si excipimus, omnino nulla fit Dionysi in hymnis mentio. Ex duobus autem locis quos attuli efficitur remotissimum fuisse Callimachum ab illo syncretismo quo utrumque deum in unum coniungens ducitur Hecataeus. Is enim ut argueret in Osiride Apollinis modo naturam observari modo Dionysi, libens Orphicorum placitum assumpsit de Apolline Dionyso; contra Apollo Callimacheus fugit Cithaerona Bacchi montem et aversatur. Ceterum non soli Orphici illi coniunctioni duorum numinum, quae mirum quantum Aegyptiasmo favebat, diligenter studebant.

Quantopere autem ab Orphicorum stoicorumque syncretismo abhorreat Callimachus postea videbimus; nunc unum de Dionyso addam. Hecataei conatus in universum oppugnabant Alexandrini musei poetae [2]). Callimachus in ea re quoque contra eum suffragium tulit, quod ostendit Dionysum — quem fertilitatis deum dicit VI. 72, at scenicarum artium epigr. 49 (τραγικὸς παιδαρίων Διόνυσος ἐπήκοος) — cum Macedonum historia antiquiore debere coniungi. In pompa Dionysiaca quam saepius memoravi [3]), in cetero dei comitatu processerant „αἱ Μακέται αἱ καλούμεναι Μιμαλλόνες". Macedonicam huius nominis originem Callimachus ita exposuisse videtur — sive in commentariis sive alibi — ut eo nomine in Macedonia Bacchas indicari doceret „διὰ τὴν

[1]) Miller *Bull. Corr. Hell.* IX. 131. Memoratur in subscriptione tituli Zopyrus quidam ὁ πρὸς τοῖς ἱεροῖς τῆς τριετηρίδος καὶ ἀμφιετηρίδος," scribendo autem affuerunt poetae tragici, comici, epici, omnes homines graeci.

[2]) Ita, ut uno exemplo defungar, Apollonius, veluti in transitu oppugnat Hecataei de campo Nyseo placita cum II 905 cantat de Dionyso, in eius nomine ludens: ὑπ' ἐνίπουσι Διὸς Νυσήιον υἷα, Ἰνδῶν ἡνίκα φῦλα λιπὼν κατενάσσατο Θήβας, ὀργιάσαι.

[3]) *F. H. G.* III. p. 57 *sqq.*

μίμησιν τῶν ἀνδρῶν", quoniam quondam Argaeo regi, in bello contra Illyrios, Bacchae illae ex montibus auxilio venissent pro telis thyrsos gerentes, at virtute viros aemulatae. [1]) Cuius rei origines Macedonicas eo magis fortasse cordi habebat exponere quod noverat Lycophronem facile a vero auditores abducturum, a quo Sibylla Colophonia *Κλάρου Μιμαλλὼν* dicta erat vs. 1464; etenim cum divinatione Phoebea illud nomen coniungere minime probandum Callimacho videbatur [2]).

Denique hunc quoque deum natum in Graecia voluit. Etenim, etiamsi ingenii acumen nimis multa fortasse Schneidero suppeditavit quae in Aetiorum singulari elegia *περὶ Σεμέλης ἀναγωγῆς* enarrata a poeta putaret, hoc, ni fallor, viro ingenioso facile concesserit quivis, eo trahendum esse fr. 163 *ἐν Δίῃ· τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξῳ*, quoniam teste Asclepiade apud Stephanum Byzantinum (*i. v. Νάξος*) Naxii apud se natum Dionysum contendebant, atque apud se *τὰς γυναῖκας μόνας ὀκτάμηνα τίκτειν .... ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ Διόνυσος οὕτως ἐτέχθη*. Ceterum noluit Callimachus Dionysi cognomen *εἰραφιώτης* cum ceteris mythologis secundum vulgatam etymologiam derivare de verbo *ῥάπτειν*, vix enim fabulam de *μηρορραφεῖ* Dionyso probavit, sed sicut capra Amalthea Iovem nutrivisse dicebatur in insula Creta, ita sive a nympha sive a capra Eripha Dionysum quoque nutritum esse voluit; nam de eadem insula Naxo, ut recte Schneiderus coniecit, ita dixit

κεῖθι δέ οἱ πρώτη μαζὸν ἐπέσχ' Ἐρίφη
χωρὶς ἀπ' ἀνθρώπων καὶ ἐπωνόμασ' Εἰραφιώτην. [3])

Ne Sarapin quidem, cuius numen ita prorsus Osiridis personam cum sua commiscuit, ut apud Graecos Aegyptum colentes, postquam semel floruit Sarapidis cultus, fere non amplius fiat mentio Osiridis, unquam nisi raptim et obiter memorat Callimachus. Neque id fecit in hymnis. Epigramma est LVI quo laudatur Sarapis, quamquam non Alexandrinus deus, sed is, qui Canobi colitur:

---

[1]) Schneider *Call.* II. 580. Polyaen. *Strateg.* IV. 1.

[2]) Non obtrudenda est Lycophroni etymologia quam dedit Tzetzes ad hunc versum *ἢ τὸν Ἀπόλλωνα ταῖς μαντείαις μιμουμένη.*

[3]) *Fr. anon.* 89, quod primus Hemsterhusius Aetiis vindicavit. Nymphamne an capram putaverit Eriphen incertum, quamquam hoc verisimilius. Indicantur enim nympharum quae Bacchum curaverunt varia nomina (Diod. V. 52, Serv. ad Verg. Ecl. VI, 15), sed nusquam Eriphe. Contra a capris quae lac Iovi praebuerunt *Ἐρίφων* sidus nomen accepisse docuit Aratus vs. 158. Cui simile quoddam nostrum in Bacchi pueritia finxisse suspicor.

Τῷ με Κανωπίτᾳ Καλλίστιον εἴκοσι μύξαις
πλούσιον ἁ Κριτίου λύχνον ἔθηκε θεῷ,
εὐξαμένα περὶ παιδὸς Ἀπελλίδος· ἐς δ' ἐμὰ φέγγη
ἀθρήσας φήσεις· „Ἔσπερε πῶς ἔπεσες;"

Quod carmen iussus a Critiae uxore cum faceret, novum quem tunc Alexandriae instituerunt Sarapidis cultum omnino non spectabat poeta. Iamdiu floruit Sarapidis sacrum Canobitanum ante Ptolemaeorum tempora et memoratur oraculum Canobi ab Heraclide Pontico [1]); deum vero Canobitanum, cuius proprium nomen nescio an consulto omittat, non cum Plutone, verum cum Aesculapio noster componit (nam de filii salute deum adit Callistium [2])). Quod operae pretium est observare, quia eo apparet, quantum absit ut novum illum deum, quem commendatum Alexandrinis videbat aut acceperit aut cognoverit. Sarapis enim, qui cum Aesculapio nil quidquam habebat commune, cum semel Alexandriam receptus esset, dignumque tanto deo cultum accepisset, Plutoni Graeco, cuius indoli optime respondebat, mox a mythologis compositus est. Quod non ignorans Callimachus sed neglegens, antiquiorum fidem sequitur. Nempe olim in templo Memphitico una cum Sarapide colebatur deus Imhotep quem Graeci Aesculapium dicebant, cuius Aesculapii oraculum multo magis quam Osiridis mortui (Sarapidis) cultus propria causa fuit propter quam Sarapeum Memphiticum tanto fuit in honore [3]) Dempserat paulatim Aesculapio vicino suo deoque *συννάῳ* partem dignitatis Osiris demortuus, qui oraculi honorem secum et alias abduxerat, et Canobum, ubi mox Sarapeum, quamquam per se nihil nisi dei Osar-hapi sepulcrum, Aesculapii Memphitici honoribus ornatum inclaruit. Hoc, opinor, effecit, ut primis quidem temporibus Sarapin Alexandrinum quoque Ptolemaeus eiusque cives Aesculapii et nomine et dignitate ornarent, veluti (cum nondum inventa esset fabula de Plutone Sinopensi, divino iussu Alexandriam adducto) sedulus consiliorum Lagidae minister atque socius Deme-

---

[1]) Plut. *Is.* 27.

[2]) Aesculapium Graecum spectare videtur eiusdem generis epigramma, minus tamen elegans n° 55, in quo post oblata dona poeta praeter morem scurriliter iocans addit: „ἦν δ' ἄρα λάθῃ καὶ μισθὸν ἀπαιτῆς, φησὶ παρίξεσθαι μαρτυρίην ὁ πίναξ." Alias in Callimacheis Aesculapii nomen non occurrit.

[3]) Cf. Brugsch. *Rel. u. Myth. d. alt. Aeg.* p. 526—28. Aesculapius-Imhotep in ipso Sarapeo invocatur quod testantur papyri, veluti Papyr. Brit. apd Peyron *papiri Gr. d. Mus. Brit.* (Tor. 1841) 12. 5 p. 7 *ὁ ασκληπιος εχει λιθινα σπονδηα ανω εν τω σαραπιειωι εδος εστι σπενδειν τωι ασκληπιωι καθ' ημεραν*, et praesertim ibid papyr. XII.

trius Phalereus Aesculapium putavit, cum, a caecitate mirifice sanatus, paeane composito palam gratias ob redditam salutem deo novo obtulit [1]). Novimus aliunde mox apud Alexandrinos nullo non honore affectum esse deum Sarapin; Callimachus autem neque epigrammate LVI tale quid docet, neque XXXVIII quo Menoetas quidam Cretensis postquam, mercenarius fortasse miles, contra Hesperitas pugnavit, Sarapidi vovet arcum:

Ὁ Λύκτιος Μενοίτας τὰ τόξα ταῦτ' ἐπειπὼν
ἔθηκε· „τῇ, κέρας τοι δίδωμι καὶ φαρέτρην
Σάραπι· τοὺς δ' ὀιστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται".

Nam neque quo loco venustum carmen dedicaverit Menoetas novimus, neque qua causa motus Sarapidi praesertim donaverit arma [2]).

Tam aversum a summis Aegypti numinibus poeta animum habuit. Omnem igitur operam perdat qui investigare velit, num forte in minus notis Aegyptiorum dis deabusque minus acriter restiterit novis illis hominibus qui cum Hecataeo ceterisque Aegyptiasmi fautoribus id studebant, ut sensim coalescerent utriusque nationis numina. Usquamne Volcanum ita depinxit Callimachus ut cum Hecataeo sub eius persona deum Ptah agnoscas? [3]) Usquamne Artemis Callimachea Bubastin revocat, aut Apollo Aroerin, Horum, Harpocratem? An quod deum Mendes sacris donisque coluerat Philadelphus et Chem Panis nomine invocaverat in

---

[1]) Non novum Alexandrinis deum esse inventum, sed deo Aegyptiaco, „Osiridi Rhacotidi" maiorem quam unquam ei fuerat cultum a Lagidis esse datum (cf. Brugsch *Geogr. Inschr.* I. 240—249) hodie plerique consentiunt. Sacerdotum autem „pia fraus" quando fabulam de Plutone Sinopensi ad commendandum Graecis deum Aegyptium primum excogitaverit (cf. Plew *de Sarapide* p. 8 *sqq.*), minime constat, neque ad nostrum argumentum attinet. Obiter tamen moneo somnium illud Ptolemaei quod referunt scriptores (Tacitus *hist.* IV. 82; Plut. *Is.* 27) mire reddere memoriam illius somni, quo olim regem Nectanebum admonitum fuisse ut dei Onuridis sacra neglecta instauraret, narrat papyrus *U.* ex *Papyris Graecis Mus. Ant. publ. Lugd. Bat.* ed. Leemans. Aptos autem ad talia excogitanda sacerdotes Aegyptios fuisse novimus omnes.

[2]) Non minus verisimile mihi videtur Menoetam post bellum mansisse in Cyrenaica, quam rediisse in Cretam; quod moneo quia solet ex hoc epigrammate effici iam tum Sarapidis cultum in hanc insulam adlatum fuisse (cf. Drexler apud Rosch. II. 383).

[3]) Ne Jovis Ammonis quidem naturam ex Callimachi carminibus cognoscimus, quamquam apud Cyrenaicos ille deus tantum non principem obtinebat cultum, et iam in Euergetae nummis Ammon Graeci Iovis locum occupat (cf. Lumbroso *Recherches* p. 30).

dedicationibus Apollinopolitanis [1]), unquamne id induxit Callimachum ut ad tale iudicium se applicaret? Immo vero Arcadiae vindicat numen Arcadicum, neque magis Panem cum deo Chem quam Mercurium aut cum deo Thoth aut cum Anubide componit. [2]) Quin tantum afuit ut quidquam Aegypto concederet in rebus divinis, ut etiam earum rerum quae aperte debeantur huic terrae, tantum non ei laudes detrectet. Ipsum Nili nomen cum Hecataeus (Diod. I. 19) ab rege Aegyptiaco Neileo derivasset — primum enim *Αετὸν* dictum fuisse fluvium, deinde *Αἴγυπτον*, tandem Nilum *ἀπὸ τοῦ βασιλεύσαντος Νειλέως* — noster concedit quidem de nomine Aegypto, nam fr. 182 dicit: *„Αἴγυπτος προπάροιθεν ἐπ' ἐννέα κάρφετο πολας"*, nec tamen supersedit memorare in commentariis narrationem cui vix ipse fidem fecerit: *„εἰρηκέναι τινὰς, Μιλησίους κτίσαντας τὴν Ναύκρατιν προσαγορεῦσαι τὸν κατ' Αἴγυπτον ποταμὸν Νεῖλον ἀπὸ τοῦ κτίστου Νείλεω θεμένους τὴν προσηγορίαν"* [3]). Ceterum cum ea tangit quae arctissime cum religione cohaerent, in Aegyptiacis rebus divinam indicare causam neglegit, quod in Graecis vix umquam omittit. Miraculi enim origo divina aeque tacetur cum fr. 100 f n° 2 narrat *ὅτι κατὰ τὰς Αἰγυπτίας Θήβας ἐστὶ σπήλαιον, ὃ ταῖς μὲν ἄλλαις ἡμέραις πληροῦται ἀνέμου, κατὰ δὲ τὰς τριακάδας οὐ πνεῖ παντελῶς*, atque fr. 100 f n° 23 cum Amometi narrationem refert de fonte Isidis in urbe Leucothea.

Denique deos Aegyptios non solum silentio praeteriit, sed etiam inter deos Graecos eorum inprimis laudibus operam dedit quos optime opponi posse putabat numinibus Aegyptiacis. Iovis Apollinis Dianae numina igitur maximo habet in honore, Ammoni Iovem, Osiridi-Horo Apollinem et cum Cerere Dianam Isidi opponens. Quo factum est fortasse ut in ceteris dis celebrandis non tanta versaretur diligentia, quam in his summis numinibus.

---

[1]) Drexler *s. v.* Mendes apd Rosch. Wiedemann *Herod.* p. 218. Strabo XVII. 1.19 Herod. II. 46. vide supra pag. 6 n.

[2]) Quamquam constat seriore aetate tam Hermanubin falsa etymologia duorum numinum nomina miscuisse, quam deum Thoth sive Hermen Trismegistum cum graeco deo constanter confundi, merito dubites fueritne haec Anubidis cum Herme coniunctio accepta temporibus Callimachi. Hecataeus enim Diod. I. 18 solo Aegyptio non Graeco nomine, praeter morem, Anubin indicat; item Diod. I. 87 solito errore „deus latrator" canina ornatur facie.

[3]) cfr. fragm. 100 h. n° 5.

VIII

Cura illa, quam cum ceteris Musei poetis Callimachus impendit ut Alexandrinae rei publicae initia a barbaris elementis libera servet, arctissime cohaeret cum universa eius theologia. Quod enim repudiabat exterarum gentium deos, praesertim quod nolebat barbara numina cum Graecis commisceri [1]), id non amore tantum erga antiquos Graeciae deos factum est, sed etiam eo quod acre odium alebat in syncretismum omnem, quodque simul mysticos theologos aversabatur, simul eximie oderat et spernebat Euemeri asseclas. De singulis videamus necesse est, quoniam, ut Aegyptiaci cultus odium poetam nobis ostendit Graecae religionis patronum fidelem, ita ex hac re cognoscetur homo a novis rebus quam maxime abhorrens, vindex acerrimus antiquae fidei. Musei antistitem, Academiae tamquam praesidem audimus, gravi auctoritate oppugnantem et reicientem quidquid, meliora saepe quam ipse edocti, novi homines civibus suis commendabant.

Syncretismus primus tractandus est. Ad numinum variorum commixtionem, sive dixeris theocrasiam, sive syncretismum, variae

[1]) Exemplum praebent Samothracum dei. Summa reverentia τοὺς μεγάλους θεοὺς prosecuti erant semper tam Arsinoe quam coniunx eius (cf. Nissen *Rhein. Mus.* XLII. p. 60) et omnino mirum quantum creverat ista aetate Cabirorum cultus. Tamen Callimachus licet — ut erat historici — semel atque iterum tetigerit sacra Samothraciae (cf. fr. 397 — ex quo apparet sacrum aut saltem coloniam ibi conditam esse ei videri a Dardano Iovis filio — et fr. 409), cum Dioscuris secundum morem eius aetatis Cabiros numquam confundit; et cum iisdem die Samothraciae Eudemum quendam Epigr. XLVIII gratias reddentem facit, quia aere alieno liberatus esset, iocosa levitate ridet potius deos semibarbaros, quam adorat. Vide quanto maiore pietate ac reverentia Cabiros prosequatur Apollonius Rhodius *Argon.* I. 916—921.

causae theologos Graecos adduxerunt, antiquiores aliae, aliae recentiores. Primum enim qui inter philosophos aut cum religione placita sua conciliare, aut auxilio philosophiae religionem tollere conati erant, ad physicas causas populares deos referentes, hi omnes, quamvis acriter tali confusioni saepe ipse cultus resisteret commiscere in unum diversos deos coeperant, Cybelen, matremque deorum cum Rhea coniungentes, Demetrem cum Gaea; Artemin nunc Hecates, nunc Selenes nomine nuncupantes, Apollinem Heliumque non solum, sed etiam Apollinem ac Dionysum, mox Bacchum atque Plutonem conflantes in unum. Res in philosophorum scholis iam diu usitatissima fuerat, quoniam singulae cuique philosophiae ea fere sola via patebat ad interpretandas traditas mythologiae fabulas; sed nuper creverat cum universa ratio physicae interpretationis tum syncretismus. Nam primum Academici praeeunte Xenocrate totum deorum Graecorum coetum per elementa distribuerunt, deum esse docentes „*τὸν οὐρανὸν, καὶ τοὺς ἀστέρας πυρώδεις ὀλυμπίους θεοὺς καὶ ἑτέρους ὑποσελήνους, δαίμονας ἀοράτους*". Tum facile videbatur in suo quemque elemento deos collocare. Zeus aethera, ut par erat, accipit, Hera aerem inferiorem, Poseidon humida; et ecce Zagreus ille Dionysos, siquidem Apollo solem lunam Artemis obtinet, nonne ex dispersis quasi membris simplex factus deus ille putandus erat, cuius lucidus splendor per omnia sidera erat dispersus? [1]) Haec Xenocrates ex parte saltem Platonem secutus, sed minus accurate quam scholae princeps discrimen inter varios deos mythosque observans. At multo magis auxit huius interpretandi generis auctoritatem schola Stoicorum, qui diligentius quam ceteri philosophi placita sua studebant conciliare cum religione vulgo recepta, qui cunctos cives suos vera sapientia instituere multo ardentius cupiebant quam scholae antiquiores. Nec mirum; nonne fuit semper Stoicis hoc decretum, viro vere philosopho communem utilitatem propriae esse anteponendam, eumque decere quidquid philosophia duce pro vero explorasset, communicare cum hominibus minus eruditis? Ceterum accepta iam apud Alexandrinos Academicorum Stoicorumque ratio physica, Hecataeo, ut vidimus, in interpretanda cosmogonia viam monstraverat. Aeque grata fuit omnibus, qui ex istius aetatis moribus singularum gentium deos quasi unius cuiusdam divini elementi imagines accipiendos putabant. Hinc alter alterum imitati iterabant Stoicam doc-

[1]) Stob. Ecl. I. 62; Cic. *Nat. Deor.* I. 13. 34.

trinam, quae decantabat Iovem Ζῆνα dici „διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα ζῆν" quae inter Demetrem, Hestiam, Rheam distingui posse negabat, denique his omnibus deorum nominibus nihil nisi varias summi dei formas vel potestates indicari contendebat.

Fuit quodammodo a fatis iniquis impositum Callimacho, ut in iis quae, maxime cordi haberet, frustra arma sumeret. Pugnavit contra deorum exterorum invasionem, at nihil celerius, nihil planius orbem Graecum pervasit postea quam Isidis cultus atque Sarapidis. Syncretismo obstat, at, adiuvante partim philosophia partim orphismo, singulorum deorum naturas in dies magis coalescere eius aetate videmus. Nihilo secius operae pretium erit, si non in omnibus dis deabusque, in uno alterove tamen diligentiam poetae exponere, quo appareat quousque eum duxerit syncretismi odium.

Rheam cum Gaea alii, alii cum Cybele, nonnulli cum Cerere componere iamdiu soliti erant non solum philosophi sed etiam poetae. Et longius quam plerique progressus Euripides modo cum philosophis — Anaxagorae sapientiam verbis Pythagoreis proferens [1]) — Gaeam Hestiam dixerat (fr. 938):

καὶ Γαῖα μῆτερ· Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι, [1])

modo Tellurem, quippe quae Aetheris complexu gravida omnia animantia gignat — quae Sophocli fuerat Ὀρεστέρα παμβῶτις Γᾶ, μάτηρ αὐτοῦ Διὸς [2]) — eandem esse deam, quam homines Demetrem salutare consuevissent, disertis verbis docuerat (*Bacch.* 275):

Δημήτηρ θεά,
Γῆ δ' ἐστὶν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει κάλει.

Quae hic Demeter, ea mox simul mater Cybele simul Rhea. In eadem enim Baccharum tragoedia non solum Dionysus tympana phrygia salutat Ῥέας τε μητρὸς ἐμά θ' εὑρήματα" (vs. 58), sed chori carmine — quod ipsa gravitate dicendi et casta pietate demonstrat, quantum iam tum theocrasia valuerit ad hominum animos conciliandos a prisca religione abalienatos — poeta Cretenses Curetes cum Phrygia Cybele, cum dea Phrygia Iovem Κρηταγενῆ et Διογε-

---

[1]) Aristot. *de Caelo* II. c. 13 Ἀναξιμένης δὲ καὶ Ἀναξαγόρας καὶ Δημόκριτος τὸ πλάτος αἴτιον εἶναι φασι τοῦ μένειν αὐτήν.

[2]) Soph. *Phil.* 391.

νέτορας ἐναύλους ita conciliat, ut ab apertissimo syncretismo iam nihil absit [1]).

Quantum haec ratio placuerit Hecataeo iam vidimus. At improbat vehementer Callimachus. Qui, notissimis verbis illis „Ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν" (I. 10) Cretensium commenta oppugnans, simul quantum a syncretismo absit luculenter ostendit, cum Rheam hac prece adire faciat Gaeam (vs. 29)

„Γαῖα φίλη τέκε καὶ σύ· τεαὶ δ' ὠδῖνες ἐλαφραί."

Quin etiamtum timuisse videtur ne cui nondum satis appareret, distinguendam esse a dea Phrygia Rheam Graecorum; tam anxie retinet Rheam in Parrhasia. Ipsam matrem transportasse filiolum in Cretam mythologia docuit, at Callimachus solum sine matre a Neda nympha Iovem transportandum in Cretam curat. Sed in ipsa quoque insula dum antrum sacrum (κευθμὸν Κρηταῖον) cum Graeco cultu et Arcadiae religione coniungit, tacite Phrygias origines mysticamque loci sanctitatem reicit, nam Corybantibus, qui ceteris coniunctissimi videbantur cum Cybeles cultu, originem tribuere Phrygiam nolebat. Non ille quidem in Messenia Curetes agnoscit [2]) at puros atque integros a Phrygio ululatu tympanisque Berecynthiis totoque Cybelae cultu servandos censuit Iovis educatores. Dixerim igitur hanc fuisse poetae de Corybantibus opinionem. Aeque Orphicorum mysticismum respuens ac doctrinam Stoicorum, generis humanae educationem primam Corybantibus vindicantium, praesertim tamen ab Euemeri impietate refugit; nam divinam naturam Cretensibus daemonibus vindicat, et caute insistens poetae antiquioris vestigiis „Meliarum nympharum amicos" salutat eos qui a Phoronidis poeta „εὐπάλαμοι θεράποντες ὀρείης Ἀδρηστείης" dicti essent. Quantum haec omnia absunt ab religione illa occulta atque sanctissima, quam in notissimo *Cretensium* fragmento professus erat Euripideus ille μύστης Διὸς Ἰδαίου simul Zagrei minister et Βάκχος Κουρήτων! [3])

---

[1]) *Bacch.* 120. Add. *Hel.* 1301. *Phoen.* 685. *Ion.* 1086.

[2]) Differt igitur in hac re a sacris Messeniae fabulis, quae teste Pausania IV. 33. 1 tradebant a nymphis Neda atque Ithome in Messenia acceptum Iovem κλαπέντα ὑπὸ τῶν Κουρήτων, cuius rei memoriam servari fonte Κλεψύδρᾳ.

[3]) Comparari possunt cum Callimachi doctrina de Corybantium origine Graeca, quae docet de Dactylis Idaeis Apollonius (quamquam in ipsa dea Cybele a syncretismo mimine abhorrens): „Δάκτυλοι Ἰδαῖοι Κρηταιέες οὔς ποτε νύμφη Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι ὁραξαμένη γαίης Ὀλαξίδος ἐβλάστησεν" (I. 1129). Ita Apollonius quoque ad Graecam originem revocat quae propria erant Phrygiae.

Sicuti autem a Phrygum Magna Matre Graecam Rheam seiungit, ita a Rhea Demetrem, et simul, quamvis omnem fertilitatem Cereri deberi doceat, per totum hymnum in Cererem, ipsam deae personam a Gaea distinguendam fideliter curavit. [1]) Filiam autem Persephonen si genitam ex Poseidone Hippio docuit poeta (fr. 207 *τὴν μὲν δ γ' ἐσπέρμηνεν Ἐρινύι Τιλφωσαίῃ*) fatendum erit minus integram a theocrasia eo fragmento servatam esse utriusque deae personam quam in hymnis poetam fecisse videmus. Et revera ita censuerunt nonnulli, eo, ni fallor, moti, quod ipse Pausanias cum in Arcadicis locum Thelpusam tangit VIII. 25. 7 diserte testatur: *„τὴν δὲ Δημητέρα τεκεῖν φασιν ἐκ τοῦ Ποσειδῶνος θυγατέρα"*. Verum etiamsi hanc Erinyem eandem atque Cererem fuisse voluit Callimachus (quod non pro certo constat), minime inde hoc quoque effici licebit, filiam illam necessario fuisse Persephonen; quod olim Prellerus voluit scribens (I. 622): *„Hier ist nicht Zeus, der milde und befruchtende Regengott des Himmels, sondern Poseidon, der stürmische Gott der Fluthen, der Vater des Demeterkindes."* Quoniam enim Pausanias indicat nomen filiae esse *ἐν ἀπορρήτοις*, num de Proserpina cogitaverit necne, nemo facile diiudicet.

Sed aliud afferri solet testimonium quo demonstretur a theocrasia non semper tam alienum fuisse poetam. Persephones enim personam, ut cum Artemide Selene Hecate coniungitur a philosophis compluribus ac poetis Orphicis, ita a Callimacho cum Artemide commisceri efficiunt ex verbis scholiastae in Pindari *Nem.* I. 3: *ὅτι δ' ἡ αὐτὴ ἐστι τῇ Ἀρτέμιδι* (sc. *ἡ Περσεφόνη*) *Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ· „οἵ νυ καὶ Ἀπόλλωνα παναρκέος Ἠελίοιο χῶρι διατμήγουσι καὶ εὔποδα Δηωίνην Ἀρτέμιδος"*. Parum tamen probabile est talem commixtionem placuisse Callimacho. Iam Naekius quoque id vidit, qui in *Hecale* sua p. 46 ita rem dirimere conatus est, ut carpi his versibus eos homines contenderet qui *diserte* negarent unquam quidquam Apollini cum Sole, Dianae cum Proserpina commune fuisse, nam per se quidem Callimachum talia non reicere, solum vetuisse talem doctrinam palam praedicari. Iure hanc interpretationem reiecit Schneiderus, qui tamen cum de se adicit *„καὶ οὐ πείθονται ἀοιδοῖς, οἵ νυ καὶ κ. τ. λ."* iusto tenacius hoc tenet, necesse fuisse versibus laudatis oppugnatos esse quosdam sive qui segregarent hos deos sive qui

---

[1]) Abstinuit quoque poeta etymologiae amantissinus a lusu etymologico in Cereris nomine quo effici posset *Δήμητρα* idem ac *Γῆν μητέρα* ei valere. Contra semel atque iterum eum deam dixisse *Δηὼ* fortasse non neglegendum est.

coniungerent. Nihil tale ex scholiastae verbis apparet, qui brevitati studens Callimachum affert auctorem, sed non indicat, num ipsius Callimachi promat sententiam, an aliorum quorum iudicium is in Hecale reddidisset. Sed quamquam incertum est quisnam horum versuum sensus fuerit in Hecale, quemve eos dicentem fecerit poeta, quove consilio; id tamen ex animo concedam Schneidero, ipsius poetae sententiam his versibus non dari. Et sane si filiam Cereris coniungendam esse cum Artemide illo versu docuisset, aptius opinor eam ornasset alio epitheto quam quo nunc *εὔποδα* eam dixit, homericum hymnum respiciens quartum qui vs. 2 memorat Cereris *θύγατρα τανύσφυρον*. Ceterum quantum potuit in hymno tertio Callimachus id spectavit ut integram ab aliis elementis servaret deam quae ipsa de se profitetur:

„καὶ γὰρ ἐγὼ Λητωιὰς ὥσπερ Ἀπόλλων",

et ipso illo hymno lucide ostendit, quonam in tali re progrediendum censeat. Lucifera enim procul omni dubio ei est Diana lunarisque dea, sed tantum eo modo quo Demeter fertilitatis terrestris dea nec tamen ipsa Terra est. Sicut igitur Apollo solis luci praeest nec tamen *Ἥλιος πανδερκὴς* sive, ut ipse Callimachus dixit, *Ἥλιος παναρκὴς* putandus est [1]), ita ab ipsa luna Artemin deam lunarem seiungi iubet, quapropter fideliter a similibus deabus discernitur Diana per totum illum hymnum. [2])

Accidit autem interdum ut diversorum numinum personae ita plane coaluerint ut iam seiungi non possint. Quod factum erat iam diu in Hecate, quae Callimacho quoque arctius quam ut prorsus seiungatur cum Diana coniuncta esse videtur. Nonnumquam enim a poetis Hecaten — quamquam ne ipsam quidem proprie lunae deam — cum Dianae persona plane commisceri videbat, ut fecit Euripides, qui Persephonen quoque cum Artemide composuit; multis ille locis et varie, nam in *Phaethontis* fragmento 781 vs. 55 ita Persephonen

---

[1]) Hymn. III. 180, ubi Sol currum inhibere dicitur delectatus Dianae choreis, nihil ad rem. Apollinem enim eo loco indicari nequaquam apparet. Tamen, sicuti lucis nocturnae curam Artemidi mandatam opinatur, ita procul dubio fere eadem de Apollinis potestate iudicat quae Plato in nomine dei ludens praedicaverat *Cratyl.* 405. D: *„ἐπισταταῖ δὲ οὗτος ὁ θεὸς τῇ ἁρμονίᾳ ὁμοπολῶν ταῦτα πάντα καὶ κατὰ θεοὺς καὶ κατ' ἀνθρώπους."* At illud improbat quod nomen ac vim Apollinis ad ipsum solem referebant quidam Stoicos secuti (cf. Cleanthis frg. 58—60 Pearson).

[2]) Si accurate Catullus Callimachea reddidit, in *Coma Berenices* quoque inter Apollinem et Solem sicuti inter Triviam (Hecaten) et Artemin discrimen factum est: vs. 44 enim solis deus audit *„progenies Thiae clara"*; vs. autem 5 quae de Selene narrantur nequaquam de casta dea Diana dicta videri possunt.

salutat: „σὺ δ' ὦ πυρὸς δέσποινα, Δήμητρος Κόρη", quam iterum in *Ione* 1049 invocat: „Εἰνοδία θύγατερ Δάματρος", at in *Phoenissis* vs. 108 „παῖ Λατοῦς Ἑκάτα". Neque solum apud poetas ita coniuncta erant haec numina, sed cultu quoque tam saepe coniungebantur, ut neque separari a Lucifera Artemide Hecate posset, neque lunaris potestas huic deae denegari. Eandem igitur viam in Hecatae numine explicando poeta ingreditur quam probaverat in Dictynna sive Britomartide. Cretensem deam docuit nympham tantummodo fuisse, quae tanta gratia apud Dianam floruisset, ut dilectissimae virginis ipsa sibi dea nomen induisset; (de qua re dictum est pag. 27); Hecatae vero originem in Asia querendam esse secundum Ephesiacam fabulam eo libentius accipit, quod ipse lunarem dignitatem Artemidi praecipue dari censet in Asia. Enarrat itaque in commentariis (fr. 100[h] 4) „τὴν Ἄρτεμιν ἐπιξενωθῆναι Ἐφέσῳ υἱῷ Καΰστρου, ἐκβαλλομένην δὲ ὑπὸ τῆς γυναικὸς τὸ μὲν πρῶτον μεταβαλεῖν αὐτὴν εἰς κύνα, εἶτ' αὖθις ἐλεήσασαν ἀποκαταστῆσαι εἰς ἄνθρωπον καὶ αὐτὴν μὲν αἰσχυνθεῖσαν ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι ἀπάγξασθαι, τὴν δὲ θεὸν περιθεῖσαν αὐτῇ τὸν οἰκεῖον κόσμον Ἑκάτην ὀνομάσαι". Explicatur igitur hac narratione, quae propter singularem variarum fabularum coniunctionem non potuit quin impense placeret poetae, olim Dianam cum ornatu venatricis ac facibus τῆς φωσφόρου nomen quoque suum mulieri mortali donavisse, et ideo facili modo cum dea confusam esse Hecaten illam alteram, quamvis illud nomen proprie sororem τοῦ Ἐκαέργου solam deceret. Et ipsam mehercle historiam ita ut eam tradit in commentariis ad verbum accipiendam esse, minime voluit suadere poeta, qui congesta habebat ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν quaecunque mirabilia eruditione et investigatione indefessa undique corradere potuit, immo multum ni fallor abest, ut ipse probata habeat quae hic narrat; sed id sane in fabula Ephesiaca ei placuit, quod commode explicat cur tandem et mythica genealogia et nomine et imagine ita constanter Diana atque Hecate coniungi soleant.

Quae cum ita sint, nolim obtrudere Callimacho quae tribuuntur ei fragm. 556. Legitur enim in emendatioribus scholiis Ambrosianis ad Theocritum II. 12: Καλλίμαχος καταλέξω δέ φησι .... Δήμητρι μιχθεὶς ὁ Ζεὺς τεκνοῖ Ἑκάτην διαφέρουσαν ἰσχύι καὶ μεγέθει. ἣν ὑπὸ γῆν πεμφθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρὸς πρὸς Περσεφόνης ζήτησιν. καὶ νῦν Ἄρτεμις καλεῖται καὶ Φύλαξ καὶ Δαδοῦχος καὶ Φωσφόρος καὶ Χθονία." [1]) Cuius scholii, ut superiora quoque ex omnis generis doctrina

[1]) Schneider II. pag. 691.

conflati, quattuor prima verba ex Ambrosiano codice adiecta desunt in vulgatis scholiis, ubi tantum legitur „ἄλλως τῇ Δήμητρι κ. τ. λ." Corrupta autem illa „Καλλίμαχος καταλέξω", etiamsi recte emendavit Schneiderus „κατὰ λέξιν" reponens, propter ipsam lacunam quae post φησι sequitur (a viro docto voce οὕτως suppletam) necquidquam dant subsidii ad eius opinionem stabiliendam. Nam ipsa verba Callimachi „κατὰ λέξιν" hic esse reddita quis Schneidero credat? Non ita opinor sua consarcinare doctissimus poeta solebat, ut hic referuntur varia Hecates nomina. Itaque si recte Callimachi nomen ex Ambrosiano codice redditur huic scholio, potius putaverim ipsa poetae verba prorsus interiisse, tum post illud ἄλλως iis verbis, quae nunc Callimacho tribuuntur, alius cuiusdam referri doctrinam de Hecate, ut supra Sophronis relata erat; denique nobis in tam dubia re abstinendum esse, neque theocrasiae arguendum poetam a qua ceteroquin prorsus alienus est.

Sicuti autem syncretismum respuit, cuius studio aequales flagrabant, causas quoque quae ad syncretismum theologos incitabant, frustra in Callimacho quaeres. Primum enim mystica tantum abest ut diligat, ut contra aut impugnet aut spernat. Quid igitur prodest investigare qualem sententiam tulerit poeta de ista doctrina quae Iovem cum Plutone, Dionysum cum Zagreo componeret, mox cum Sarapide unum quemque ex his tribus numinibus? Scimus poetam Zagrei sortem tetigisse, sed, ut omittamus ea de quibus nihil constet — quid enim lucis affert illud „Τῖα Διώνυσον Ζαγρέα γεινα-μένη" (fr. 171)? — ut omittamus mysteria Graeca, Bacchum, Eleusin, de quibus nihil reliquiae Callimacheae doceant, meminisse satis est, quanta neglegentia tractet Cretensis Iovis cultum sanctissimum, antrumque illud ἐν ᾧ (teste scholiasta ad Platonis *Leges* p. 624 A.) „τὰ σεμνότατα τῶν μυστηρίων ἐπετελεῖτο", quod quanto iam tum in honore fuerit lucide testimonia declarant quae contulerunt Preller (*Griech. Myth.* I. 105), Rohde (*Psyche p.* 120; 387. 2), Immisch apud Roscherum II. 1600, cum praeterea iam Euripidis aetate cum Zagreo cultum Jovis Cretensis commixtum fuisse docet Euripidis fragmentum 475 A.

Augebat loci mysticam sanctitatem fabula de Iove in ipso illo antro sepulto, quam haud propter mysticas rationes sedulo arripuit Euemerus, scilicet mortalem ut fingeret Iovem. Utrumque autem, tam mysticismum Orphicum quam Euemerismum vehementer exagitat

poeta cum Cretensium commenta respuens exclamat (I. 8):

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί. [1])

Quod autem tam praefracte negat poeta aeternum deum morte perire posse, id facit non solum contra Aegyptiazontes qui Osiridis fata Graecis probare voluerunt, sed etiam contra Orphicos Dionysi a Titanibus dilacerati fata cantantes. Displicent enim antiquioribus Musei poetis Orphei mystica; ipse saltem Callimachus si poetarum antiquissimum Orphea spectavit fr. 420 „*Μοῦσαί μιν ἑοῖς ἐπὶ τυννὸν ἔθεντο <γούνασι>*", tamen mystagogum, quantum novimus, non tangit. Sed quoniam propter tot operum naufragia pro certo constituere nequimus, num mystica noster tractaverit, alterum ex Museo poetam, Apollonium, spectemus, in mythologia plerumque Callimachi fidelem discipulum. Argonautarum quoque poeta principem locum Orpheo inter Iasonis comites concedens non nisi vocis canorae miracula commemorat (*Arg.* I. 23—31). Idem, insignem nanctus occasionem de orgiasmo mysteriisque disserendi, I. 1134, in sanctissimo templo Cybeles vovendo praeeuntem modo lyrae cantu iuvenum saltationes Orphea describit. Quin tantum abest a mysticis symbolicisque interpretationibus, ut ipsum quoque rhombum ac tympanum, constantes illos mysteriorum comites, idcirco solum assumta in Rheae orgiis velit, quoniam saltantes Argonautae *σάκεα ξιφέεσσιν ἐπέκτυπον*. Ne multa, potuitne cosmogoniam Orpheo subicere simpliciorem aut ab omni Orphismo magis remotam quam edixit I. 496?

Callimachum vero quoniam constat alicubi egisse de Zagreo Dionyso in templo Delphico iuxta tripodem sepulto [2]), iamne constituemus

---

[1]) Fabulam de Iove mortuo atque in antro Cretensi sepulto iam datam esse ab Epimenide in *Theogonia* suspicatur Wilamowitzius (*Hippolytos* p. 224[1]) cui adstipulatur Maass. *Aratea* 345 sq. Sed argumentis caret haec suspicio, et multo veri similius videtur ipsius Callimachi aetate ab Euemero primum ex Cretensium traditione hanc fabulam in lucem productam esse; ante haec enim tempora de sepulcro Iovis apud scriptores nulla mentio fit (cf. Rohde *Psyche* p. 122[1]).

[2]) Fr. 374. Tzetz. ad *Lyc.* 208: *οἱ Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη ἃ διεσπάραξαν Ἀπόλλωνι ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο ἐμβαλόντες εἰς λέβητα. ὁ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι παρέθετο ὥς φησι Καλλίμαχος.* Nemo opinor pro certo indicabit, quaenam Callimacho debeantur, quae aliis auctoribus in iis quae hic refert Tzetzes; quoniam vero quae priore enuntiato enarrantur Orphicae traditioni vulgari plane conveniunt, quibus vix opus fuit testem Callimachum citari, ultima tantum, quae agunt de loco ubi condita sint membra Dionysi, peculiare quiddam habent, hoc solum efficio ex Tzetzae verbis, traditum esse a Callimacho — sive probavit sive reiecit ipsam de dilacerato Dionyso fabulam —

ad Orphicum cultum destinatum ab eo fuisse totum hymnum, cui adscribendus sit versus ille, (fr. 171) „*νῖα Διώνυσον Ζαγρέα γειναμένη*"? Affirmat hoc sane Ernestus Maass, neque id dubitanter, qui in *Orpheo* suo p. 118 ita scribat: „*Auch Kallimachos hat auf den orphischen Zagreus ein Gedicht gemacht, doch wohl als Eingeweihter; wir wissen nicht mehr für welchen der orphischen Kulte.*" Difficile est talia oppugnare, quibus argumenta non addantur; quae tamen si tamquam rata iam et firma vulgo accepta sint sensim et ipsius poetae et aequalium imaginem ante oculos nobis excitent hominum doctiorum subtili disputationi et feraci ingenio unice debitam, antiquorum certis testimoniis neutiquam respondentem. Equidem ab orphica sapientia abhorrere Callimachum potius dixerim quam occultae religioni favere, cum video Orpheotelestarum ritus non ad Orphea sed ad Pythagoram ab eo referri fr. 88 a — Schneideri arte emendato — „*ὅτι Καλλίμαχος εἶπε περὶ Πυθαγόρου διότι τῶν ἐν τῇ γεωμετρίᾳ προβλημάτων τὰ μὲν εὗρε τὰ δὲ ἐκ τῆς Αἰγύπτου πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἤνεγκεν ..... κἠδίδαξε νηστεύειν τῶν ἐμπνεόντων*". Hac in re igitur Callimachus Herodoti sententiae suffragatus est, ita scribentis II. 81: „*ὁμολογέουσι δὲ ταῦτα τοῖσι Ὀρφικοῖσι καλεομένοισι καὶ Βακχικοῖσι ἐοῦσι δὲ Αἰγυπτίοισι καὶ Πυθαγορείοισι*", quae ita mihi interpretanda videntur ut Herodotus Orphica a Bacchicis non disiunxerit, utriusque autem religionis placita Pythagorae deberi contenderit, qui sua ex Aegypto sumpsisse ei videtur [1]). Neque vero theologiae cosmogoniae mythologiae Orphicae doctrinam probatam Callimacho in aliis videmus: tacentur Ophion et Eurynome, abest Phanes, a tradita mythologia nihil recedunt Oceanus atque Tethys; Eros autem universi ille apud Orphicos demiurgus, in Callimachi carminibus pristina conditione sua beatior quam ut austeram in cosmogonia dignitatem arroget, arcu ludit atque arundine hominum corda figens matri dicto audiens est, victus

---

iuxta sacrum tripodem Delphicum ostendi Dionysi sepulcrum. Ceterum quam multa in commentariis relata sint a Callimacho, quae ipse vehementer improbet, saepius vidimus.

[1]) Non facere possum cum Ernesto Maass, qui (*Orpheus* p. 165) ita verba Herodotea interpretatur: „*Warum ist die Verbindung Orphisch-Bakchisch notwendig und warum nicht möglich alle drei Begriffe so zu koordinieren, dass* 1. *orphische*, 2. *bakchische*, 3. *pythagoreische Satzungen herauskommen, wobei nebenher und mehr parenthetisch* (*wir würden eine Anmerkung machen*) *die Βακχικά als ihrer letzten Herkunft nach aegyptisch bezeichnet werden?*" Omnino, ni fallor, scripsisset Herodotus, talem sententiam si pronuntiare voluisset: „*τοῖσι Ὀρφικοῖσι καλεομένοισι, τοῖσί τε Βακχικοῖσι ἐοῦσι Αἰγυπτίοισι, καὶ τοῖσι Πυθαγορείοισι.*"

promissis quale extat in *Cydippae* fr. 289:

Ζορκός τοι φίλε κοῦρε Λιβυστίδος αὐτίκα δώσω
πέντε νεοσμήκτους ἄστριας.

Contra cum Simmias in *Alis Amoris* Amorem, nempe *τὸν οὐράνιον Ἔρωτα, τὸν γενεσιουργὸν*, qui de se profitetur:

„Χάους δὲ
Οὔτι γε Κύπριδος παῖς
Ὠκυπέτας οὐδ' Ἄρεος καλεῦμαι", [1])

nuncupasset *Ἀκμονίδαν*, noster ad antiquum usum revocandum patronymicum censuit, cum fr. 147 dixit *„τῷ περὶ δινήεντ' Ἀκμονίδην ἔβαλεν"*. Ceterum, in genealogia Urani Antimachum secutus (fr. 35 *Kink.*) et fortasse respiciens antiquum versum, ut videtur hesiodeum, quem servat schol. ad Simmiam (*Γαῖα μὲν Ἄκμον' ἔτικτ', ἀπὸ δ' Ἄκμονος Οὐρανὸς ἔσκε*) videtur tamen cogitasse de vulgata Theogoniae traditione. Quare, cum Hesiodus *Theog.* 126 docuisset

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόεντ', ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι,

verisimile videtur dedisse Callimachum alterum versum quodammodo imitantem:

τῇ περὶ δινήεντ' Ἀκμονίδην ἔβαλεν.

---

[1]) Cum Haeberlino sequor Wilamowitzii emendationem.

IX

Orphicae religionis arcana quamquam magna vi trahebant ad se multorum animos, non tamen ea aetate poetis ex Museo, hominibus doctrina multo magis imbutis quam fide pia atque antiqua, valde placuisse videntur. Plura autem valde placitura viris eruditis offerebat physica rerum divinarum interpretatio. Et huic scientiae, quam in primariis numinibus antiquiores iam poetae secuti erant, summo studio aequales Callimachi permulti dabant operam sive cum Timotheo nomen Artemidis derivantes *ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τέμνειν*, sive cum Cleanthe Dionysi nomen *ἀπὸ τοῦ διανύσαι „quia cotidiano impetu ab oriente ad occasum diem noctemque faciendo caeli conficit cursum.* [1])

Nulla magis ratio placuit hominibus eruditioribus, nulla magis ad religionis deorumque antiquorum amorem quendam eorum mentes revocabat quos severior cogitatio plane ab illis dis alienaverat. Tamen Callimachus, constans hic quoque, priscam traditamque religionem unice laudat, physicam illam interpretandi rationem spernit, ac tum quoque cum ultro se offert, tantum non semper reicit. Neque enim per se physicam rationem probare potuit poeta antiquae religionis studiosus, nec si probasset adhibuisset praesertim in hymnis sacro cultui destinatis. Magna copia exemplorum comprobare quae dixi otiosum est. Satis erit cum Orphicorum physicorumque Pane conferre Callimacheum: primum spectemus

[1]) Macrob. I. 18. 14 Est enim ille Dionysos-*Ἥλιος*, quem mox Aegyptiazontes *Ἥλιον*-Sarapin salutabant, cuius potestatis memor fuit Vergilius cum *Georg.* I. 5 haec diceret: *Vos o clarissima mundi lumina labentem caelo qui ducitis annum, Liber et alma Ceres.*

illum quem Orphicus hymnus XI, tamquam *τὸν γενέτορα πάντων* (vs. 10) ita salutat:

Πᾶνα καλῶ κρατερὸν νόμιον κόσμοιο τὸ σύμπαν,
οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν ἰδὲ χθόνα παμβασίλειαν
καὶ πῦρ ἀθάνατον·

ac statim postea oculos convertamus in antiquum illum *Πᾶνα τὸν Μαλειήτην*, cuius hymnus Callimachi tertius tam vividam dat imaginem, deum pastorem barbatum catulis carnes parantem [1]). Item teneamus quam varie quamque saepe poetae Iovem Aetherium cum elemento suo coniungere conati essent, fabula de Universi divisione omnium elementorum seiunctionem indicari contendentes, recordemur iam Empedoclem cantasse (vs. 55 *Karst.*):

τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀϊδωνεὺς
Νῆστις δακρυόεσσά τ' ἐπικρούνωμα βρότειον·

quem secuti erant alii alio modo, nuperrime Stoici atque Hecataeus: nonne supervacanaeum est monere quantum distet ab his omnibus poeta Cyrenaicus? Qui cum Universi divisionem tangit, ne impugnare quidem talia operae pretum habet sed homericam tantum corrigit mythologiam (I. 62)

τίς δέ κ' ἐπ Οὐλύμπῳ τε καὶ Ἄϊδι κλῆρον ἐρύσσαι; [2])

Sed in his numinibus si physicorum doctrinis semel auris praebeatur corruat cuncta dei persona, et in elementum evanescat. Num forte igitur in minoribus dis ea interpretatio interdum ei placuit? Sedulo quaerentes vix ac ne vix quidem exemplum quod sufficiat indagavimus.

Semel atque iterum subdubites. Ita cum hymno III. 168 narratum audis Dianae adventum in Patris domum Olympiam. Afferunt Ammisiades cervis Dianae defessis pabulum:

---

[1]) Quare a Pane praesertim petat canes Diana virgo difficile dictu. Deum illum cum dea lunari antiquitus mythis fuisse coniunctum constat; nam narrabantur quoque fabulae de Panis cum Selene amoribus, qualem respicit Vergilius *Georg.* III. 391, cuius fabulae auctorem fuisse Nicandrum testatur Macrobius V. 22. Panis Callimachei imagini colores praebuisse videtur hymnus homericus XVIII (Cf. *Stud.* I. 70).

[2]) Dum hoc loco impugnat vulgatum illud placitum, ipsius Homeri nomine insignitum quod iterabatur apud Graecos: *τρίχθα δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς* (*O.* 189) et praesertim quod ibidem docetur, divisionem esse factam „*παλλομένων*", ducitur Hesiodi auctoritate *Theog.* 883 *δὴ ῥα τότ' ἄτρυνον βασιλεύεμεν ἠδὲ ἀνάσσειν Γαίης φραδμοσύνῃσιν Ὀλύμπιον εὐρύοπα Ζῆν ἀθανάτων· ὃ δὲ τοῖσιν ἐὺ διεδάσσατο τιμάς*, cuius poetae fidem eo quoque sequitur quod fratrem Neptunum ac Plutonem ante Iovem natos esse vult. Corrigit tamen auctorem suum, nam non Gaeae consilio sed ipsum sua virtute ac robore deum summum adeptum esse caeli principatum docet.

Ἥρης ἐκ λειμῶνος ἀμησάμεναι φορέουσιν
ὠκύθοον τριπέτηλον,

quibus versibus cautissime rem tangit et antiquam et satis obscuram. Nam quem noster *Ἥρης* dicit *λειμῶνα* ille profecto est *κῆπος ἀθανάτων* cuius priscam servant memoriam splendidissimi versus Ξ 346:

ἦ ῥα, καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν·
τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην,
λωτὸν ἐερσήεντα ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον
πυκνὸν καὶ μαλακόν· [1])

quam imaginem doctissimis mythologis videri coniunctam esse cum Sacris Nuptiis Callimachus non ignorabat. Noverat profecto Pherecyden docuisse, *„Ἥρας γαμουμένης τὴν γῆν ἀναδοῦναι μηλέας χρυσοῦν καρπὸν φερούσας* [2]), noverat eundem locum (quem poetarum quidam *Διὸς* dicebant *κῆπον*) ab Aristophane ad Oceani oras positum fuisse, et alio indicatum nomine *Nub.* 271: *„εἶτ' Ὠκεανοῦ πατρὸς ἐν κήποις ἱερὸν χορὸν ἵστατε Νύμφαις"*, quae ex physicorum rationibus sic optime interpretatur scholiasta: *„φυσικῶς φησι ἀπὸ τοῦ Ὠκεανοῦ πάντα τὸν ἀέρα τὴν νοτίαν, τὴν ἰκμάδα καὶ τὸν ὑετὸν τούτοις ἐπιχορηγεῖν"*. Sed in ipsa adhuc terra hortum illum, sive Iovis dicebant sive Iunonis sive etiam Hesperidum, collocabant, quamvis ad extremos iam terminos interdum remotum, ubi cum caelo terra coalescit; sicut fecerat Euripides *Hipp.* 744 abundantius quam ceteri loca amoena illa describens

ἵν' ὁ ποντομέδων πορφυρέας λίμνας
ναύταις οὐκέθ' ὁδὸν νέμει,
σεμνὸν τέρμονα κραίνων
οὐρανοῦ, τὸν Ἄτλας ἔχει,
κρῆναί τ' ἀμβρόσιαι χέονται
Ζανὸς μελάθρων παρ' ἀκτᾶς,
ἵν' ὀλβιόδωρος αὔξει ζαθέα
χθὼν εὐδαιμονίαν θνατοῖς.

Varia pro suo more commiscuerat Euripides; nam insunt in hac imagine et vestigia Elysei et memoria regionis illius fertilissimae quam Aeschylus in Aethiopum terra, alii alibi collocarant. Sed ipse campus caelestis iam altiorem et graviorem induit formam, postquam physicorum ratiocinationibus Iovis nomine aethera indi-

---

[1]) Cf. *Stud.* I. 89.

[2]) De Hesperidum horto haec dicta cf. schol. ad Apoll. Rhod. IV. 1396.

cari, Iunonem aerem esse apud multos constabat. Empedoclem modo audivimus, Platonem in *Cratylo* seria cum lusu miscentem memorare sufficit (p. 404. C): „ἴσως δὲ μετεωρολογῶν ὁ νομοθέτης τὸν ἀέρα Ἥραν ὠνόμασεν ἐπικρυπτόμενος, θεὶς τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τελευτήν". Et Plato si hoc loco iocatus sit, sane Xenocrates seria docuit qui (fr. 7 Müll. vol. III. 115) monuit *quasdam in aere naturas esse quae per elementa penetrent* (ἐνδιοικοῦσι τοῖς ὑλικοῖς στοιχείοις) *atque ex iis quae per aera transit esse Iunonem*". Cui consenserunt Stoici interpretando Iunonem aëra Iovem caelum esse. Quid igitur? Sane Iunonem ad elementum aëris revocatam esse a Callimacho nemo contendat, verum nonne paululum nunc accessit ad aequalium interpretationes? Ipsum caelum Olympi nomine indicare iam diu solemne fuerat poetis; et profecto Olympum a caelo vix distinguit Apollonius iis versibus, quibus venuste Argonautarum profectionem descripsit (*Arg.* I. 548):

πάντες δ' οὐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ἥματι κείνῳ
νῆα καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ' ἄριστοι
πόντον ἐπιπλώεσκον· ἐπ' ἀκροτάτῃσι δὲ Νύμφαι
Πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι.

Nec magis Callimachus, qui hymno I. vs. 62 dixit

τίς δέ κ' ἐπ' Οὐλύμπῳ τε καὶ Ἄϊδι κλῆρον ἐρύσσαι;

at Asteria Iovis amorem repudians quo modo fugerit memorat IV. 37:

βαθὺν ἤλαο τάφρον
οὐρανόθεν φεύγουσα Διὸς γάμον ἀστέρι ἴση.

Haec cum videmus iam augetur suspicio, non tantum ad ornandam Olympi imaginem lectori propositam illud Iunonis pratum memorari in hymno tertio. Pindarus (*Ol.* XIII. vs. 92) de Pegaso in caelum reduce narraverat „τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ φάτναι Ζηνὸς ἀρχαῖαι δέκονται", mutavit aliquid Callimachus, nec solum imaginem exornavit. Ut enim ipsa *Iovis praesepia* Arato sidera sunt (*Phaen.* 892), ita Iunonis pascua, unde „*aether sidera pascit*" tam poetis quam philosophis totum caelum indicare videbantur, sicuti haud sine antiquiore auctoritate postea Plutarchus (*Amator.* 766 B) Σελήνης λειμῶνας nominavit campos caelestes.

Levissimum vestigium hoc uno versu deprendimus quod ostendat aequalium philosophiam non semper neglectam fuisse poetae. Alterum non multo luculentius talis studii exemplum videtur mihi in Iride posse observari. Cui deae qualem induerit indolem

quosnam mores quae munera, nunc non quaeram: ad hoc attendendum videtur, hymno IV. 61 cum Iuno ad Latonam custodiendam duos posuisset *φρουροὺς, γαῖαν ἐποπτεύοντας*, in Thracia patria cacumen Haemi occupasse Martem, cum contra (vs. 66)

ἐπὶ νησάων ἑτέρη σκοπὸς εὐρειάων
ἧστο κόρη Θαύμαντος ἐπαΐξασα Μίμαντι.

Quid, quaeso, adduxit poetam ut in Mimante potissimum stationem Iridi eligeret? Dicas excelsum promunturium esse et quod liberum per mare praebeat adspectum. Sed in doctissimo poeta graviores plerumque causae accedunt. Et quoniam constat iam antiquitus de Iridis propria natura multa nec dissona docuisse physiologos, hic quoque eius interpretationis vestigia subesse videntur, quae cum *humido nubium elemento* arctissime hanc deam coniungebat. *„Νέφος καὶ τοῦτο πέφυκε"* ita docuerat Xenophanes *„πορφύρεον καὶ φοινίκεον καὶ χλωρὸν ἰδέσθαι"* [1]); non magis arcum spectaverat quam nubes et humida caeli quisquis ille fuit — nam Empedoclem fuisse non constat — qui ita dixerat: *„Ἶρις δ' ἐκ πελάγους ἄνεμον φέρει ἢ μέγαν ὄμβρον"*. Ita fieri sane potest, ut Iridis cum humido elemento affinitatem perspexerit Callimachus et probaverit, quandoquidem sedem deae parat in eo monte, quem non solum *παιπαλόεντα* et *ἠνεμόεντα* poetae dixerant, verum quem tamquam sedem Nubibus delectissimam, propter cacumen caligine redimitum, memoraverat Aristophanes cum Socratis ore ita Nubes adlocutus esset (*Nub.* 273)

„ἢ Μαιῶτιν λίμνην ἔχετ' ἢ σκόπελον νιφόεντα Μίμαντος."

Quae sedes haud absurde datur illi deae quae *„concipit aquas alimentaque nubibus affert"* (Ovid. *Met.* I. 270). [3]) Tale quid si indicare voluit Callimachus, haud nimis audacter mutavit mythologiam. Verum enim vero quod licere fortasse censuit in Iride, id numquam admisit in iis dis deabusve, qui, ut ita dicam, maiorum sunt gentium. Deos cultu solemni a Graeciae civibus invocatos constanter contra physicorum philosophemata defendit.

Vix necesse est, ut post haec omnia accuratissime quaeram, num aliquatenus poeta iis philosophis historicisve suffragatus sit

---

[1]) Cf. Schol. ad Hom. *A.* 27.

[2]) Müllach. *fragm. phil. gr.* I. 80

[3]) Cf. Ciceronis verba (*de nat. deor.* III. 20. 51), qui cum nubibus arcum componens ita disserit: *„ob eam causam, quia speciem habet admirabilem, Thaumante dicitur Iris esse nata; cuius si divina natura est, quid facies nubibus? Arcus enim ipse e nubibus efficitur, quodam modo coloratis.*

qui iure quodam ab Euemero denominari soleant, licet iam diu ante Messenium philosophum qui Callimachi verbis audiit (fr. 86)

γέρων ἀλάζων ἄδικα βιβλία ψήχων,

multis placuerit ea ratio religionis explicandae, qua partem deorum ad elementa sidera nubes referrent, partem ad humanum genus detruderent. Nam floruit quidem haec doctrina iam ante Euemeri Callimachique aetatem, sed tunc aucta viribus est ex multis causis. Et eximie apta videri potuit tali saeculo, quod ad deorum ordines educere homines non dubitavit; neque Euemeri placita ingrata fuisse credimus Alexandriae urbi, cuius reges avum patremque divino honore adorabant, quo tempore docta iuventus Theodorum *τὸν ἄθεον* audiverat contra Graeci cultus numina singulari libro pugnantem.

Reiecisse Callimachum quidquid inventavit *„τὸν πάλαι Παγχαῖον ὁ πλάσας Ζᾶνα"*, id profecto demonstrare non opus erit. Attinet paucis quibusdam exemplis indicare quam diligenter Cyrenaicus dederit operam, ut contra Euemeri atque eiusdem generis hominum inventa semper testimonia opponeret ipsa eruditione firmata. Attamen non in summis numinibus, Iovem dico Dianam Apollinem, quaeremus quid ab Euemero distet Callimachus. Ne ineundum quidem praelium merito iudicabat noster, si summi ordinis numina aggredi aut Euemerus aut philosophi Cyrenaici audebant; parum curat si forte illos deos Euemerus docet *„ob merita virtutis deos habitos"*, si eorum natales patrias sepulcra dinumerat et per provincias monstrat: Dictaei Iovis Apollinis Delphici et Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae [1]). Vix a talibus philosophematis cultui Graeco pericula timebat! Quin etiam doctum mythologum ad controversiam vix incitasse videtur quidquid mirum et a tradita genealogia abhorrens de illorum deorum nuptiis generibusve protulit Euemerus. [2]) Sed Volcanum si Euemeristae aut Hecataeus inter eos numerabant qui, ut Diodori verbis utar (I. 13) *„ὑπάρξαντες μὲν θνητοὶ, διὰ δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν τετευχότες τῆς ἀθανασίας"* di facti erant, si ad regnum mortale detrudebant Ignipotentem, simul Aegypto eum vindicantes, tum — quamquam in hymnis non nisi

---

[1]) Ita enim iam Euemerus Eleusiniam Cererem eum Iside Pharia coniunxit. Cf. Minuc. Felic. *Octav.* c. 21 apud Nemethyum *Euemeri reliquiae* p. 39. IX.

[2]) Veluti fr. XXI. *Nem. τὸν δὲ Δία διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν τοῦ Κρόνου γῆμαι Ἥραν καὶ Δήμητρα καὶ Θέμιν ἐξ ὧν παῖδας ποιήσασθαι Κούρητας μὲν ἀπὸ τῆς πρώτης, Περσεφόνην δὲ ἐκ τῆς δευτέρας, Ἀθηνᾶν δὲ ἀπὸ τῆς τρίτης*, vel fr. VI. quod narrat Urano *γενέσθαι ἀπὸ γυναικὸς Ἑστίας Τιτᾶνα καὶ Κρόνον* etc.

raro disertis verbis certare decebat — accurate indicavit dei officinas operas comites. Hinc tanta eius diligentia in Cyclopibus Curetis, etiam in Telchinibus [1]). Hos enim semel memoravit tamquam fabros cum Neptuno coniunctos — nam Poseidon insulas creavit (hymn. in *Del.* 31)

οὖρεα θείνων
ἄορι τριγλώχινι τό οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν, —

ut moneret reiciendam eorum opinionem qui ad humanum genus fabrorum antiquissimum cum Dactylis ceterisque artificibus Telchines revocabant; contra cum maris domino coniungendos esse, et huic potissimum Neptuni potestati inservire qua ἐρυσίχθων est, quoniam tridentem ei fabricantur quo insulas a terra tamquam Volcanus marinus revellit. [2])

Aeque magno spatio ab aequalium doctrinis distat Callimachus in mythologumenis de Gigantibus. Facile intellegitur, physicorum et Euemeristarum interpretandi rationem nusquam potius quam in hoc genere daemonum periculum fecisse res divinas explicandi. Sic notissimum est Timaeum historicum, sedibus Gigantum campisque Phlegraeis in Italia collocatis docuisse, eos „ἄνδρας γενέσθαι ταῖς τε ῥώμαις προέχοντας, καὶ ἐπὶ παρανομίᾳ διωνομασμένους" (Diod. IV. 21. 5), qualem opinionem iam tutatus erat Ephorus cuius haec sunt verba (fr. 70 Müller *F. H. G.* I. 255): οἱ δὲ περὶ τὴν πάλαι μὲν Φλέγραν, νῦν δὲ Παλλήνην ὀνομαζομένην κατοικοῦντες ἦσαν ἄνθρωποι ὠμοὶ καὶ ἱερόσυλοι καὶ ἀνθρωποφάγοι οἱ καλούμενοι Γίγαντες. Tandem Hecataeus cum ea, quam de generatione animantium habebat opinionem, haud inepte mythologumena de Gigantibus concilians, in Aegypto ex terra natos Gigantes docuit „προσφάτου τῆς τῶν ζῴων γενέσεως ἐκ τῆς γῆς ὑπαρχούσης (Diod. I. 267) et in Aegypto a Iove victos. [3])

Contra haec omnia traditam mythologiam constanter ubique defendit Callimachus. Primum enim contra historicos, quibus ad humanam naturam revocandos Gigantes censentibus placuisset Herculi, humano heroi, victoriam de Gigantibus reportatam designare,

---

[1]) Cf. supra pag. 13, 14[3], 100.

[2]) Quia Telchines non nisi IV. 31 apud Callimachum occurrunt, num cum Rhodo insula eos consociaverit, nominave eorum *Μύγας Λύκος Κόρυθος* (de quibus cf. Prellwitz in *Bezzenbergers Beiträge* 1889 p. 148 *sqq.*) noverit, non constat.

[3]) Simul haec conveniebant cum Aegyptiorum theologia quae frequenter deos cum potestatibus infestis proeliantes et de iis triumphantes fingebat, Solis victoriam cottidianam hac victoria celebrans (cf. Ed. Meyer *Gesch. d. Alt.* I. 64).

noster in hymni primi initio Iovem declarat

Πηλαγόνων ἐλατῆρα, δικασπόλον οὐρανίδῃσι,

simul Athenae ea, quae decebat, gloriae parte in devictis Gigantibus addicta V. 7 deam depingit

„ὅπα δὴ λύθρῳ πεπαλαγμένα πάντα φέροισα
τεύχεα τῶν ἀδίκων ἦνθ' ἀπὸ Γαγενέων."

Locum autem quo a plerisque poetis Gigantum bellum collocari solebat num Callimachus probavit? Illi campos Phlegraeos in Pallene paeninsula ponebant, quae regio teste Lycophrone viderat natos Gigantes et a Iove victos, erat enim *Γηγενῶν τροφός* [1]). Sed Pelagones qui dicit Gigantes, potest ille quidem de Pelagonia cogitasse Paeoniae regione quae ad Erigonem fluvium sita est, verum quoniam constat nomen quoque uni ex Gigantibus fuisse Pelagona, aequo iure contendere poteris hunc terrae illi indidisse nomen, at de regione illa Callimachum non cogitase. Itaque, locum belli ubi constituerit noster neque ex primo hymno efficies neque ex quinto, nam sive in terra sive in ipso caelo pugnavit dea bellica aeque facile Oceanum adire potuit ad equos abluendos; terrestremne igitur an caelestem pugnam cum Gigantibus finxerit Callimachus ex his quidem versibus non diiudicabitur. Ipsos autem Gigantes divina esse natura neque mortali, clare indicavit eo, quod totum discrimen inter Gigantes Titanesque sustulit. Non igitur placuit ei ingredi talem viam qualem, ut ex pluribus unum indicem, Apollonius ingressus est qui, inter antiquos illos Gigantes atque *τοὺς Γηγενεῖς* nescio quo discrimine constituto, in primo libro vs. 941 de hisce exponit monstris, quae *τὸ Ἄρκτων ὄρος* prope Cyzicum habitabant. Eos immani corpore sexque manibus at mortali natura praeditos Hercules interficit in Argonautarum expeditione; contra ipsos Gigantes idem Apollonius II. 40 docet ex Gaea natos esse, Iovi irata qui Titanes in Tartara demisisset.

At Callimachus Gigantibus, plane atque constanter confusis cum Titanibus, divinam naturam vindicat et aeternam, licet iamdiu eorum potestas Iovis regno infesta, iaceat devicta: Titanes enim, seu Gigantes mavis, eo iam tempore superati sunt cum universi imperium nondum inter se divisissent Cronidae, quippe qui teste fr. 465 regni sortitionem fecerint *„γιγαντείου ἐκ πολέμου"*. [2])

---

[1]) Lycophr. *Alex.* 127. cf. 1407.

[2]) Non tamen ipsam sortitionem summi imperii ita a poetis enarrari ut Iovis dignitatem deceat pluribus monuit poeta (vide *Stud.* I. 33). Aliorum non suam sententiam refert cum hoc fragmento dicit: *ἦχι πάλους ἐβάλοντο διεκρίναντο δὲ τιμάς.*

Titanibus denique adiungit Briareum sive Aegaeona, qui quondam Iovi contra alios deos *κύδεϊ γαίων* adfuit, quem vero nunc propter audaces contra eundem Iovem conatus tota premit Sicilia, nam (IV. 141):

Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
σείονται μυχὰ πάντα κατουδαίοιο γίγαντος
εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο. [1])

Verum ulterius haec per omnes Callimachi reliquias investigare opus non est. Mystica refugienda poetae videri, philosophicas interpretationes reiciendas, syncretismum vehementer improbandum si horum exemplorum auxilio aliqua veritatis specie probavero, iam sufficiat. Sed effecit ipsa theologiae Callimacheae conditio, quippe quae magis in oppugnando nova quam in ponendo et praedicando propria placita versetur, ut hucusque magnam partem disputatio mea occupata sit in proferendis illis quae Callimachus minus probavisse videatur. Restat laboris pars difficillima et fortasse incertissima, qua — quantum licebit — investigemus, qualem fere religionem accipiendam et civibus commendandam iudicaverit.

---

[1]) Confusam Briarei Aegaeonis Typhonis fabulam hic exponi non attinet. Operae autem pretium est monere, Callimachum aliquatenus, Briareo cum Titanibus coniuncto, conspirasse videri cum Zenodoto, qui post Iliad. A 404 haec fere habebat *„πολὺ φέρτατος ἦεν τῶν ὁπόσοι ναίουσ' ὑπὸ Τάρταρον εὐρώεντα."* At si apud nostrum sub Sicilia devinctus aeternam solvit poenam, non solum contra Uranum Saturnumque sed contra Iovem quoque peccavisse putatur. Sequitur igitur in hac re Callimachus aliam auctoritatem quam Homerum, aut Hesiodum (*Theog.* 617); neque tamen recentem. Eumelus enim, qui ex Ponto Gaeaque natum Aegaeona voluit, docuerat eum cum Titanibus iunctum pugnasse contra Iovem (Schol. in Apoll. Rhod. I. 1165); et Antimachus quoque in tertio Thebaidis arma contra Iovem ab eo capta esse cecinit (cf. Vergil. *Aen.* X. 567 et scholia ad eum locum). Alibi sed propter simile peccatum sub terra positum eum narrat Apollonius I. 1165.

X

Contra omnium innovatorum impetum patriam religionem per hymnos defendere conatus talem tamen religionis patronum se prodidit Callimachus, ut quicunque instituit explorare et quamvis raptim adumbrare ipsius poetae iudicia de rebus divinis, quid revera crediderit quaerens, quemnamve deum ex animo adoraverit, subtimidus ipse se interroget: „num fieri potest ut in huius poetae carmine sincera quaedam vox animi audiatur? Unquamne licebit intimae fidei verba ex eius ore concipere?"

Profecto si omittimus fabulas, cultuum enumerationes, *προσκλήσεις*, restant pauca tantum, quae aliam produnt indolem quam eruditi imitatoris. Quidquid enim cogitat sperat credit, id in re divina quoque ad erudita studia recurrit. Doctrinas de dis audimus, ipsos deos non videmus. Exemplo sit hymnus secundus cuius merito laudatur sancta gravitas. Adventantem deum facit per theophaniae formam sanctissimam; divini numinis maiestatem, luminis caelestis fulgorem, cantum cycni certissimum dei nuntium accurate memorat; quin ut opinionibus vulgo receptis de theophaniis adversetur [1]), tam incredulis respondet quam leves homines monet:

ὠπόλλων οὐ παντὶ φαείνεται, ἀλλ' ὅτις ἐσθλός",

quasi memor fuerit Penthei Thebani cui olim Bacchi fabulis diffidenti responsum erat (Eur. *Bacch.* 502)

[1]) Postquam elapsa fuit aetas qua cum mortalibus societate uti solerent, sive cunctis (Hes. fr. 216 Rz.) sive beatioribus veluti Phaeacibus (Hom. ζ. 201) singulis tantum hominibus aut paucioribus dei apparere credebantur. Itaque non probaverit Callimachus talia, qualia refert Herodotus de Metapontinis IV. 15. *φάναι γάρ σφι τὸν Ἀπόλλωνα Ἰταλιωτέων μούνοισι δὴ ἀπικέσθαι ἐς τὴν χώρην*, attamen festis diebus, et in coetu piorum sacris deum vocatum adesse non negat.

σὺ δ' ἀσεβὴς αὐτὸν ὢν οὐκ εἰσορᾷς.

Attamen vix tam alte pietas poetae nostri penetrat. Licet solemni voce exclamet grave illud „ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός", tamen quali tandem sanctitate deum pii placaturi sint, nusquam verbo indicat; naturam Phoebi nusquam exponit. Atque id omittit in eius dei imagine cuius religionem supra vulgares cultus tantopere sapientes extulissent, in illo deo, qui, ut Ephori verbis utar (fr. 70 Müller *F. H. G.* I, 255) homines „εἰς ἡμερότητα προὐκαλεῖτο καὶ ἐσωφρόνιζε τοῖς μὲν χρησηριάζων καὶ τὰ μὲν προστάττων, τὰ δὲ ἀπαγορεύων τοὺς δὲ οὐδ' ὅλως προσιέμενος". Memorat τοὺς ἐσθλούς, memorat τοὺς ἀλιτροὺς; sed quantum abest, ut seu sanctimonia illa delineata seu divinandi arte memorata talia de deo salutifero praedicet Alexandrinis qualia Atheniensibus Plato in Cratylo (p. 405 A.): „πρῶτον μὲν γὰρ ἡ κάθαρσις καὶ οἱ καθαρμοὶ καὶ κατὰ τὴν ἰατρικὴν καὶ κατὰ τὴν μαντικήν, καὶ αἱ τοῖς ἰατρικοῖς φαρμάκοις καὶ αἱ τοῖς μαντικοῖς περιθειώσεις τε καὶ λουτρὰ τὰ ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ αἱ περιρράνσεις, πάντα ἕν τι ταῦτα δύναιτ' ἂν, καθαρὸν παρέχειν τὸν ἄνθρωπον καὶ κατὰ τό σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν."

Nolo rem urgendo, plurave addendo iniquior videri in poetam, haud minus pium quam vulgo aequales, immo quadam certe cura in deos prae ceteris excellentem. Cadit in plerosque illius aetatis poetas, quod in Callimacho observamus; vera religione ac sincera superatur a multis eius temporis philosophis. Nam dum in externa deorum maiestate unice versatur, deficiunt eum vires simulac illud docendum est, in quo optime praeierant Antisthenes Stilpo prae ceteris autem Diogenes: sapientiam omnem ac virtutem hominum divinae deberi origini.

Quapropter vix operae pretium est, post ea quae capite II observata sunt, de singulis fabulis quidnam intimo pectore iudicaverit Callimachus, anxie disquirere. Neque facile factu id videtur. Quis nostrum — etiamsi tanti sit — diiudicet, num ipsi poetae pro vero acceptum creditumque fuerit, Iovem a Saturno imperium accepisse, eum regnare in caelo, impios in Orco affici aeterno supplicio? Quis affirmabit vana ipsi quoque poetae videri quae narrat cum Iovem in Arcadia natum, Latonam puerperii laboribus discissam, Iunonem ira tanto numine indigna inflatam depingit! Fuit semper haec omnibus poetis Graecis libertas, ut propria arte sua quas deorum fabulas a proavis acceptas habebant eas exornarent augerent variarent. Antiquiores etiam tragici, summa pietate inter cives suos clari, nonne saepe in rebus divinis talia ausi erant, quae nobis videntur

non tantum adversari religioni sed funditus fidem deorum tollere? Quid in hac re Callimachus sibi licere censuerit infra paucis indicabo exemplis. Certe salva religione ea committere potuit.

Quoniam vero hymnos suos confecit communi cuidam civitatis necessitati parens magis quam propriae pietati, et evocata est sacra Callimachi Musa eorum opinione, qui persuasum habebant sublata deorum fide rem publicam stare non posse, propterea minus attinet quaerere quid secum intima mente de rebus divinis Callimachus senserit, quam quid coram populo palam profiteri necesse habuerit. Tradita defendunt, novis adversantur eiusmodi homines qualis fuit ille, etiam si interdum parum constet ipsis quo iure praeponant novis antiqua.

Exposuerat olim praeclare talium hominum opinionem Euripides, tamquam ipse suo animo dubitationum suppliciis dilacerato legem proponens (*Bacch.* 890):

οὐ
γὰρ κρεῖσσόν ποτε τῶν νόμων
γιγνώσκειν χρὴ καὶ μελετᾶν·
κούφα γὰρ δαπάνα νομί-
ζειν ἰσχὺν τόδ' ἔχειν
ὅτι ποτ' ἄρα τὸ δαιμόνιον
τό τ' ἐν χρόνῳ μακρῷ
νόμιμον ἀεὶ φύσει τε πεφυκός.

Sic quoque post Euripidis tempora multis hominibus eruditione imbutis fere pro argumento esse videbatur quod longaevam videbant fidem deorum quae per omnes procellas rerum perstitisset immota; amabant, servabant adorabant τὰ πάτρια: quae a proavis recepta et suis studiis firmata nepotibus tradere studebant.

Callimacho autem, eodem studio corroboranti Lagidarum imperium artesque et litteras Graecas, non habeo quem potius comparem quam Horatium. Incitat utrumque idem amor. Nam poeta Venusinus, renata re publica et Octaviani manu pace constituta, imperio recens condito unice sperabat felicem salutem ex patriae religionis cultu fideli, simul cives ex discordia conciliare, ex turbis civilibus ad novam fortunam elevare cupiebat, amorem et oboedientiam erga novum principem firmare studens versibus tam notissimis quam praeclaris:

Regum timendorum in proprios greges,
reges in ipsos imperium est Iovis,
clari Giganteo triumpho,
cuncta supercilio moventis.

Eandem mentem produnt quae hymnis Callimachi praecipiuntur. Eius quoque Iuppiter ut olim *Πηλαγόνων ἐλατῆρ* ex Titanum discordiis pacem atque novum regnum condidit, summam rerum sempiterno etiamnunc regit imperio. Ei debent reges principatum, is tuetur Lagidas, quibus pro consanguinitate, qua cum dis immortalibus reges coniuncti sunt, imperium largitus est cum splendidis opibus. Etenim, si Hesiodum secutus poeta omnes reges *ἐκ Διὸς* ducit, quosnam rectius *διογενεῖς βασιλῆας* vocaverit quam heredes illorum regum Macedonum qui ex Hercule Iovis filio prognati olim in capite ipso Macedoniae Iovi regi templum sanctissimum condidissent [1])? Heredes Lagidae ipsi quoque se profitebantur *Διογενεῖς* Iovis capite in nummis suis collocato, Iovis autem summi potestatem poetae Alexandrini optimo iure cum regis sui imperio comparare videbantur, nusquam accuratius quam in regno Lagidarum singula gubernationis munera distincta et distributa videntes. De optima civitatis forma diversae sane et variae erant philosophorum opiniones, nusquam enim acrius de rebus politicis disputatum est quam illa aetate, sed regni formam praestantem obtineri Aegypto, Graeci facile consentiebant. Laudabant poetae ex Museo perpetuam illam divisionem, qua separabantur munera *τῶν ἐπιστολογράφων, τῶν στρατηγῶν, τῶν ἐπιστρατήγων*, qua distinguebantur *οἱ συγγενεῖς, οἱ πρῶτοι φίλοι, οἱ φίλοι*, qua constituebatur discrimen inter Macedones et Aegyptios, interque omnes tam militares quam civiles dignitates; ac saepe gubernandi artis qua omnia omnium officia ex rege pendebant, exemplum atque summam imaginem in deorum civitate quaesitam monuerunt. Olympiorum autem regnum ita iam stabile atque perpetuum Alexandrinis poetis videtur, ut tantum non in oblivionem abierint priorum gentium potestates. Sane meminerunt, pro sua eruditione, Saturni Uranique aetatum, sed iam diu est ex quo

impios
Titanes immanemque turmam
fulmine sustulerit caduco,
qui terram inertem, qui mare temperat
ventosum, et urbes regnaque tristia
divosque mortalisque turbas
imperio regit unus aequo.

---

[1]) Pellae fuit templum Iovis *„velerrimae Macedonum religionis"* secundum Iustinum (XXIV. 2). Dium Iovi Olympio sacratum erat fueruntque in ea urbe certamina sacra ludi scenici Iovi et Musis instituti ab Archelao (Diod. XVII. 16; Arrian. I. 11). Ipse autem Alexander Aegypto subacta prima sacra fecit *Διὶ βασιλεῖ* in urbe Memphi-

Et in Callimachi saltem hymnis antiqua iam et stabilita potestate gaudent Olympii, remotaque procul illa aetate qua Prometheus τῶν προτέρων θεῶν multo magis quam Cronidarum cultor Olympios increpuerat „νέοι νέοι κρατεῖτε" [1]), secundum certas leges constituta est Olympia civitas. Habet suum quisque munus: Iovem allocutus hoc ita indicat Callimachus I. 70

εἵλεο δ' αἰζηῶν ὅτι φέρτατον, οὐ σύ γε νηῶν
ἐμπεράμους, οὐκ ἄνδρα σακέσπαλον, οὐ μὲν ἀοιδόν,
ἀλλὰ τὰ μὲν μακάρεσσιν ὀλίζοσιν αὖθι παρῆκας
ἄλλα μέλειν ἑτέροισι· σὺ δ' ἐξέλεο πτολιάρχους.

Confirmatur hisce antiqua τῶν δώδεκα θεῶν constitutio, Volcano fabri, venatores Dianae, Phoebo vates atque poetae designantur [2]).

Iam oritur quaestio, num in hac Olympiorum civitate quae, legibus rite constituta, imperio Iovis obediat, quodammodo eo iam tendat poeta, ut ad monotheismum auditores deducat. A philosophis enim constat iam antea Iovem ita summae rerum fuisse praepositum, ut, sive mundum gubernari ab eo, sive eum mundi ipsam esse potestatem praedicabant, dissolverentur in Iovis numen ceterorum deorum personae. Sed purum et sincerum monotheismum tunc ipsi Alexandrini cognoverunt, cum Iudaeorum libri sacri Alexandriam adducti et Graece versi inque Musei bibliothecam recepti essent. Num sacra scripta cognita erant Callimacho? Profecto, si Aristeae epistula ad Philocratem, quisquis σύνταγμα illud composuit, haud diu post Philadelphi mortem conscripta est [3]), pro certo putare licebit, poetam ex parte saltem sacros libros iam cognitos habuisse, quippe qui, quidvis novi audire cupidus, „λίχνος" — ut ipse de se fatetur — „πεύθεσθαι", et πολυίστωρ haec

---

[1]) Aesch. *Prometh.* 955. Apud ipsum Callimachum Promethei fit mentio duobus fragmentis quae Clementi Alexandrino debentur (fr. 87 et fr. 183). Utroque loco per iocum fabula de πηλῷ Προμηθείῳ memoratur. Ipsius Promethei dignitas, ut Saturni et ceterorum antiquissimi generis deorum, diminuta videtur.

[2]) Itaque poetas Apollinis ministros dicendos esse „Φοίβου δὲ λύρης εὖ εἰδότας οἴμους", id tenuit quoque Apollonius Rhodius qui, cum Aratus Diosemia sua inchoasset hoc exordio „Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα", in fastigio poematis sui Apollinem posuit: „Ἀρχόμενός σεο Φοῖβε." Ceterum Rhodius poeta non solum opus suum orditur ab eo deo a quo ipse denominatus est, sed per totum iter ad Colchos variis honoribus deum suum effert, nusquam autem melius quam II. 669 *sqq.* ubi theophania Ἀπόλλωνος Ἑφου singulari arte enarratur.

[3]) De aetate ac fide huius epistulae disputavi in *Mnem.* XX. p. 250 *sqq.*

quoque exterae religionis documenta inspexerit. Sed parum attinet de hac re certare argumentis. Frustra fuerunt, quicunque in Callimachi Apollonii Arati scriptis argumenta deprendere sibi videbantur, foederis antiqui libros lectos fuisse (nedum intellecta!) a Musei poetis. [1]) Quod ad Callimachum, etiamsi cognita habuit scripta Iudaeorum, monotheismum ut commendaverit civibus suis non nihil abest. Accidit enim Callimacho idem quod factum videmus in compluribus scriptoribus aetatis Alexandrinae: simul ad Iovis numen supremum magis magisque non summa tantum sed omnis potestas ab eo refertur, simul crescit in infinitum ingens deorum multitudo. Itaque ad eam summam Iovis potestatem — quae non sorti debeatur sed ipsi Dei personae — referendum saepius docet quidquid pollent cetera numina. Nam primum Deus Summus *Ἐπόψιος* est: in ipsa terra summas in arcibus sedes tamquam *Ἀκραῖος* sive *Ἐπάκριος* occupans observat reges (I. 82)

οἵ τε δίκῃσι
λαὸν ὑπὸ σκολιῇσ', οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν,

quod iam cecinerant Homerus Hesiodusque, brevius ille *λαβρότατον ὕδωρ* memorans quod caelo demittit Iuppiter (*Π.* 386)

ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ
οἵ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολίας κρίνωσι θέμιστας,

auctius vero Hesiodus, cum in ea parte operis, quam cum Arato ceterisque eius aetatis poetis [2]) saepissime respexit Callimachus, (*Opp.* 219—251) res publicas regesque probos impiis opponeret. Sed non solum hominum est *ἐπίσκοπος* Iuppiter. Eius numini deberi quidquid roboris est in ceteris immortalibus multis exemplis poeta arguit. A patre Diana petit *πολυωνυμίην*, venandi artem summam atque *φαεσφορίην*: pater filiolae donat quae petit atque insuper ei permittit ut sit *λιμενοσκόπος*, et quod iam vidimus, ipsa Artemis cum facem aeternam incendit (III. 117)

φάεος δ' ἐνέηκεν ἀυτμὴν
ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί. [3])

Apollo quod valet ad colendos qui eum coluerunt, cuinam debet nisi Iovi? Diserte monet poeta II. 29

---

[1]) Sicut Valckenaerius in *Diatribe de Aristobulo* p. 125.

[2]) Apollon Rhod. *Arg.* II. 1123 ubi Argus Phrixi filius *πρὸς Διὸς Ἐποψίου* Argonautas obsecratur, ut sibi sint auxilio; cf. II. 1179: *Ζεὺς ἀτενὴς τὰ ἕκαστ' ἐπιδέρκεται. οὐδέ μιν ἄνδρες λήθομεν ἶμπεδον, οἵ τε θεουδέες, οὐδὲ δίκαιοι.*

[3]) Cf. supra p. 21 et 24. — Sagittas atque ipsum arcum cur non ab Iove sed Cyclopibus petat dea, explicare conatus sum *Stud.* I. p. 50.

δύναται γὰρ, ἐπεὶ Διὶ δεξιὸς ἦσται.

Infestane semper Iuno memorem servat iram? Simulac ita imperat Iuppiter placida fit et ipsi Latonae odium remittit (IV. 259): nato Apolline *οὐδ' Ἥρη νεμέσιζε.* Quidnam tantam placavit iram? *„Χόλον ἐξέλετο Ζεύς."*

Ne iteremus quae vulgatae sunt mythologiae. Ne tum quidem cum primo obtutu sine Iovis voluntate quidam deorum aut supplicio mortalem afficere aut dono ornare nobis videtur, ipse poeta iudicio nostro acquiesceret. Vidimus hymno quinto egregia arte expositum Tiresiae adolescentis peccatum. Qui cum siti fatali compulsus ad illum fontem accessisset, ubi cum eius matre dulcissimi nominis Chariclo Athena lavaretur, conspexissetque infelix quae conspici nefas, subita nocte eius oculos oppressit caecitas. Acerrimis verbis indignata mater increpat deam, conviciisque tragoedia dignis: *„τοιαῦται, δαίμονες, ἑστὲ φίλαι;"* At Athena, quae damna resarcire non potest levare conata, donum praestantissimum Tiresiae largitur (V. 121)

μάντιν ἐπεὶ θησῶ νιν ἀοίδιμον ἐσσομένοισιν
ἦ μέγα τῶν ἄλλων δή τι περισσότερον.
γνωσεῖται δ' ὄρνιθας, ὃς αἴσιος, οἵ τε πέτονται
ἤλιθα, καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες.

Quid? praeter morem audacter fabulam sacram immutavit poeta? Artisne necessitate, scilicet ut tale donum misero puero largita verum de se profiteri videretur Athena cum diceret (vs. 99)

οὐ γὰρ Ἀθαναίᾳ γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
ἁρπάζειν,

dempsit Iovi quod Iovis esset idque dedit eius filiae? Sane innovavit quaedam poeta in Tiresiae historia, de quibus infra dicam; quod autem Iovis filiam tamquam de suo iuveni vaticinandi artem condonare finxit, ea vix erat innovatio. Nam Minervam cum facit vaticinationum praesidem (ipsa enim, sicut in quarto hymno Apollo *ὑποκόλπιος*, res in Boeotia diu post eventuras vaticinatur), artem deae tribuit ceteroquin ab ea non alienam, nam *οἱ σκιρομάντεις* ab Athena divinationem suam derivabant, *Ἀθηνᾶς* autem *προναίας* cognomen propter eandem artem sensim Graeci mutare, deamque *πρόνοιαν* salutare coeperant [1]), et etiamnunc exstat lapis Erythraeus in quo cum *Διὸς Φημίου* numine memoratur *Ἀθηνᾶ Φημία* [2]). Cete-

[1]) Demosth. *in Aristog.* p. 34; Preller *Gr. Myth.* I³ p. 183; Farnell *Cults etc.* I. p. 307 *sq.*

[2]) Dittenberger *Sylloge* 370. vs. 27.

rum, si quid forte novi in hac re aequalibus suis videbatur praedicare, addidit argumentum. Non enim deam ultro sibi arrogare hanc potestatem ipse poeta profitetur idque disertis verbis vs. 131

ὡς φαμένα κατένευσε· τὸ δ' ἐντελὲς, ᾧ κ' ἐπινεύσῃ
Παλλάς· ἐπεὶ μώνᾳ Ζεὺς τό γε θυγατέρων
δῶκεν Ἀθαναίᾳ, πατρώια πάντα φέρεσθαι.

Etenim ex capite Iovis nata non solum est *ὀβριμοπάτρα*, sed ipsa Iovis *κορυφά* fere dici potest. Itaque non solum cum Hesiodo *ἶσον ἔχουσαν πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλὴν* Iovis filiam iudicat, sed ab ipsa Dei mente summa nequaquam diversam. Atqui „*κορυφὰ Διὸς οὐκ ἐπινεύει ψεύδεα*!"

Ad summum igitur deum modo consulto modo tantum non inscius singulorum numinum potestatem refert. Quod et cum Graecae religionis indole plane convenit: est enim hominum pater atque deorum iam Aeschylo *ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων μακάρτατος* et *τελέων τελειότατον κράτος* (*Suppl.* 525), et temporis lapsu magis apud omnes acceptum fuit. Neque vero solum Iovi summo illud usu venire apud Callimachum videmus ut augeatur eius potestas ex diminutis aliorum deorum facultatibus. Cetera quoque numina maiora eo modo augentur et crescunt. Vidimus supra (pag. 27) Britomartin, Cretensium deam propria destitutam dignitate Dianae divina iura cedere. Altero ut exemplo res illustretur, adeamus Ilithyiam. Cum audias poetam in hymno quarto tam abunde describentem laborantis Latonae dolores atque partus, submireris, illam deam cuius tantus ac tam antiquus apud Deliacos esset honor, cuius simulacrum antiquum utrisnam deberetur tam acriter certarent inter se Athenienses Delique incolae, quam ipsius poetae aetate summis honoribus afficerent quicunque Delum advectarentur, eam tam plane ab eo neglectam esse. Sciens enim in deliaco hymno Ilithyiae officia omisit. In homerico hymno, arcessita a ceteris deabus — monilis illius dono, quo postea ornatum erat antiquum Deliacorum simulacrum [1]) — descendit e caelo adfutura Latonae: in Callimachi hymno omnino nullum praestatur ab Ilithyia auxilium. Peneus ille quidem, simplex senex, pro ingenii sui antiqua nativitate nasci Apollinem posse sine tali auxilio vix credit, quapropter, ut paratum se ostendat ad recipiendam deam laborantem, exclamat „*κάλει μόνον Εἰλείθυιαν*" (vs. 132), sed aliter iudicavit poeta. Sum-

[1]) Hymn. hom. *in Apoll.* 97—115 cf. Preller I[3] 173. 1.

mam enim huius rei potestatem quoniam Artemidi Lucinae addicit [1]), nymphas Deliacas iam nato Phoebo ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος facit cantantes vs. 257, sed ipsam deam Ilithyiam plane cum Diana coniunxit. Itaque cum Lucinam ipse quoque invocari fingit a puerperis veluti epigr. 54:

καὶ πάλιν Εἰλήθυια Λυκαινίδος ἐλθὲ καλεύσης
εὔλοχος ὠδίνων ὧδε σὺν εὐτοκίῃ·
ὣς τόδε νῦν μὲν, ἄνασσα, κόρης ὕπερ, ἀντὶ δὲ παιδὸς
ὕστερον εὐώδης ἄλλο τι νηὸς ἔχοι,

plane incertum est utrum Artemis an Ilithyia invocetur; neque quidquam refert [2]).

Rara autem huius generis sunt exempla. Concedendum enim erit deorum agmen potius aequalium more augeri a Callimacho quam comminui.

Huius rei duae praecipue sunt memorandae causae, quarum altera magis ad universae Graeciae religionem spectat, altera cum Alexandrina civitate coniunctior est. Quod ad priorem attinet, polytheismo inhaeret licentia quaedam novos deos formandi. Praeter Olympios, theogonia legitima munitos stabilitosque cultu antiquo, nova numina sibi fingere numquam desistebant, terram atque terras, fluvios, animi denique affectus. Quae omnia quando primum divinis titulis salutaverint poetae, quandoque ex prosopopoeia primo personae mythicae, mox dei certo cultu ornati orti sint, hic non licebit exquirere [3]); id solum observandum videtur non adeo unice antiquissima dilecta fuisse Callimacho, ut carmina exornare vereretur mythicis personis quas Hesiodi theologia respueret aut ignoraret. Immo ulterius quam antiqui procedit, ita ut apud eum ex prosopopoeia nascatur vera mythologia. Fluviorum enim deos si praesentes rebus sacris, si deorum sermonem loquentes, si adfectos dolore misericordiave facit, qualem praesertim depinxit Peneum, nihil novi molitur [4]). At in terrae regionibus, in urbibus, montibusve

---

[1]) Vide supra pag. 23; 70 *sq.*

[2]) Cf. Anthol. Pal. VI. 200 *sqq.* — Quid de Ilithyiae cultu apud Cretenses, qui ortam apud se huius deae religionem indeque Athenas advectam gloriabantur (cf. Steph. Byz. i. v. Ἔλυτος) Callimachus iudicaverit, non constat ex fr. 168.

[3]) Materiem accuratissime collectam rite disposuit Steudinger „*Lokalpersonifikationen*" Rosch. Lex. II. 2074.

[4]) Non magis tamen quam ceteri poetae antiqui in hac re sibi constat Callimachus.

quod tale quid fecit, neque antiquissimae id erat mythologiae, et magnopere confusae. Numquam apud Graecos certis inter se finibus distinctae fuerunt allegoria atque mythologia, sensimque ab hac in eam saepe delabuntur poetae, cum Gaea ipsa modo salutata nomine *παμμήτειρα*, statim post eo nomine patriam indicare, vel regionem quandam non dubitant, auctoritate ipsius Homeri fortasse incitati, a quo facile dicitur homo quidam *υἱὸς διιπετέος ποταμοῖο*", vel narratur nymphae coisse *ποταμὸς βαθυδίνης*". Talis confusionis apud Pindarum luculentissima signa facile invenias, veluti *Ol.* VI. 84 „*ματρομάτωρ ἐμὰ Στυμφαλὶς, εὐανθὴς Μετώπα, πλάξιππον ἃ Θήβαν ἔτικτεν, τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ πίομαι*"; Solonis autem exemplum prae ceteris notum est (fr. 36. 3.)

Συμμαρτυροίη ταῦτ' ἂν ἐν δίκῃ χρόνου
μήτηρ μεγίστη δαίμονων Ὀλυμπίων
ἄριστα Γῆ μέλαινα, τῆς ἐγὼ ποτε
ὅρους ἀνεῖλον πολλαχῇ πεπηγότας.

Quod igitur Callimachus eodem modo saepe confudit allegoriae partes ac verae mythologiae neque mirabimur magnopere neque argumenta ex ea re petemus quibus sive artem sive sinceram fidem poetae in culpam vocemus. Contra hac ipsa re imaginem vere antiquam interdum dare conatus est carmini suo. Ita in carmine Deliaco cum Latonae iter describitur versu 68

ἔνθ' οἳ μὲν πολίεσσιν ὅσαις ἐπεβάλλετο Λητὼ
μίμνον ἀπειλητῆρες, ἀπετρώπων δὲ δέχεσθαι,

tam urbium deae tutelares quam ipsae Urbes, divina forma a poeta nunc indutae, possunt intellegi, quomodo vs. 49 eiusdem hymni, quamquam *terram* Mycalen indicaturus, tamen incolas divinas nominare maluit: „*νύμφαι γείτονες Ἀγκαίου Μυκαλησσίδες*". At pergit poeta primum ipsas indicans regiones, ita ut terras a Latona recessisse doceat:

„*φεῦγε μὲν Ἀρκαδίη, φεῦγεν δ' ὄρος ἱερὸν Ἄὔγης*
Παρθένιον"'

tum vero eodem versu a personae fictione escendens ad mythologiam

φεῦγεν δ' ὁ γέρων μετόπισθε Φενειός.

Non enim omnes fluvii secundum eius iudicium ex Oceano ac Tethye genus petunt. Nascente Iove flumina Arcadiae adhuc sub terra latent, iubente autem Rhea „*Γαῖα φίλη τέκε καὶ σύ*" profert terra flumen cui in honorem nymphae Nedae nomen Neda datur (I. 29).

Redit denuo ad ipsas terras simulac addit „φεῦγε δ' ὅλη Πελοπηίς", sed in clara notaque mythologia denuo versatur cum, accedente dea ad Boeotiam, fluvios illos memorat, quorum personae non mythos tantum suos sed cultum quoque possidebant: Ismenum illum — tamen μελαμψήφιδος nomine etiam nunc ornatum — Asopumque, qui tardus ingreditur „ἐπεὶ πεπάλακτο κεραυνῷ". [1])

Neglegentiae talia tribuere in poeta cuius tanta fuerit eruditio, non semper licebit. Sed quia omnia deorum numine plena, πάντα πληρῆ θεῶν esse opinabatur, noluit Callimachus mythologiae antiquis terminis se continere; quid autem in tali re poetae licere putaret, iterum in eodem hymno ostendit, cum Insulas propria donaret mythologia. Profecto enim iam non allegoria aut artis poeticae quaedam libertas fingendi, sed sincera ac vera est mythologia, qua Insulas ornat in hymno Deliaco. Ut enim Delos, quae iam diu propria gaudebat mythologia digno comitatu in deorum numero ornaret, ceteras quoque insulas divina induit persona. Etenim Delum insulam decet

„ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι
ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν
νῆσοι ἀολλίζονται". [2])

Haec opinor non mera est imago poetae debita neque confundenda cum figuris quas artifices fingere solebant. Sane iamdiu erat ex quo terras urbesve effigie repraesentare sculptorum pictorumque ars solita erat. Quod tamen neminem induxerat in errorem. Nam vix periculum erat ne quis, si forte in Iovis Olympii sede sacra Graeciam Salaminemve figuratas videbat [3]), pro divinis personis eas habendas esse putaret; sciebant omnes talem libertatem fingendi propriam semper fuisse illius artis, cui figura quadam induere necesse esset quidquid hominibus volebat proponere. Sed

---

[1]) Huius confusionis exempla ex omnibus eius aetatis poetis facili opera augentur. Unum ex Callimacho addam. IV. 101 inter Urbes a Latona refugientes memoratur Ἑλίκη Ποσειδάωνος ἑταίρη. Respicitur tamen non nympha ex fabulis nota, sed ipsa urbs, nam adicitur Bura Δεξαμενοῖο βοάσασις (cf. supra p. 81) nec de Nymphae Helices (cf. Paus. VII. 1. 2; 25. 5) cum Neptuni amoribus quidquam novit mythologia. Sed Poseidonis amicam dicit urbem, ut ostendat quid sibi de epitheto homerico Neptuni videatur (cf. *Stud.* I. 134). Nec sine aculeo inditum tale cognomen illi urbi dixerim quae postea tantas impietatis datura esset poenas (Paus. VII. 24. 6 ἐκέτας ἄνδρας ἀποστήσασιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ καὶ ἀποκτείνασιν οὐκ ἤμελλησε τὸ μήνιμα ἐκ Ποσειδῶνος). Rei Ol. 101. 4 factae non oblitus erat poeta etiamsi non diserte memorat.

[2]) IV. 16. — Vide supra pag. 57.

[3]) Paus. V. 11. 5.

tamen haec ipsa ars mox poetas incitabat ut eandem libertatem sequerentur, itaque non Tellurem modo sed patrium quoque solum divino nomine saepius poetae ornaverunt; quin etiam ipsas insulas regionesque tamquam persona induerant Aristophanes ac Plato in iis fabulis in quibus sive Demi sive Insulae chorum formabant. Sed fuit haec audax quaedam inventio ei similis, qua usus Aristophanes Nubes in dearum rettulerant numerum, neque magis hae sunt comparandae cum Insulis Callimachi quam Aegina illa ex aere facta quae conspiciebatur in templo Delphico [1]) aut Urbes quae ferebantur in Ptolemaei pompa Dionysiaca.

Distinguit ab iis omnibus Insulas Callimacheas genealogia, propria dis solis et personis vere divinis. Quae genealogia, quamquam latet auctor, exemplo tamen Hesiodi nititur. Nam si flumina ex Oceano orta dicuntur, si in Oceaninarum catalogo *Theog.* 359. 357 Europam atque Asiam Hesiodus memoravit — licet ille quidem de nymphis cognominibus necdum de terrae partibus haec docuisse putandus sit — haud multum ab eius placitis deflexit qui ex Oceano Insulas quoque genus ducere narravit [2]). Est autem haec mythologiae augendae ratio, quae ad cultum fere surgit, iis temporibus quibus florebat Callimachus communis neque nostro poetae propria. Sed accedit aliquid in Callimacho quod observatione nostra non indignum sit: identidem enim, nescio an data opera et consulto, certe in eo quoque servans morem antiquis poetis haud ignotam, statim novam illam Insularum mythologiam confundit cum alia quadam doctrina physicorum magis placitis convenienti, quam tamen mythologica fingendi dicendique ratione usus enarrat. Nam profecto si quis Oceani filias dicit insulas, deas ex deo natas intellegit. Alia autem ratione in rerum naturam processisse insulas

---

[1]) Nisi hoc fuit Aeginae Nymphae simulacrum (Paus. X. 13. 6), id quod constat de Aeginae signo in Olympii Iovis templo Paus. V. 22. 6.

[2]) Fatendum est non certo certius ex hymni verbis effici patris loco Insulis esse Oceanum. Verisimile tamen ita „Ὠκεανὸν καὶ μητέρα Τηθύν" accipi oportere quoniam Rhodum, Camarinam alias terras quoque ex Oceano ortas docuerunt mythographi. — Ehrlichium in libro, quem laudavi saepius, pag. 34—35 de singulis insulis causas investigantem cur aut in catalogo enumerentur aut silentio praetereantur, omnino sequi non possum. Maxime antem refragor viro sagaci ita scribenti p. 35 „*Quoniam* vs. 6. 168 *Philadelpho totius maris regnum praedicitur haud temere mihi videor suspicari Oceanum et Tethyn in hoc carmine a Philadelpho et Arsinoe non diversos esse. Etiam Tethys Oceani soror eademque uxor erat*". Pervertit talis interpretatio carminis Deliaci ac, ni fallor, totius mythologiae Callimacheae rationem. Quis quaeso deus Ptolemaei primi occupabit vicem, si Philadelphus iam Oceanus erit? Num Lagida Uranus erit et Berenice prior Gaea? — Ceterum de hoc interpretandi genere cf. infra p. 139.

putet necesse est quicunque de ipsis terris in mari sitis cogitet. Itaque non nymphas narrat in insularum formam mutatas; ipse Neptunus (IV. 30)

μέγας θεὸς οὔρεα θείνων
ἄορι τριγλώχινι, τό οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν,
νήσους εἰναλίας εἰργάζετο, νέρθε δὲ πάσας
ἐκ νεάτων ὤχλισσε καὶ εἰσενύλισε θαλάσσῃ.

Ita enim rerum naturam exponere placebat iis qui antiquam mythographorum simplicitatem erudite imitati ea, quae physicorum scientia exploraverat, fabulae veste induta praedicare studebant. Quod igitur physici docuerant, totam nempe insularum seriem quae Graeciam inter Asiamque iacent ad continentem terram olim pertinuisse, id quoque ad deos referendum mythi forma Callimachus hic monuit [1]).

Verumenimvero, vix in talibus mythologumenis accurate licebit constituere quid poeta tamquam fictum accipi a lectoribus voluerit, quid pro certo et explorato haberi. Ne antiquitus quidem termini, quibus a vera mythologia discernitur allegoria ac poetica inventio, fixi fuerunt et immobiles, et multo magis incerta haec omnia facta esse necesse est Alexandrinorum aetate.

Sed certiora comperta habemus de altera re quae ipsis illis temporibus exornare coepit mythologiam, atque ipsorum deorum numerum magnopere auxit: cultum dico Regum. De divino regum Aegyptiorum cultu quid igitur censuit Callimachus?

Quamvis antiquis Graecae religionis formis impense faveret Callimachus non tantum a sui temporis moribus abhorrebat, ut Aegypti reges honore divino afficere dubitaret. Neque est quod illud miremur, quoniam cum Graecorum vita ac religione iam tum plane coaluerat ista institutio, neque ab ipsa Graecorum theologia, licet sero irrepserit, aliena videbatur. Iam diu fuit ex quo heroas, primum antiquissimos illos in ipsis Graeciae principiis qui vixerant, divino affecerant honore; mox secuti erant *οἰκισταὶ* ceterique civitatum benefactores. Miltiaden Brasidanque septentrionalis Graecia, tyrannos suos Sicilia divinis honoribus coluit. Tum Graecia ipsa *τοὺς Μαραθωνομάχους* eosque qui Plataeis ceciderant aequo dignata

[1]) Diod. V. 17. Cf. Berger, *die geogr. Fragm. des Eratosthenes*, *p.* 60 *sq.*

est honore. Verum haec mortuis tantum oblata. Vivo, si solum Lysandrum omittis, a Samiis [1]) — minime plaudente Graecia — divinis honoribus cultum, nullidum talis honor obvenerat cum primus, quantum novimus, vivus ipse sibi postulavit Alexander [2]). Quem cum tale munus ab Ammone petentem videmus, non deorum derisorem, neque stolidum hominem superbia vesanum inter deos locum vindicantem conspicimus sed principem, litteris artibusque Graecis eruditum, virum tam ceteris ingenii dotibus quam pietate in deos clarum, qui per totum iter in Persas factum deos suos debito honore numquam fraudavit, eos autem prae ceteris deos selegit quibus genere coniunctum se sciebat. Dolo malo eum egisse, neque ipsum fidem quandam habuisse divinae naturae suae vix hodie credimus. Sed quamquam aequalium adulatio tamquam lucis nube divinae miraculis ac prodigiis regem circumdabat; minime tamen communi omnium consensu ille quidem deus salutatus est. Nam sane quidem iter ad Ammonium dis auspicibus factum esse testatur Ptolemaeus in commentariis, at testatur rex qui in nummis divi Alexandri caput Ammonis cornibus ornari iussit. Exterae nationes tamquam deum sacris legationibus Alexandrum obibant, verum hoc conveniebat moribus orientis. Graeci etiam, quamvis reluctantes, non legatos simpliciter, sed *θεωροὺς* ad divinum principem mittebant; attamen regis socii quantum inter sincerum deum et hunc regem divinum interesse iudicarent saepe ostenderunt, numquam fortasse disertius quam tum cum adulantes Herculis atque Dioscurorum factis Alexandri facinora praeponentes, id tamen se dolere dixerunt: *„τὸν φθόνον ἐμποδὼν ἵστασθαι τοῖς ζῶσι τὸ μὴ οὐ τὰς δικαίας τιμὰς αὐτοῖς ἐκ τῶν ξυνόντων γίγνεσθαι"* [3]). An ipsi Ammonis filio persuasit Democriteus ille Anaxarchus, Alexandrum post Cliti necem merito ipsum sibi infestum consolatus *„ὅτι ἐπὶ τῷδε οἱ πάλαι σοφοὶ ἄνδρες τὴν Δίκην πάρεδρον τῷ Διὶ ἐποίησαν, ὡς ὅτι ἂν πρὸς τοῦ Διὸς κυρωθῇ τοῦτο ξὺν δίκῃ πεπραγμένον"*? [4]) Verum haec

---

[1]) Plutarch. *Lys.* c. 18. 5. *πρῶτον μὲν γὰρ, ὡς ἱστορεῖ Δοῦρις, Ἑλλήνων ἐκείνῳ καὶ βωμοὺς αἱ πόλεις ἀνέστησαν ὡς θεῷ καὶ θυσίας ἔθυσαν, εἰς δὲ πρῶτον παιᾶνες ᾄσθησαν, ὧν ἑνὸς ἀρχὴν ἀπομνημονεύουσι τοιάνδε· „Τὸν Ἑλλάδος ἀγαθίας στρατηγὸν ἀπ' εὐρυχόρου Σπάρτας ὑμνήσομεν, ὦ, ἰὴ Παιάν". Σάμιοι δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς Ἥραια Λυσάνδρια καλεῖν ἐψηφίσαντο.*

[2]) Proxime tamen iam accesserat Philippus, Philippeo Olympiae exstructo. (Paus. V. 20. 10. — Cf. quoque supra pag. 4).

[3]) Arrian. IV. 8. 3.

[4]) Arrian. IV. 9. 7; cf. Plut. *Alex.* 52.

ἀκαίρου μετὰ γέλωτος prolata, tam philosophia quam religione indigna vix docent quo iudicio a Graecis acceptum fuerit numen Alexandri. Opportune nobis servavit Arrianus quae ferebantur philosophorum disputationes de institutione τῆς προσκυνήσεως (IV. 10. 5). Inter quos primus verba faciens Anaxarchus nihil interesse docet inter deos hominesque et sibi quidem magis dignum videri Alexandrum qui inter Macedones divino fruatur honore quam aut Dionysum Thebanum aut Herculem Argivum; ceterum quoniam dubium non esset quin post mortem Alexandro talis obveniret cultus, πόσῳ δὴ δικαιότερον ζῶντα γεραίρειν ἤπερ τελευτήσαντα, ἐς οὐδὲν ὄφελος τῷ τιμωμένῳ". Quam contemptim haec dicta essent a deorum irrisore quantaque ironia ne vix quidem abscondita, convivae plaudentes parum attenderunt; at Callisthenes rem gravem ac periculosam serio esse tractandam ratus oratione et gravissima et dignissima respondet Anaxarcho; frustra monens certum semper inter hominum heroum deorum honores fuisse discrimen; templis enim, sacrificiis choreis, paeanibus non nisi deos esse colendos: „οὔκουν εἰκὸς (εἶναι) ξύμπαντα ταῦτα ἀναταράσσοντας τοὺς μὲν ἀνθρώπους ἐς σχῆμα ὑπέρογκον καθιστάναι τῶν τιμῶν ταῖς ὑπερβολαῖς, τοὺς θεοὺς δὲ τό γε ἐπὶ σφίσιν ἐς ταπεινότητα οὐ πρέπουσαν καταβάλλειν, τὰ ἴσα ἀνθρώποις τιμῶντας, *quin ne Herculem quidem inter deos relatum nisi iubente ipso Pythio Apolline.*" (IV. 11. 4).

Haec vivo Alexandro. Quae ideo necesse erat attigi, ut ostenderem quam longe etiam tum Graeci nonnulli abessent ab illo adulandi more qui mox tantum valuit. Nam post regis mortem quam celeriter divo Alexandro instituerint cultum plurimae imperii eius civitates, quot deinde secuti sint honores diadochorum, quam constans inprimis in Aegypto mox fuerit Regum cultus cum divi Alexandri honore coniunctus et lege ordinatus, res est notissima [1]). Iam ipse Lagi filius, non solum ab Aegyptiis, tamquam Pharaonum successor, sed a Graecis quoque divinos titulos gratus accepit. Rhodios non reppulit cum Ammone adnuente divinos honores ei constituissent [2]); in urbe Ptolemaide cultum sacerdotesque τοῦ Σωτῆρος institui aut iussit aut certe non vetuit; et cum ineunte Philadelphi regno

[1]) Accuratissime de hac re egit Beurlier *de divinis honoribus quos acceperunt Alexander et successores eius* (Paris. 1890). Ptolemaeorum cultum multo magis cum Alexandro coniunctum esse quam cum Pharaonibus, Graecaeque potius quam Aegyptiacae origini adscribendum esse, demonstravit Kaerst, *die Begründung des Alexander- und Ptolemaeerkultes in Aegypten* (*Rhein. Mus.* 1897. p. 42).

[2]) Diod. XX. 100.

solemnis illa pompa Dionysiaca Alexandriae habita est in eodem curru cum Dionyso *Ἀλεξάνδρου καὶ Πτολεμαίου ἀγάλματα* posita erant sertis redimita, et iuxta Ptolemaei simulacrum *τὸ τῆς Ἀρετῆς ἄγαλμα* plaudentes conspexerunt Alexandrini.

At florente Callimacho cum iam Alexandri Ptolemaeorumque sacerdotia rite instituta essent Graecique antistites illi sacerdotio impositi, si forte fuerunt qui Antisthenem sequebantur aut Antipatrum, cui soli diadochorum impium semper visum esset divino nomine Alexandrum salutare [1]), tacuerunt illi aut saltem verba eorum interierunt. Athenienses fortasse, postquam Antigonum Demetriumque honoribus divinis cumulaverunt *Δημήτριον καταιβάτην* salutantes deum illum *quem praesentem aspicere iis liceret*, applausisse tamen putandi sunt Philippidi poetae, Stratoclem impium illum Demetrii blanditorem exsecranti

δι' ὃν ἀπέκαυσεν ἡ πάχνη τὰς ἀμπέλους,
δι' ὃν ἀσεβοῦνθ' ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος,
τὰς τῶν θεῶν τιμὰς ποιοῦντ' ἀνθρωπίνας. [2])

At Alexandrinos reges deos talia convicia non tangebant. Ibi plane coaluerat cum deorum cultu cultus regis, cum dis Olympiis commixti in titulis laudantur; etiam quae sacra antea habuerat Olympiorum quidam iam Regi divino Reginaeve obveniunt; quod factum videmus in promunturio Zephyrio ubi Ptolemaeus Lagi Artemin *Σώτειραν* adoraverat, at nunciam Aphrodite Arsinoe sacrum suum habebat.

Hunc autem regum deorum cultum si quis quaerit quo animo acceperint Alexandrini musei poetae, diserta sunt testimonia tam Callimachi quam Theocriti, at nonnihil distat inter utriusque poetae rationem. Theocritus enim saepius apotheosin tangit et consulto, multoque auctius quam Callimachus rem tractans mythologia propria novos deos adornat ac populo ita ornatos proponit. Iam ab antiquis Olympiis minime remota videntur haec nova Ptolemaeorum numina secundum iudicium eius poetae, qui ita Venerem adloquitur (XV. 106)

Κύπρι Διωναία, τὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατᾶς,
ἀνθρώπων ὡς μῦθος, ἐποίησας Βερενίκαν,
ἀμβροσίαν ἐς στῆθος ἀποστάξασα γυναικός.

---

[1]) Suid. i. v. *Ἀντίπατρος*: „μόνος δὲ τῶν διαδόχων θεὸν καλέσαι Ἀλέξανδρον οὐχ εἵλετο, ἀσεβὲς τοῦτο κρίνας.

[2]) Plut. *Demetr.* XII. 2; *de Alex. fort.* II. 5.

τὶν δὲ χαριζομένα, πολυώνυμε καὶ πολύναε,
ἁ Βερενικεία θυγάτηρ Ἑλένᾳ ἐικυῖα
Ἀρσινόα πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν.

De Berenices immortalitate disertius etiam disseruit Theocritus in carmine XVII, ubi rem novam τῆς ἀποθεώσεως accurate exponere studet, iterum ad Venerem haec dicens (46)

σέθεν δ' ἕνεκεν Βερενίκα
εὐειδὴς Ἀχέροντα πολύστονον οὐκ ἐπέρασεν,
ἀλλά μιν ἁρπάξασα, πάροιθ' ἐπὶ νῆα κατελθεῖν
κυανέαν καὶ στυγνὸν ἀεὶ πορθμῆα καμόντων
ἐς ναὸν κατέθηκας, ἑᾶς δ' ἀπεδάσσαο τιμᾶς.

Superat autem omnia locus ille notissimus ex eodem encomio quo proponitur Lagi filius quem μακάρεσσι πατὴρ δμότιμον ἔθηκεν, cui in Iovis domo sella aurea posita est iuxta Alexandri sedem at Herculi opposita (XVII. 17).

Callimachum multo minus aperte in hymnis saltem divinos regum honores pronuntiantem videmus. In carmine Deliaco diserte Ptolemaeus Philadelphus ab Apolline dicitur θεὸς ἄλλος, regisque facinora Apollinis factis tantum non adaequantur, sed plerumque poeta rem subtectius agit, ut in deorum laudibus audiantur quoque laudes principis nec tamen regis imagine numen dei obscuretur.

Ceterum, cum Alexandrini — ut mox Antiochenses — summorum deorum nominibus reges suos adornant, cum Iovis optimi maximi cognomine Σωτῆρα appellant Lagi filium, Philadelphum cum Apolline, Euergeten cum Dionyso componunt, minime putaverunt Iovem Apollinemve, tamquam καταιβάτας e caelo, cum forma humana Ptolemaeorum nomina ac dignitatem regiam induisse, itaque — quod Aegyptii olim crediderant de suis regibus — deos mortales sedere in solio regis. Ab ipsis dis sedulo distinguunt reges divinos. Arsinoen cum Aphrodite dea confundi non sinunt blandi versus Theocritei quos modo attuli, item accurate ab ipsa Aphrodite secernit Arsinoen Aphroditen Callimachus, quamquam Veneris varia cognomina ei deae addit. Dedicatum enim erat in promunturio Zephyrio sacellum olim Artemidi Σωτείρᾳ, nuper Arsinoae Aphroditae. Quam deam et epigrammatis duobus laudatam videmus a Posidonio qui accurate docet Reginae Arsinoae illud sacrum positum esse,

„ἔνθα με Καλλικράτης ἱδρύσατο καὶ βασιλίσσης
ἱερὸν Ἀρσινόης Κυπρίδος ὠνόμασεν.
ἀλλ' ἐπὶ τὴν Ζεφυρῖτιν ἀκουσομένην Ἀφροδίτην

Ἑλλήνων ἁγναὶ βαίνετε θυγατέρες [1]).

Ut his versibus Posidonius, ita Callimachus Arsinoen epigrammate VI *Κύπριν Ζεφυρῖτιν* salutavit, quam *Ἀρσινόην Φιλάδελφον Ναιάδα* in lapide quodam Cypri reperto dici accipimus [2]), ut saepe poetae variant has *ἐπικλήσεις*. In *Coma Berenices* autem reginam tam suo nomine quam Zephyritidis indicasse putandus est, tota tamen re per mythologiae abundantiam summopere obscurata: (vs. 51)

Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nictantibus aera pennis
obtulit Arsinoes Locridos ales equus,
isque per aetherias me tollens avolat umbras
et Veneris casto collocat in gremio;
ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat
Graia Canopiis incola littoribus.

Apparet hic quoque inter ipsam deam Aphroditen atque Arsinoen haud minus aperte discrimen fieri quam a Theocrito paulo supra observatum videbamus. Ab ipso autem Callimacho num Veneris cultus in Zephyrio promunturio ab Epizephyriis Locribus olim conditus esse hic narretur, [3]) id quidem ex Catulli versione efficere non licet; Graecam naturam diserte vindicavit Zephyritidi Locridem deam vocans quod fecit fortasse quia timebat ne facillime cum Iside *εὐπλοίᾳ* eam confunderent aequales. Nam cum Aegyptii iam pridem Isidis nomine Arsinoen ornavissent, verendum erat ne facile sequerentur Graeci.

Sic quoque summis saltem dis reges divi a poetis postponuntur. Theocritus enim propter Ptolemaei primi apotheosin pietate Philadelphi laudata (XVII. 121)

μοῦνος δὲ προτέρων τε καὶ ὧν ἔτι θερμὰ κονία
στειβομένα καθύπερθε ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνη
ματρὶ φίλᾳ καὶ πατρὶ θυώδεας εἵσατο ναούς,

vivum tamen regem, nisi cum natales eius memorat, dei nomine non adornat, verum cum heroibus Diomede Achilleque comparat; tandem in fine encomii, quamquam hymni solemnis forma usus, ita Philadelphum adloquitur:

---

[1]) Weil *Monum. Grecs* VIII. 1879 p. 31. cf. Ath. VII. 318.

[2]) Strack *Nachr. des Arch. Gesellsch. Ath.* XIX. 235.

[3]) Secundum Servium *ad Aen.* XI. 265 Locri Ozoles fuerunt qui in Libyam olim delati essent. Cf. Dionys. Per. vs. 364, et Posidon. apd Weil l. l.

χαῖρε ἄναξ Πτολεμαῖε· σέθεν δ' ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων
μνάσομαι ἡμιθέων· δοκέω δ' ἔπος οὐκ ἀπόβλητον
φθέγξομαι ἐσσομένοις· ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς ἕξεις.

Ita quoque Callimachus. Divino nomine licet Ptolemaeum semel ornaverit, a dis eum distinxit. Consanguineum Iovis, Apollini carissimum praedicat, impios monet II. 27

ὅστις ἐμῷ βασιλῆι καὶ Ἀπόλλωνι μάχοιτο,

sed ulterius in vivo rege non procedit. Et licet Arsinoae, cuius cultus magis vulgatus iam tum fortasse fuit, debitum honorem non denegaverit, Berenicen ita tollit, ut vix fortasse ipsa regina, athlophoriis ceterisque honoribus divinis dum vivit dignata, laudem sibi parem duceret. Elegans enim encomium sane est quod epigrammate LII Berenicae offert:

τέσσαρες αἱ Χάριτες· ποτὶ γὰρ μία ταῖς τρισὶ τήναις
ἄρτι ποτεπλάσθη, κἤτι μύροισι νοτεῖ.
εὐαίων ἐν πᾶσιν ἀρίζαλος Βερενίκα
ἇς ἄτερ οὐδ' αὐταὶ ταὶ Χάριτες Χάριτες,

sed deme illud „εὐαίων", adiectivum supra mortalia aliquatenus adsurgens, vix restat quod non quamvis mulierem deceat.

XI.

Quamquam igitur Callimachus cultum regum minime tamquam a graeca religione alienam reiecit, parce tamen modo carmine suo eum illustravisse videtur, numquam, ni fallor, tantopere hac laudis vel adulationis forma delectatus ut in principum gratiam mythologiam traditam magnopere immutaret. Quod si voluisset facile a se, salva etiam pietate, impetravisset. Creverat enim multis de causis licentia illa nova fingendi, certatim poetae eiusmodi arte depingebant vitam deorum, qua vere vivida atque humana imago lectoribus proponeretur, mythos quoque antiquos, si opus videbatur, corrigebant *πρὸς τὸ εὐπρεπὲς*, porro variare et illustrare fabulas, ad antiquorum poetarum memoriam referentes, eruditioribus ut placerent non desinebant. Cuius elegantiae exempla abundant in Callimachi poematis. Paucis defungar. Casta Minerva ut rite opponatur voluptatum reginae Veneri, enarratur hymno quinto 17—27 quibus apparatibus Venus ornaverit gratiam suam instante Paridis iudicio, quamque simplex et nullo apparatu advenerit Pallas. Scilicet auditoribus in mentem revocanda erat Sophoclis *Κρίσις* in quo dramate poeta, teste Athenaeo (XV. 687. C), *„τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ἡδονικήν τινα οὖσαν δαίμονα μύρῳ τε ἀλειφομένην παράγει καὶ κατοπτριζομένην, τὴν δ' Ἀθηνᾶν, φρόνησιν οὖσαν καὶ νοῦν ἔτι δ' ἀρετὴν ἐλαίῳ χρωμένην καὶ γυμναζομένην"* Sophoclea autem non sine elegantia exornat Callimachus flosculo Homerico, nam adicit: *„ἀεὶ καλὸν ὄμμα τὸ τήνας"* quibus verbis homericam *γλαυκῶπιν* spectat.

Eiusdem artis est — quae verbo memorare satis est — Diana puellula, sedens in patris gremio, at mox audacitate praestans ceteris deabus,

quippe quae interrita Cyclopum adeat officinas [1]), Mercurius ille parvulas deas conterrens cum σποδιῇ κεχριμένος αἰθῇ vocatus adest et αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται (III. 69). Eodem pertinet ea Apollinis imago, unguentis delibuti, muliebri fere venustate ac gratia redimiti, cuius apud Admetum captivitatem neque ex Cyclopum filiis interfectis neque ex ipsorum Cyclopum caede ortam docuit Callimachus, sed Amori debitam. Quod argumentum Alexandrinae aetati prae ceteris carum sive primus in hac fabula noster invenit sive ignoto debuit auctori, aequalibus sane placuit Apollo Callimacheus (II. 49)

„ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι δεδμημένος Ἀδμήτοιο."

Neque magis certo consilio, sed libertate tantum, quam sibi vindicant artifices omnes et poetae ductus esse videtur in Iridis indole describenda. Poetae enim inventioni — ac fideli memoriae! — Iris illa debetur, quae in hymno IV velox ac metu pallida reginam adit suam et acriter Delum increpans „πόντοιο κακὸν σάρον" (vs. 225) blandis verbis iram Iunonis a se in Asterien devertere conatur. Mirum sane in modum haec Thaumantias, cum ad herae sedile canis venaticae instar residet, differt ab illa Iride venustissimae gratiae plena, quam in Parthenonis fragmine agnovit nuper Maximilianus Mayer (Roscher *Lex.* II 348), abestque placida mens quam in homerica Iride solebant laudare interpretes; sed placent Alexandrinae arti parva et pusilla, nec poetae soli eo peccant quod in ministrorum humanorum formam detrudunt deos, quales sunt Mercurius, Volcanus, Iris. Praeierant autem in Iridis persona mutanda tragici poetae, deamque quae antiquitus tam Iovis quam ceterorum fuerat nuntia iam fere propriam Iunoni dicaverant, cuius eam „dicta capessere fas est" [2]).

Eadem autem ratione ductum videmus poetam in mythologumenis de Hercule, quem, in tertio hymno ut gratiam addat iucundam Olympiorum gravitati, tantum non ridet ut ἀδηφάγον [3]). Praeierant

---

[1]) In primis dilectas esse huius aetatis artificibus atque poetis infantium deorum imagines notum est. Plurima huius generis habet quoque Apollonius, qui Cupidinem talis ludentem cum Ganymede fingit III. 118. Ceteris autem praestat Theocriti *Ἡρακλίσκος*.

[2]) De physicorum rationibus in Iridis natura interpretanda dictum est supra p. 111. — Allegoriae fautoribus qui — ut fortasse Zenodotus (*Schol.* ad Hom. *A.* 27 sed cf. Duentzer *Zenod.* p. 101 *not.*) — *Ἴριν* et *ἶριν* idem valere, et discordias inter Iovem et Iunonem eo nomine per προσωποποιίαν significari contendebant, aures non praebet Callimachus.

[3]) In universum statuendum est immutatam fere Heroulis personam mythicam servari a Callimacho. Conciliatum eum fuisse Iunoni semel atque iterum monet, nec tamen accepit id quod Lycophroni (vs. 39 *δευτέραν τεκοῦσαν*) iam notum erat, Herculem a

sane in eius herois voracitate deridenda fabularum dramatumque satyricorum poetae; sed in Callimacho frigidissimi de Hercule ioci eo minus placent quo magis recordamur quanto studio philosophi ea aetate id contenderint, Cynicorum praesertim exemplo ducti, ut Herculem mortalibus sequendum et imitandum proponerent. Quin etiam in aulico poeta miraris fere, quod ridet illum deum a quo genus suum deducere non solum antiqui Macedonum reges soliti essent sed ipsi quoque Lagidae. Quod si Theocritum audimus dignitati regis tanto melius consulentem cum Olympiorum epulis adsedentem Ptolemaeum facit et idcirco cum Alexandro Lagi filium immortalitate donatum esse docet (XVII. 26) quoniam ambobus

πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδας,
ἀμφότεροι δ' ἀριθμεῦνται ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα,

subit rogare num forte minus placuerit Callimacho, Herculem proavum Lagidis assignare. Quod tamen equidem vix crediderim, licentiae cuidam fabulandi, et fortasse neglegentiae quoque poetae hanc culpam, si culpa est, tribuendum opinatus, ad quam eo facilius devenisse putandus est quod tot habebat in voracitate herculea deridenda auctores, sive Euripides fuit in Alcestide sive Epicharmus in Ἥβας γάμῳ [1]). Huiusce modi licentiae poeticae exempla congerere non opus est, praesto enim omnibus est comparatio cum antiquioribus hymnis homericis; Olympiae autem vitae descriptiones ut pro poetarum ingeniis variant, ita quoque ad imitandum incitabant sculptorum, pictorumve varia opera [2]). Satis fuerit digito indicare hanc

---

Iunone rite ac legitime esse adoptatum (Diod. IV. 39. 2). Ceterum pro copiosa doctrina sua parum benigne Tirynthii dei fabulas et cultum tractavit. Egit quidem de Herculis laboribus (fr. 383 Augias), de Theodamante — quem, secus atque Apollonius, in Dryopum terra habitasse docet — fr. 410; in Aetiis de leone Nemea (Schneid. II. 67), de Molorchi hospitio (*ibid.* p. 119); cervum Cerynitidem in hymno III attigit (cf. supra p. 33); verum nihil de Delphico Hercule, de tripode rapto, de caede liberorum, de Hercule Thebano dictum in reliquiis poetae invenimus.

[1]) Apollonii Rhodii Hercules magis convenit cum Stoicorum aut Cynicorum modesto castoque heroe. cf. *Argon.* I. 864 et cum Callimachi III. 158 et fr. 410 *Argon.* I. 1216 *sq.* (Ἕστο γὰρ πρόφασιν πολέμου Δρυόπεσσι βαλέσθαι λευγαλέην, ἐπεὶ οὔτι δίκης ἀλέγοντες ἔναιον).

[2]) Aetiologia novos semper mythos procreari notum est, in quibus saepe lusisse tantum volunt poetae. Est eius generis III. 75 (cur sit depilis pectoris pars Cyclopibus), III. 203 (cur in Britomartidis sacris μύρτου χεῖρες ἄθικτοι), quae aetiologiae tum demum magis dignae attentione sunt cum loci cuiusdam sacrae memoriae sunt connunctae. In historica autem ac mythica causa plerumque acquiescit Callimachus; ita exempli gratia cum in quinto hymno sacram Palladis lavationem exponit longe abest a suspicione symbolicae cuiusdam causae quae huic usui subesse posset; qualem habes Eur. *Iph. Taur.* 1199.

licentiam; nemo enim anxie quaerat qua auctoritate Ismenus fluvius (IV. 76) Dirces atque Strophiae pater dicatur, cum tamen Euripides Thebanas mulieres ita alloquentes fecisset Dircen „Ἀχελῴου θύγατερ πότνι' εὐπάρθενε Δίρκα (*Bacch.* vs. 519), aut cur idem Ismenus, adfuisse dicatur in Boeotia nondum nato Apolline, quamvis vulgata mythologia eum ex ipso Apolline natum tradidisset. Cum enim propria mythologiae haec licentia esset ut fingere novas genealogias in minoribus saltem dis non vererentur poetae, novasque historias salva religione semper adicerent antiquis fabulis, eo iure tam erudite atque caute utitur Callimachus ut raro quae narret cum tradita mythologia pugnent adversa fronte, neque saepe lateant causae quae ad immutandam acceptam historiam eum incitaverint. Gentis suae memorias in hac re saepe eum duxisse iam vidimus, accedunt doctrinae recentiores, aut mutatae Alexandrinorum opiniones de fabularum decentia. Ita doctrina opinor causa fuit, ut inter fluvios Boeotiae recedentes a Latona Asopum memoraret, quem, quoniam novisset suo etiam tempore „ἄνθρακας φέρειν", cum ceteris in carmine suo locum dabat, eruditionis suae ostentandae gratia. Quamquam sane cum tardum incedere narrat Asopum „ἐπεὶ πεπάλακτο κεραυνῷ" parum apte rem agit. Melius aptiusque alium fluvium memorasset quam eum qui olim Aeginae filiae raptorem insecutus extremo periculo suo expertus esset, quam grave esset summo Iovi resistere!

Sed mittamus leviora, in quibus aut ingenio indulsit poetae, aut aetiologiae amori. Multo maior, immo tanta ut everteret religionem ipsam, Callimachi in fabulis deorum licentia fuisse videtur illis viris doctis, qui opinantur nusquam vero religionis studio ad hymnos componendos incitatum fuisse poetam, sed aulicarum rerum studiosum blanditiisque regis sui prorsus deditum singulis fere verbis carminis sui Ptolemaeos extollere factaque eorum subtecte indicare. Quorum docta inventa, quo sagacius defensa sunt, eo facilius multorum assensum tulerunt; at mihi quidem rectissime de eiusmodi conaminibus iudicasse videtur vir clarissimus J. Vahlen in Act. Acad. Berol. 1895, p. 869 haec scribens; „*Ich hege, je länger je mehr, Bedenken ob eine Ausdeutung dieses Dichters Bestand haben könne, bei der die Gottheiten, die er preist, in die historische Gestalten der Könige von Aegypten sich verwandeln und Zeus mit Ptolemaeus Philadelphos, Apollo mit demselben oder dem dritten Ptolemaeer oder Beiden zugleich in demselben Hymnus, Apollo's Braut Cyrene mit Euergetes' Gemahlin Berenice identificiert wird*". Ex animo suffragor

viri clarissimi sententiae. Perlegas, quaeso, carmen in Apollinem, deique adventum nuntiatum audias per formam sanctissimam epiphaniae, nonne frigida uti arte tibi videtur poeta, qui talia fingat ad hominem celebrandum? Tamen constanter pergunt viri docti per totos hymnos griphorum more pro deorum nominibus Ptolemaeos Berenicas substituere. Ut cetera praeteream — quoniam talia invenire et ingeniose illustrare facilius est quam refellere — prae ceteris assensores adepta est opinio quam audacter prompsit docteque defendit Studniczka: altero hymno Euergeten Apollinis nomine intellegendum esse, Berenicen Cyrenes persona indicari. Quod tamen iudicium si quid valebit, oportet opinor per totum hymnum cantari sub Apollinis persona regem. Quid igitur; per priorem hymni partem Phoebus ille *κτίστης*, Carneus, Nomios ipse — id ne Studniczka quidem negat — Apollo est. Conditae patriae auspex Phoebus usque ad vs. 90 spectatur. Tum contra artis leges certas poeta, idque in hymno qui partibus tantum non paribus singulas dei cantaverat facultates subito carminis argumentum mutat, et, quod gravius et in tali poeta vix credendum, regis gratia audacter de suo mutat mythologiam urbi suae sacram? Ficta a Callimacho contendit Studniczka,[1] quae legimus vs. 90

τοὺς μὲν ἄναξ ἴδεν αὐτὸς, ἑῇ δ' ἐπεδείξατο νύμφῃ
στὰς ἐπὶ Μυρτούσης κεραώδεος· ἦχι λέοντα
Ὑψηὶς κατέπεφνε βοῶν σίνιν Εὐρυπύλοιο.

Arctissime haec cum praecedentibus, quae Carneum spectant, cohaerere quis non videt? „At traditio pugnae cum leone in ipsa Libya a Cyrena initae ante Callimachi aetatem nullo testimonio cognita est!" Scio, et facile concedam Studniczkae; nam Acesander a Theone laudatus in scholiis ad Apollonium (II. 498) refert quidem *ἐν τοῖς περὶ Κυρήνης· „ὡς ὑπὸ Ἀπόλλωνος διακομισθείη ἡ Κυρήνη, λέοντος δὲ τὴν χώραν λυμαινομένου προθείη τὴν βασιλείαν ὁ Εὐρύπυλος ἆθλον τῷ ἀποκτενοῦντι τὸν λέοντα· τὴν δὲ διαχρήσασθαι αὐτόν,*" sed de Acesandri aetate vix quidquam certi constat. Etiamsi autem, quod veri simile est, post Callimachum vixerit historiarum Cyrenensium auctor, parum tamen est probabile scriptorem qui tanta diligentia, quantam fragmenta ostendunt libri *περὶ Κυρήνης*[2], de huius urbis fabulosis originibus egerit, secuturum fuisse Callimachi auctoritatem, si ille de suo tam temere novam procudisset fabulam. Porro,

---

[1]) Studniczka is Roscheri Lexico i. v. *Kyrene.*
[2]) Müller *F. H. G.* IV. 285. Susemihl *Alex. Lit.* II. 383.

quis credat poetam caute et anxie cuiusque loci cultum antiquissimum explorantem, ac praesertim in patriae sancta antiquitate piissime semper versatum, nunc novam obtrusisse civibus suis fabulam qua inclaresceret cum Apolline-Euergete nova illa Berenice-Cyrene. At esto; indicetur Cyrenes nomine virgo illa quam poeta cognoverat „*a parva virgine magnanimam*," esto λέων ille βοῶν σίνις Εὐρυπύλοιο Demetrius ὁ καλὸς erit. Nonne insulse homo incestus dicitur βοῶν σίνις? Quaenam vacca intellegitur? Et si quid valeant haec inventa nonne oportet indicari quis sub Eurypyli persona lateat? Oedipode sagaciores Callimachi auditores sibi fingit qui talia inventat. Mihi quidem longe videtur similius vero, iam diu ante apud Cyrenaicos creditum fuisse Cyrenen nympham eiusdem fortitudinis, qua olim in Thessalia inclaruisset, iterum dedisse specimen cum ab Apolline ducta esset in eam regionem quae ut leonum arida nutrix a Pindaro quoque memoratur, haud dissimilia narranti de Libyae leonibus Batti voce conterritis *Phyt.* V. 76

κεῖνόν γε καὶ βαρύκομποι
λέοντες περὶ δείματι φύγον,
γλῶσσαν ἐπεί σφιν ἀπένεικεν ὑπερποντίαν,
ὁ δ' ἀρχαγέτας ἔδωκ' Ἀπόλλων
θῆρας αἰνῷ φόβῳ.

Eodem igitur modo quo Minyarum nepotes Thessalum Eurypylum sibi iam diu ante Callimachi tempora adrogarant, Cyrenae pugnam ab iis in novam nymphae patriam transportatam esse putaverim. Quod idem suadere videtur Apollonus Rhodius qui II. 500 *sqq.* brevi exponens historiam Cyrenes tacet de pugna cum leone in Thessalia olim facta at verbo significat res in Libya gestas vs. 508

τὴν μὲν γὰρ φιλότητι θεὸς ποιήσατο νύμφην
αὐτοῦ μακραίωνα καὶ ἀγρότιν.

Venatricis igitur gloria ornat amicam Apollo *postquam* rapuit inque Libyam eam transduxit.

Multo plura ac saepenumero audaciora quam haec, quae de Berenice excogitavit Studniczka, eius exemplo incitati alii viri docti elucubrarunt, ut nova interpretandi ratione tempora res facta imperii Lagidarum illustrarent. Qui si Callimacho tale quid tribuant, ut in principum gratiam immutasse traditam mythologiam putandus sit, equidem semper refragabor, si autem Callimachum acceptam sibique probatam mythologiam ad regum facta vitasque hic illic accommodare doceant, summa tamen cautione sequor. Fuit enim in hoc poeta accurata admodum diligentia in rebus divinis tractandis, quae

viam certam multorum eruditis curis structam stratamque non temere relinquat, in summorum deorum theologia traditam fidem, ut saepe vidimus, sequatur, in iis autem numinibus quorum personae minus constant, accurate plerumque exponat quidnam maxime probandum censeat. Quales autem rationes in deorum minorum theologumenis sequatur, uno exemplo illustrabo.

Exemplum disquisitionis mythologicae ultro offerunt Nymphae, quarum genera diligenter distinxit Callimachus. [1]) Primum enim genus est Oceaninarum, quae Nympharum *πρεσβύταται*, Iovis ipsius adfuerunt natalibus (neque igitur cum Homero eas *κούρας Διὸς αἰγιόχοιο* recte dicas), quantum dignitate tantum aetate ceteris antecedentes. Hae, quae a Callimacho I. 36 cum Philyra et Styge componuntur eaedem sunt de quibus Hesiodus dixerat in Theogonia vs. 362:

„αὗται δ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο
πρεσβύταται κοῦραι,"

noveratque eas Homerus, qui memoraverat *κ*. 139 Persen et *Σ*. 399 Euronymen; multo autem uberius de iis dictum erat in homerico hymno in Cererem vs. 418 sqq., ubi sibi fingebat poeta Proserpinam (vs. 5)

παίζουσαν κούρῃσι σὺν Ὠκεανοῦ βαθυκόλποις.

Verum versibus quos ex Theogonia adduxi adiecerat haec Hesiodus (vs. 363 sqq.)

„πολλαί γε μέν εἰσι καὶ ἄλλαι.
τρὶς γὰρ χίλιαί εἰσι τανύσφυροι Ὠκεανῖναι,
αἵ ῥα πολυσπερέες γαῖαν καὶ βένθεα λίμνης
πάντῃ ὁμῶς ἐφέπουσι, θεάων ἁγλαὰ τέκνα".

quas non ex ipsis Oceani ac Tethyis nuptiis prognatas docuit vetus poeta — dearum enim sunt filiae — atque ideo cum prioribus, quas nomine indicavit et *πρεσβυτάτας* dixit, neutiquam simili posuit loco. Discrimen quod Hesiodus fecerat observandum ratus Callimachus ab Oceaninis Nympharum primis et summis diserte distinxit nymphas proprio nomine ita dictas. Nam Artemis a patre comitatum petens se dignum hisce verbis usa esse dicitur (III. 13):

---

[1]) Singulari libro de Nymphis egit Callimachus, sed huius operis indolem parum cognoscimus ex uno quod superest fragmento 100[b] n° 2 (Schneider II. 288 *sqq.*) quod agit de Styge fonte Arcadiae, quod *ὕδωρ ἐστὶ τὸ διακόπτον πάντα τὰ ἀγγεῖα πλὴν τῶν κερατίνων.*

„δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας Ὠκεανίνας
πάσας εἰνετέας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.
δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας,
αἵ τέ μοι ἐνδρομίδας τε καὶ, ὁππότε μηκέτι λύγκας
μηδ' ἐλάφους βάλλοιμι, θοοὺς κύνας εὖ κομέοιεν".

Apparet igitur has Oceaninas nymphas — eiusdem opinor generis atque illae quae consolantes adisse Promethea dicuntur in cognomine tragoedia — dignas iudicari quae Dianam comitentur, verum Amnisiades deae esse ministras. [1]) Harum autem minorum gentium nympharum ingens, ut par est, multitudo adest in Callimachi carminibus. Plerumque a regionibus, quas incolunt, ducunt nomina sive Mycalenses dicuntur (IV. 50) sive Thessalides, e Peneo patre natae „ποταμοῦ γένος" (IV. 109), sive Deliades nymphae, quae adsunt in Apollinis natalibus sacrum Ἐλειθυίης μέλος cantantes, eae quoque (256) ποταμοῦ γένος ἀρχαιοῖο, nempe Inopi. Quas nonnumquam e fluviali deo natas memorans, tenet quodammodo antiquam ex Hesiodo mythologiam, qui naiades nymphas ex Oceano duxit, cuiusque verbis iam latius quam facit Callimachus uti videmus Vergilium cunctas nymphas ex Oceano natas fingentem *Georg.* IV. 382

Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores
centum quae silvas, centum quae flumina servant.

Naiades ex fluviorum dis ac matribus mortalibus natas esse magna exemplorum copia docebat. Callimachus haud pari potestate ac dignitate omnes eas ornat, neque desunt loci ubi lectorem de propria earum natura dubitantem parum certiorem faciat poeta diversis nominibus easdem aut uno nomine diversas deas indicans. Ita inter heroinas et nymphas discrimen quidem facit III. 184 Dianam interrogans

τίνα δ' ἔξοχα νυμφέων
φίλαο καὶ ποίας ἡρωίδας ἔσχες ἑταίρας;

---

[1]) Quid poetam adduxit, ut in ingenti Nympharum numero Amnisiades eligeret ad Dianae ministerium? Cohaeret id fortasse cum eo quod Ilithyiae sacrum ad Amnisum fuisse testatur Od. τ. 188 (cf. Strabo X. 476)

στῆσε δ' ἐν Ἀμνισῷ ὅθι τε σπέος Εἰλειθυίης,

Ilithyiae enim munera in Artemin conferre Callimachum vidimus supra p. 28.

Discrimen quod inter Oceaninas ac Amnisiades in Dianae ministerio fecit Callimachus, spretum videbis ab Apollonio qui III. 877 *sqq.* Odysseae ζ. versus nobilissimos παραγράφων, at simul Callimachum aemulatus, ita dicit (vs. 881) τῇ δ' ἅμα νύμφαι ἕπονται ἀμορβάδες, αἳ μὲν ἀπ' αὐτῆς ἀγρόμεναι πηγῆς Ἀμνισίδος κ. τ. λ.

Inter nymphas enim ibi memorat Dictynnam „*Γορτυνίδα νύμφην*", mox vero vs. 206, inter heroinas Dianae gratissimas enumerat Cyrenen, Procrin Anticleam Atalanten, virgines mortali non patre solum sed matre quoque natas at supra ceteras mortales favore divino elatas. Sed parum in hac re — quod vix mireris — sibi constitit poeta. Nam fr. 126, sive Argonautarum unum sive alium quendam hac prece adeuntem Libyae nymphas facit:

Δέσποιναι Λιβύης ἡρωΐδες, αἳ Νασαμώνων
αὔλια καὶ δολιχὰς θῖνας ἐπιβλέπετε,
μητέρα μοι ζώουσαν ὀφέλλετε

quae tamen divae Virgines tantum abest ut ceteris Nymphis cedant dignitate, ut titulo divino *δέσποιναι* salutentur a Callimacho, ab Apollonio autem (IV. 1322 cf. 1309) eodem modo cum Athenae natalibus coniungantur quo cum Iove Oceaninae a Callimacho iunctae erant (I. 36). Nam ita Apollonius:

ἠρῷσσαι Λιβύης τιμήοροι, αἵ ποτ' Ἀθήνην,
ἧμος ὅτ' ἐκ πατρὸς κεφαλῆς θόρε παμφαίνουσα,
ἀντόμεναι Τρίτωνος ἐφ' ὕδασι χυτλώσαντο,

et divina scientia praeditas eas fingit.

Ita, ut saepe, ex proprio ipsius vocis usu, nomine *νύμφη* indicavit Callimachus eas quae re vera Nymphae non erant, sed potius heroinae (quod accidit in Cyrenes nomine II. 90), vel virgines, deorumve uxores, ita nunc Nymphas heroinas dixit, attamen ut earum dignitatem ceteris superiorem indicaret titulum *δεσποίνας* adiecit.

Verum bis quoque nymphas quasdam *Μελίας* dixit. Hymno primo vs. 45 narrat „Corybantum amicas, Dictaeas Melias" Iovem infantem recepisse e manibus Nedae Oceaninae quae trans mare eum portasset. Nominatim autem Adrasteam indicat, quae in aureis cuneis Iovem sopivisse fertur. Iterum autem eodem Meliae nomine utitur hymno IV. 50, quamquam ibi appellativum non est sed proprium nomen „*αὐτόχθων Μελίη*." — Melias nymphas, licet eodem titulo ornet, quo usus erat Hesiodus, alia donari genealogia a Callimacho nemo miratur. Est enim inter *ἀπόρρητα* quae abhorret fabula quam exponit Hesiodus de Meliis ex Saturni semine sanguinolento ortis, neque eas intellexit hoc loco Callimachus filias Saturni, quas cum Furiis atque Gigantibus infausto sidere Terra peperisset (Hesiod. *Theog.* 183—187)

ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι,
πάσας δέξατο Γαῖα· περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν

γείνατ' Ἐρινῦς τε κρατερὰς μεγάλους τε Γίγαντας,
τεύχεσι λαμπομένους, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντας,
Νύμφας θ', ἃς Μελίας καλέουσ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.

Indicant ipsa hymni primi verba Callimachum non cogitare de Meliis Hesiodeis, sed de isdem nymphis, quas Catalogi auctor memoraverat (Hesiod. fr. 44 Rz.):

ἐξ ὧν οὔρειαι Νύμφαι θεαὶ ἐξεγένοντο
καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν,
Κουρῆτές τε θεοὶ φιλοπαίγμονες, ὀρχηστῆρες. [1])

Quibus Creticis nymphis, ad proavam Meliam Oceaninen relatis, Graecas origines vindicavit, nam natum ferebat mythologia ex Oceani filia Melia et Inacho Phoroneum, cuius e filia Nymphae Satyrique et Curetes orti esse dicebantur, eiusdem autem filius Apis Arcadum proavus Callimacho quoque videbatur qui Arcadiae incolas Ἀπιδανῆας vocavit I. 14. [2])

Distinguebant autem mythologi ab hac Melia quae Phoroneum peperit Inacho, nympham eiusdem nominis quae ex Apolline mater facta erat Ismenii Tenarique, quaeque apud Boeotos in Apollinis Ismenii templo fruebatur cultu divino. Eam spectari a Callimacho plerique putant cum IV. 80 in Latonae vagationibus narret:

„ἡ δ' ὑποδινηθεῖσα χοροῦ ἀπεπαύσατο νύμφη
αὐτόχθων Μελίη".

Sed mihi videtur vix probabile de hac Melia nunc quidem cogitasse poetam. Mirum enim esset, et solita eius eruditione parum dignum, si ne verbo quidem allusisset ad eos amores, qui postea cum eodem Apolline, quem nunc fugeret, nympham essent conciliaturi. Sed hoc mitto. Gravius videtur quod αὐτόχθονα eam dicit. Nam Melia illa ex qua Ismenus natus esse ferebatur Oceanina erat, nympha summi ordinis, cui dedicatus quoque erat prope Ismenii

---

[1]) Cf. *Stud. Call.* I. p. 22.

[2]) Cf. fr. 404 apud Schol. in Apoll. Rhod. II. 4. *Μελίαν δέ φησιν Ἀπολλώνιος αὐτὴν διὰ τό τινας τῶν νυμφῶν Μελίας καλεῖσθαι ἀπὸ τῆς Μελίας τῆς Ὠκεανοῦ, ὥς φησι Καλλίμαχος.* Id fecisse poetam suspicatur Schneiderus in *Ἄργους οἰκισμοῖς*. Quod autem Adrasteam nominatim memorat id fecit, ni fallor, ut oppugnaret mythologumena quae de rege Melisso et filia eius Euemeristae ferebant; simul vero id memorabile est, quia eo apparet Adrasteam ad Phrygiam non rettulisse Callimachum, quamquam Phoronidis auctor cum Phrygibus Idaeis *ὀρείην Ἀδρηστείην* coniunxerat. Cum vero campum Nepeium haud procul Cyzico Callimachus quoque, sicut Apollonius III. 133, ab Adrastea cognomen habere censeat (fr. 45 *Νηπείης ᾗ τ' ἄργος, ἀοίδιμος Ἀδρήστεια*), verisimile est eum putasse ex Creta in Asiam Adrasteae cultum delatum fuisse.

Apollinis templum fons quidam Melia nomine [1]); itaque Naiadum una non Hamadryas est. Melia autem, de qua Callimachus agit, *αὐτόχθων* est cum quercu ei dedicata simul nata. Neque vero de Oceani filia poeta talem potuerat inire investigationem, qualem, Meliae sorte enarrata, quae aufugit *ἥλικος ἀσθμαίνουσα περὶ δρυός*, orditur Musas interrogans:

„ἦ ῥ᾽ ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα νύμφαι;"

Quae quaestio non omnes nymphas spectat sed hamadryadas solum, nympharum genus quod dignitate multo inferius poeta iudicat quam Oceaninas, et ne pares quidem Creticis Meliis, Deliacis ceterisve *νύμφαις ὀρεστέραις*.

Incerta sane interroganti respondent Musae:

νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει
νύμφαι δ᾽ αὖ κλαίουσιν ὅτε δρυσὶν οὐκ ἔτι φύλλα.

Sufficiunt tamen haec ut poetae iudicium de hamadryadum sorte illustrent. Infinite enim de nymphis dictum erat in theogonia Hesiodea vs. 129 *sqq.*, ubi de Gaea docetur

γείνατο δ᾽ οὔρεα μακρὰ, θεῶν χαρίεντας ἐναύλους
Νυμφέων αἳ ναίουσιν ἀν᾽ οὔρεα βησσήεντα.

quorum versuum alterum, qui Hesiodo non debetur, tamen adiectum iam fuisse ante Callimachi tempora constat ex imitatione Apollonii [2]). Vix mirum videtur haec a multis ita accepta esse, ut Oreadum nympharum genus simul cum montibus a Gaea esse genitum putarent; ita saltem accepit Apollonius cum Orpheum in cosmogonia enarrantem fecit (I. 501)

οὔρεά θ᾽ ὡς ἀνέτειλε, καὶ ὡς ποταμοὶ κελάδοντες
αὐτῇσι νύμφῃσι καὶ ἑρπετὰ πάντ᾽ ἐγένοντο.

Sed porro processerat post Hesiodum mythica de nymphis scientia, non solum de antiquioribus, Naiadum Oreadumve generibus, sed etiam de Hamadryadibus. De quibus fusius agens poeta hymni homerici *in Venerem* (vs. 265 sq.) docuerat simul cum illis nymphis abietes quercusque nasci pulcherrima fronde ornatas, quas *τεμένη ἀθανάτων* dici a mortalibus solere; at cum Nymphis hora mortis adesset languescere primum arbores, mox emori (vs. 271)

ἀζάνεται μὲν πρῶτον ἐπὶ χθονὶ δένδρεα καλὰ,
φλοιὸς δ᾽ ἀμφιπερὶ φθινύθει, πίπτουσι δ᾽ ἀπ᾽ ὄζοι,
τῶν δέ θ᾽ ὁμοῦ ψυχὴ λείπει φάος ἠελίοιο.

---

[1]) Cf. Stoll apud Rosch. II. 2628.

[2]) *Argon.* I. 502. Monet id Goettling, qui primus versum Theog. 130 seclusit.

Ita antiquiores poetae arbores sacras nympharum vitas vivere simulque cum nymphis arbores interire crediderant, ipsarum autem nympharum vitae aut valetudini noceri ab eo, qui arbores sacras impio ferro invasisset, nondum putasse videntur. Id vero non serioribus tantum temporibus credebatur, cum Ovidius scelestum enarrans facinus Erysichthonis ita rem exponeret (*Met.* VIII. 761)

> cuius ut in trunco fecit manus inpia vulnus
> haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,
> quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
> concidit, abrupta cruor e cervice profundi;

sed etiam ante Ovidii tempora talis opinionis non desunt vestigia. Num iam Eumelus de Arcadis cum Chrysopeleia nympha amoribus agens enarraverit ab Arcade torrentis cursum aversum esse, qui *nymphae cum arbore sua* interitum minaretur, incertum puto. Vix enim efficio haec ab Eumelo ita enarrata esse ut iam is quoque cum arbore Chrysopeleiae vitam coniunxerit; quamquam nonnulli ita accipiunt [1]) verba Tzetzae ad Lyc. 480: „*Ἄρκας, ὁ Διὸς ἢ Ἀπόλλωνος παῖς καὶ Καλλιστοῦς τῆς Λυκάονος θυγατρὸς, ὥς φησι Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς, κυνηγῶν ἐνέτυχέ τινι τῶν Ἁμαδρυάδων νυμφῶν κινδυνευούσῃ, καὶ μελλούσῃ φθαρῆναι ὑπὸ χειμάρρου ποταμοῦ ἐν τῇ δρυὶ, ἐν ᾗ γεγοννῖα ἦν ἡ νύμφη, καὶ ἀνέτρεψε τὸν ποταμὸν καὶ τὴν δρῦν χώματι ὠχύρωσεν. ἡ δὲ νύμφη, Χρυσοπέλεια τὴν κλῆσιν κατ' Εὔμηλον, συνελθοῦσα αὐτῷ γεννᾷ Ἔλατον καὶ Ἀφείδαντα*", sed apparet Eumelum ideo solum adduci ut nomini Chrysopeleiae testimonium afferatur; neque vero Apollodorus III. 9. 1 plura sumit ex Eumelo quam solum nymphae nomen. Charon autem Lampsacenus, iam satis antiquae aetatis testis, saepius hamadryadum sortem cum arboribus arctius coniunxit quod scholiasta ad Apollonii Argonautica (II. 477) testatur in historia de Rhoeci pietate, qui *δρῦν θεασάμενος ὅσον οὔπω μέλλουσαν ἐπὶ γῆς καταφέρεσθαι, προσέταξε τοῖς παισὶν αὐτὴν ὑποστηρίξαι· ἡ δὲ μέλλουσα συμφθείρεσθαι τῇ δρυὶ νύμφη, ἐπιστᾶσα τῷ Ῥοίκῳ χάριν μὲν ἔφασκεν εἰδέναι ὑπὲρ τῆς σωτηρίας κ. τ. λ.* Eadem, ne plures afferam testes, iudicarat Lycophro, invenuste ex more suo rem tractans vs. 480

> *ὁ δεύτερος δὲ νῆσον ἀγρότης μολὼν*
> *χερσαῖος αὐτόδαιτος ἐκγόνων δρυός.*

At Callimachus reicit omnia eiusmodi inventa, antiquae mythologiae additamenta, eo tantum procedi oportere iudicans ut *coaevas* nymphis arbores putemus, dolore affici nymphas cum arbores laedan-

[1]) Ut Roscher in Lexico suo I. p. 1826 et Kinkel in *Epic. fr.* p. 194.

tur, quamvis solutam ab arboris stipite, liberamque et sibi propriam vitam nymphae habeant. Ita, adveniente Latona, cum concutiuntur arbores ex celeri Asopi fuga timet quidem Melia ἥλικος περὶ δρυὸς, sed aufugit tamen; quibuscum conveniunt quae hymno VI de Erysichthonis impietate habemus vs. 38

ἦν δέ τις αἴγειρος, μέγα δένδρεον αἰθέρι κῦρον,
τῷ ἔπι ταὶ νύμφαι ποτὶ τᾶνδιον ἐψιόωντο,
ἃ πράτα πλαγεῖσα κακὸν μέλος ἔαχεν ἄλλαις.
αἴσθετο Δαμάτηρ ὅτι οἱ ξύλον ἱερὸν ἄλγει
εἶπε δὲ χωσαμένα· „τίς μοι καλὰ δένδρεα κόπτει;“ [1])

His autem versibus quam fideliter ad antiquiorem mythologiam se applicaverit poeta, luculenter demonstrabit recentiorum poetarum comparatio veluti Vergilii, cuius Aeneas cum inscius sacras arbores ferro invasisset (*Aen.* III. 25 sqq.),

quae prima solo ruptis radicibus arbos
vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae
et terram tabo maculant.

---

[1]) Eandem de nympharum natura sententiam promit Apollonius Rhodius sed luculentius etiam rem exponit II. 477: Paraebii pater olim ἁμαδρυάδος νύμφης cuiusdam preces nihil curans quae ὀδυρομένη ἀδινῷ μελίσσετο μύθῳ μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, ἦ ἔπι πουλὺν αἰῶνα τρίβεσκε διηνεκὲς, sacram arborem impia manu succiderat. Dolet nympha et indignatur, at vitam minime cum arbore simul deponit. Infesta scelesto νηκερδὴ πόρεν οἶτον ὀπίσσω donec tandem placata est ara sibi devota.

XII

Vidimus Olympi maiestatem exornari ac simul numerum deorum augeri a poeta nostro; iam multo gravior oritur quaestio: quid universe de deorum potestate ac fato, quid de sanctitate divina censuit? Absunt sane ab arte Callimachea disputationes theologicae, neque facile est in hymnorum poeta, cuius postulat officium ut deos depingat omnipotentes et beata vita decore fruentes, investigare, quatenus secutus sit in tali re aequalium opiniones, utrum divinam potentiam fati necessitati subiectam putaverit an imperitantem fato, numquid cum summa deorum potentia summam virtutem coniunctam esse indicaverit necne. Prorsus tamen hanc quaestionem neglegere nolens, etiamsi non multa nec certissima testimonia poetae de hac re extant, congeram quidquid aliquam lucem, parvam etiam neque clarissimam, afferre videtur.

De fato enim quid visum sit Callimacho, omnino attinet scire, quoniam tunc ipsum de hac quaestione maxime flagrabat certamen inter poetas philosophos historicos oratores, utrum Iovis potentiae anteponenda esset, necne, caeca vis Necessitatis, sive *Μοῖραν* eam dicebant sive *Ἀνάγκην* sive *Τύχην*. Nuper creverat paulisper fati auctoritas et sensim post Alexandri tempora eo devenerunt homines permulti, ut deos quoque omnes fati legibus parere fatentur, iam non cum poetis tragicis dubitantes, num Iovem dicerent an *Ἀνάγκην*, an *Δίκην* eum qui summam rerum gubernaret „*δι' ἀψόφου βαίνων κελεύθου*", sed Menandro potius suffragati iudicanti: „*τύχη κυβερνᾷ πάντα*". Historiarum scriptores modo inter *δαιμόνιον*, vim sane obscuram, atque *τύχην* dubii haerebant, modo Theophrastum secuti, fortuna, non sapientia, regi mortalia fere iudicabant. Et Peripateticorum

haud minimus, Demetrius summa apud Musei poetas auctoritate florens, peculiarem *περὶ τύχης* ediderat librum, cuius rationem atque indolem duo quae extant fragmenta optime illustrant. Polybius enim libro XXIX. 6c. (*Dind.*) eius sententiam refert cum „*βουλόμενος ἐναργῶς ὑποδεικνύναι τοῖς ἀνθρώποις τὸ τῆς τύχης εὐμετάβολον*" haec dixit: „*εἰ γὰρ λάβοιτε μὴ χρόνον ἄπειρον, μηδὲ γενεὰς πολλὰς, ἀλλὰ πεντήκοντα μόνον ἔτη ταυτὶ τὰ πρὸ ἡμῶν, γνοίητ' ἂν τὸ τῆς τύχης χαλεπὸν ἐνταῦθα*". „Etenim", ita fere pergit, „si quis deorum aut regi Macedonum aut Persarum ea futura praedixisset, quae revera nunc facta sunt, num quis eorum deo fidem habuisset? Tamen haec perfecit *ἡ πρὸς τὸν βίον ἡμῶν ἀσύνθετος τύχη καὶ πάντα παρὰ τὸν λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοτομοῦσα καὶ τὴν αὐτῆς δύναμιν ἐν τοῖς παραδόξοις ἐνδεικνυμένη.*" Huc saepius recurrisse Demetrium, varie Theophrasti illud „*ἄσκοπος ἡ τύχη*" [1]) illustrantem notum est; *καινοποιίας* enim illas iterum tangit in fragmento quod a Plutarcho in Consolatione ad Apollonium affertur, ubi corrigentem videmus Phalereum Euripidis quaedam de fato dicta: *ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος εἰπόντος Εὐριπίδου· „ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος ἀλλ' ἐφήμερος", καὶ ὅτι „μικρότατα σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω", τὰ μὲν ἄλλα καλῶς ἔφη λέγειν αὐτὸν, βέλτιον δ' ἂν εἶχεν οὖν εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου.*

Haec Demetrii verba non tantum ipsius philosophi sententiam aperiunt, sed id, quod plerisque huius saeculi hominibus acceptum fuit [2]). At Callimachus quantumvis Parcarum dignitatem reveritus acriter impugnandam iudicabat opinionem, quae tantum periculum antiquae religioni minaretur; saltem Demetrio contrariam opinionem exposuit in hymno *ad Minervam*. Extat enim in narratione illa de Tiresiae caecitate ipsius Minervae argumentatio quaedam de deorum fatique potentia, in qua diserte poeta dis principibus summam potestatem vindicat, neque fato aut *μοίραις* sed legibus divinis deos subiungit, fati autem provinciam certis circumscribit finibus. Cum enim infestis quorelis Chariclo mater Tiresiae deam adiisset, comiter et blande haec, simul tamen accurate et distincte (vs. 97):

„*δῖα γύναι, μετὰ πάντα βάλευ πάλιν ὅσσα δι' ὀργὰν*
εἶπας· ἐγὼ δ' οὔ τοι τέκνον ἔθηκ' ἀλαόν.

---

[1]) Plut. *Consol. ad Apoll.* c. 6 p. 104 D.

[2]) Accurate de potestate *τῆς τύχης, τοῦ πεπρωμένου, τοῦ αὐτομάτου* scriptorum dicta collegit et disposuit L. Schmidt *Ethik der alten Griechen* I. p. 50—60 ad quem librum hic referre licebit.

οὐ γὰρ Ἀθαναίᾳ γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
ἁρπάζειν· Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι,
ὅς κέ τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
ἀθρήσῃ, μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλω.
δῖα γύναι, τὸ μὲν οὐ παλινάγρετον αὖθι γένοιτο
ἔργον· ἐπεὶ μοιρᾶν ὧδ' ἐπέννησε λίνα,
ἀνίκα τὸ πρᾶτόν νιν ἐγείναο.

Vides haud neglegenter poetam secum constituisse, quid inter deorum leges — quas ut ipsa antiquitate sanctiores gravioresque reddat *Κρονίους νόμους* dicit — ac fatum distinguendum videretur. Summa enim omnium rerum potestas quoniam est penes deos, ius quoque iis vindicat suae reipublicae leges constituendi. Est igitur ius quoddam divinum cui cetera parent omnia; cuius iuris leges infringere non magis quam Iovi homerico licebit Athenae callimacheae.

At quae hominibus accidunt, quod vivunt moriuntur aegrotant, quod laetantur vel dolent mortales, num haec quoque dis immortalibus cordi sunt? Quoniam neque philosophus neque theologus fuit Callimachus, non nimis subtiliter disquirere in fragmentis praesertim licebit, quidnam pro certo docuerit. Hoc tamen leve non est, poetae, cuius nullus supersit hymnus, quo non doceat probis piisque felicem vitam deos largiri eiusdem carmina, quot saltem nunc supersint, *τύχης* sive *εἱμαρμένης* sive *τοῦ αὐτομάτου* (quod tantopere in deliciis erat aequalibus) ne nomen quidem usquam memorare. Contra de Parcarum potestate sententiam aperte exponit. Parcae enim quae semper plures, numquam una, apud Callimachum occurrunt [1]), id sibi habent munus, antiquissimum illud quidem, ut „fatalia nentes stamina non ulli dissoluenda deo", hominum vitam certis terminis constituant, adsintque natalibus, Inde non solum Athena docet inmutabilem fuisse constitutam Tiresiae sortem suam, quo die Parcae in vitalem lucem eum produxerunt, sed idem Parcarum munus Apollo agnoscit, matri supplicatus ne in insula Co eum pareret (IV. 165) quod illi insulae esset

ἐκ Μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος,

et luculentius etiam Artemis, quae tantum non invita in se Lucinae officium suscipiens (III. 22) puerperis se affore dicit

„ἦσι με Μοῖραι
γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν",

---

[1]) Fr. 67 enim *„ἐκ δὲ τριηκόντων μοίραν ἀφεῖλε μίαν"* de hominum calamitatibus sorte datis, non de ipsa sorte loquitur.

aptissime pro poetae suae eruditione memor, a Pindaro quoque Ilithyiam nuncupatam esse *Μοιρᾶν πάρεδρον* [1]). Vix autem eo processisse poetam putaverim, ut contra aequalium opiniones doceret nihil nisi deorum iussa perfici a Parcis, licet tali iudicio quae obstent in Callimachi reliquiis non occurrant; nam quod Peneus suum vocat *πεπρωμένον ἦμαρ* (IV. 128) ei quidem fatalis videtur poena, sed tamen quae ex Iunonis minis proveniret.

Verumenimvero subtilius haec disquirere nolo. Nec enim semper sibi constitit hymnorum poeta, et frustra coneris accurate constituere, qua ratione deorum ac fati provincias discreverit. Id tantum affirmare licebit, consulto oppugnatos esse a Callimacho, quicunque Olympios aversati atque potestate deorum diffisi, caeco fato rerum humanarum cursum adscriberent. Neque vero magis ei placuit (id quod profecto poetam a Musis instructum dedecere censebat) incerta voce *θεὸς* sive *θεός τις* uti, ubi de rei cuiusdam divino auctore minus constabat. Vocabulum enim *θεός* apud Callimachum modo deos certumve deum, modo divinam quandam ignoti dei vim indicat, numquam autem, sicuti vox *δαίμων*, eandem vim ac *τύχη* obtinet. [2])

Sicuti certis legibus et antiquissimis res divinas humanasque regi profitetur poeta ita sanctitatem dis vindicat suis; atque id etiam magis quam vetusti poetae epici. Primum enim in hymnis vix occasionem praetermittit, quin auditores moneat pia sola dis placere: ut sedet in urbium arce ipse Pater (I. 82)

„*ἐπόψιος οἵ τε δίκῃσι*
λαὸν ὑπὸ σκολιῆς, οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν".

ita sacris suis Apollo Carneus prohibet omnes, quicunque *ἀλιτροὶ* sunt; cui contigerit ut deum aspicere suis oculis ei liceret, is magnus erit et felix — „*ὃς οὐκ ἴδε, λιτὸς ἐκεῖνος*" (II. 10).

Neque in his numinibus consistit, quibus ab antiquioribus fere mandari solebat munus iniustos homines puniendi. Nam improbos numquam non a dis puniri, id quidem, refragantibus sane

---

[1]) Pind. *Nem.* VII. 1. Cf. *Ol.* VI. 42.

[2]) Quoniam in hac re vix differt a ceteris poetis Graecis raptim indicare locos satis erit: *a* Deos, certumve deum indicat *δαίμων* I. 44; III. 86, 178; V. 41; *δαίμονες* V. 86. Ep. 28 fr. 86. 465. — *b*. Vim divinam, geniumve mortalibus additum: VI. 32 fr. 91. 235. 428; fortasse quoque V. 81. — *c*. *τύχην* Epigr. 32 et 16.

philosophorum nonnullis, tam firmiter apud Graecos constabat, ut, siquando cessaret iusta poena, statim de ipsis dis utrum essent necne, dubia orerentur; verum singulis dis nominatim certas adscribere poenas, id antiquitus parum solitum erat, nisi quod in ipsa illa numina delictum commissum esse constabat. Ceteroquin enim aut Iovem ipsum aut Apollinem indicabant vindices aut τοὺς θεούς nominabant — sive τὸν θεὸν nullo addito nomine — saepe etiam θεῶν βίαν καὶ νέμεσιν. At vide quam prope apud Callimachum Diana accedat ad fratris maiestatem. Quae apud Homerum leni morte „οἷς ἀγανοῖς βελέεσσι" omnes mulieres afficit, quam deam ideo tantum λέοντα γυναιξὶ increpat Iovis uxor (Φ 483) quoniam omnibus mors acerba est, ea Diana a Callimacho dicitur, simulac sagittarum vim primum experta esset, arcum tetendisse „εἰς ἀδίκων πόλιν" (III. 122). Tali munere revera potestatis summis dis propriae participem facit Artemin, cui iterum contra traditam mythologiam vs. 110 eiusdem hymni adscripsit poenas, quas solverat Latonae insidiator Tityus. Et duxit fortasse in hac re poetam exemplum Pindari, cuius sunt praeclari versus *Pyth.* IV. 90

καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε κραιπνὸν
ἐξ ἀνικάτου φαρέτρας ὀρνύμενον,
ὅφρα τις τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων ἐπιψαύειν ἔραται,

simul autem non ad sola lubidinis delicta deae virginis vindictam refert; obit enim illa arcu suo cives omnes (III. 123)

οἵ τε περὶ σφέας
οἵ τε περὶ ξείνους ἀλιτήμονα πολλὰ τέλεσκον.

Poenarum genera quae deinde describuntur: pecorum morbi, agrorum sterilitates, mulierum partus abortivi, nunc nos non morantur. Pluribus enim de ea re disquirere eo magis supervacaneum puto, quoniam satis apertum est, poetam cum Hesiodum in his versibus sequeretur munera Iovis conferre in Dianam non dubitasse, quia omnes simul di deaeque iusti aequique vindices ei videbantur. [1])

Coniunctum autem est cum hisce de vindicta deorum iudiciis quod semper quoque sanctitatem divinam, quantum potest, in narratione sua servat poeta, et contra impietatis accusationem fabulas defendere studet. Nam ut offenduntur saepe priscae mythologiae ferocitate poetae Musei, ita in deorum fabulis ipsi absunt a lascivia, Apollonius saltem et Callimachus, qui, si quando quae contra pietatis legem peccant de dis enarrare coguntur, adiciunt notum illud Ἴλατε Μοῦσαι vel tale

[1]) Cf. *Stud. Call.* I. p. 80.

quid. [1]) Saepius autem turpiora omittit Callimachus, qui qualem inire rationem oporteat in iis fabulis quibus deorum dignitas damnum accipere possit, luculenter ostendit in narratione de Tiresia, quam saepius attigimus. Variae enim causae edebantur a mythologis, quibus eius caecitas adscriberetur: indicat hasce Apollodorus (III. 6. 7): „*ἄλλοι μὲν γὰρ αὐτὸν ὑπὸ θεῶν φασι τυφλωθῆναι, ὅτι τοῖς ἀνθρώποις ἃ κρύπτειν ἤθελον ἐμήνυε, Φερεκύδης δὲ ὑπὸ Ἀθηνᾶς [αὐτὸν τυφλωθῆναι] οὖσαν γὰρ τὴν Χαρικλὼ προσφιλῆ τῇ Ἀθηνᾷ ..... γυμνὴν ἐπὶ πάντα ἰδεῖν, τὴν δὲ ταῖς χερσὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ καταλαβομένην πηρὸν ποιῆσαι, Χαρικλοῦς δὲ δεομένης ἀποκαταστῆσαι πάλιν τὰς ὁράσεις, μὴ δυναμένην τοῦτο ποιῆσαι, τὰς ἀκοὰς διακαθάρασαν πᾶσαν ὀρνίθων φωνὴν ποιῆσαι συνεῖναι καὶ σκῆπτρον αὐτῷ δωρήσασθαι κράνειον ὃ φέρων ὁμοίως τοῖς βλέπουσιν ἐβάδιζεν.*" Ordine rerum Pherecyden sequitur Callimachus, iis tamen quae cum deorum dignitate aut ipsius Athenae clementia certarent tacite immutatis. Peccatum, ignorantia commissum, castis verbis indicat (vs. 78), puerum tangi ab ipsa dea recte omittit, ne cum Pherecyde cogatur deinde exponere, frustra deam contendisse ut infectum redderet damnum quo temere irata Tiresian affecisset; qualem conatum, cum praesertim frustra fieret, cum summae deae dignitate parum convenire sentiebat. Apte igitur Saturnias leges, de quibus supra vidimus, interponit. Tum expurgatas aures, miram baculi vim, tamquam simplicioribus quam suae aetatis hominibus tantum accommodata, omittit. [2])

Sed longe alia nec recentia alii mythographi de caecitate Tiresiae cognita habebant. Pergit Apollodorus: „*Ἡσίοδος δέ φησιν ὅτι θεασάμενος περὶ Κυλλήνην ὄφεις συνουσιάζοντας καὶ τούτους τρώσας ἐγένετο ἐξ ἀνδρὸς γυνή, πάλιν δὲ τοὺς αὐτοὺς ὄφεις παρατηρήσας συνουσιάζοντας ἐγένετο ἀνήρ. διόπερ Ἥρα καὶ Ζεὺς ἀμφισβητοῦντες πότερον τὰς γυναῖκας ἢ τοὺς ἄνδρας ἥδεσθαι μᾶλλον ἐν ταῖς συνουσίαις συμβαίνοι, τοῦτον*

---

[1]) Apollonius IV. 984 his utitur verbis, eadem de Scheriae antiquo nomine enarraturus, quae Callimachus reiecit fr. 172, aliam ab ipso Apollonio quoque additam huius nominis explicationem afferens (cf. Schneider II. 432). — Ceterum constanter Alexandrini poetae viam quaerunt, qua antiquas fabulas moribus adaptent suae aetatis. Ita Apollonius, quasi offendatur ferocitate priscae fabulae, quae Saturnum equi forma usum esse tradebat, cum Philyrae amore flueretur, tum demum eum corpus equinum induisse fingit cum Rhea *ἐν λίκτροις* eos vidisset. Tum, „*δ δ' ἐξ εὐνῆς ἀνορούσας ἴσσυτο χαιτήεντι φυὴν ἐναλίγκιος ἵππῳ.*" Sic rudem fabulam elegantia Alexandrina correxit (*Argon.* II, 1236). Cf. supra p. 32.

[2]) Pag. 149; cf. quoque p. 49 et 123.

ἀνέκριναν, ὁ δὲ ἔφη δέκα μοιρῶν περὶ τὰς συνουσίας οὐσῶν τὴν μὲν μίαν ἄνδρας ἥδεσθαι, τὰς δὲ ἐννέα γυναῖκας." Haec iam Melampodiae auctor ita enarraverat [1]); placueratque multis historia turpis, neque praeterierat eam tacite Lycophro, qui suo more modoque rem indicaverat vs. 683

καὶ νεκρόμαντιν πέμπελον διζήσεται
ἀνδρῶν γυναικῶν εἰδότα ξυνουσίας.

Profecto non ignoravit Callimachus quae tot testes narrabant. Sed consulto omittebat talia quia id studebat, ut a foeda turpitudine, qua abundabat mythologia tam mystica quam vulgata, deos quos populo suo commendabat, liberaret; quapropter consilio laudabili curavit hymno quinto, ut puerum tenerum fingeret Tiresiam, ipsa aetate a tali turpitudine qualem antiqua referebat fabula, remotum.

Quod si verum est vix Phlegontis Tralliani testimonio credas, qui augens etiam et adornans Tiresiae historiam inter testes suos praeter Hesiodum Dicaearchumque et Clearchum quarto loco etiam Callimachum laudat [2]). Cui testimonio si fidem denegamus parum refert, utrum putaverimus ipsum Phlegontem, auctorem turpiter ineptum, a falsario quodam imponi sibi passum esse, an malimus in Phlegontis fragmento corruptelae accusare nomen Callimachi, an tandem constituamus revera alicubi a Callimacho memoratam esse historiam, utpote ab alio traditam. Id enim si factum est, putandum est ideo tantum tradidisse ea Callimachum — in commentariis, ni fallor — ut impugnaret. Nam saepius vidimus multum abesse quin ipse probaverit omnia, quae sive in Commentariis sive in libro *περὶ Θαυμασίων* sive in Iambis rettulit. An poetae probata fuisse putabimus mythologumena qualia memorantur fr. 98[e]: „*Κεραῖτης τόπος Μιλήτου ἀπὸ τοῦ τὸν Ἀπόλλωνα κέρατα τοῦ ἄρρενος τράγου ἀμελγομένου ὑπ' αὐτοῦ πῆξαι ἐκεῖ?*" Curiosa narrandi cupidus libenter talia colligit, sed haud magis pro vero accipit quam quod, contrariam iis quae diserte de divisione universi ipse docuit hymno primo (vs. 61 *sqq.*) de urbe Sicyone fr. 195 et 465 memorat. [3]) Neque igitur si spurcissimam fabulam de Hephaesti salacitate ex qua Erichthonius ortus esse credebatur, Callimacho se debere dicit

---

[1]) Hesiodi fr. 190 *Rzach.*

[2]) Schneider fr. 415. Phlegont. fr. 33 apud. *Müller* F. H. G. III. 618 qui *Κλίαρχος* pro *Κλέαρχος* reposuit.

[3]) Vide supra p. 115 et 33 et cf. Hesiod. *Theog.* vs. 535 *καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι Μηκώνῃ.*

scholiasta in Iliad. *B.* 547, illa verba *ἱστορεῖ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ* ita oportet accipi quasi poeta vetulam Hecalen, anum pietate insignem, hospiti suo pro veris exponentem fecerit tales sordes. Sicuti enim rem indignam tangit quidem Io Euripideus Creusam interrogans (*Ion.* vs. 267):

ἐκ γῆς πατρός σου πρόγονος ἔβλαστεν πατήρ;

at turpia silentio premens illa respondet:

ἐς παρθένους γε χεῖρας, οὐ τεκοῦσά νιν,

ita aut subtecte indicatam reiecit fabulam Hecale Callimachea, aut saltem modeste, per ambages quasdam, verbis exquisitis, obscoenam rem indicavit [1]). Sic, ut ferebat eruditio, in ceteris libris interdum ea quoque tangens quae cum deorum dignitate parum conveniebant [2]), castitatem tantum non semper fideliter servat. Cuius rei unum amplius adiciam exemplum ex hymno quinto. Multis enim ibi verbis enarratur Actaeonis historia et diserte exponitur nullam aliam ei fuisse interitus causam quam quod invitis legibus divinis Dianae corpus virgineum denudatum vestibus vidisset. Qua causa exposita poeta tam Acusilai opinionem oppugnavit qui contenderat eam sortem obvenisse Actaeoni „*μηνίσαντος τοῦ Διὸς ὅτι ἐμνηστεύσατο τὴν Σεμέλην*", quam Stesichori inventa „*ἐλάφου περιβαλεῖν δέρμα Ἀκταίωνι τὴν θεὸν, παρασκευάζουσάν οἱ τὸν ἐκ τῶν κυνῶν θάνατον, ἵνα δὴ μὴ γυναῖκα Σεμέλην λάβοι*" [3]).

---

[1]) Ita Naeke *Hecale* p. 68.

[2]) Praeter ea quae iam memoravi huc etiam referri potest quod enarratur fr. 100[f] n°. 37: „*καὶ περὶ τοῦ κατὰ τὴν Κρήτην ὑδατίου οὗ οἱ ὑπερκαθίζοντες, ὅταν ὑετὸς ᾖ, διατελοῦσιν ἄβροχοι, παραδεδόσθαι δὲ τοῖς Κρησὶν ἀπ' ἐκείνου λούσασθαι τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς τοῦ Διὸς μίξεως*". — Pertinent huc quoque fr. 75 de populo symbolica ratione purgato a Brancho vate, fr. 82[b] de Castniensibus Veneri suem sacrificantibus, quam rem explicat quodammodo additis verbis „*ἡ θεὸς γὰρ οὐ μία*. Iocari autem hoc loco poeta apparet ex iis quae adiciuntur (Strabo p. 438) Castniensem illam ceteras Veneres *ὑπερβάλλεσθαι τῷ φρονεῖν ὅτι μόνη παραδέχεται τὴν τῶν ὑῶν θυσίαν*. Prorsus eiusdem generis est fr. 76 (itidem ex Iambis) de Diana Amarusia, „*τὴν ὠγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἴσατο, τῇ καὶ λίπουρα καὶ μονωπὰ θύεται.*"

[3]) Apollod. III. 44. Paus. I. 44. 8. Cf. quoque Hyg. *fab.* 180: „Dianam lavantem speculatus est et *violare voluit*" et *fab.* 181 ubi enarratur poenam ei a dea impositam esse *ne eloqui posset*. Cum hisce componendus est Ovidius III. 132, quo magis appareat quantum ab eleganti levitate qua tractat deos Graecos poeta Romanus, sermo Callimachi distet gravior et fide antiqua dignior.

XIII

Utinam hisce de Callimachi religione ac pietate observationibus, quas et paucas esse et nonnumquam ut fert artis eius natura incertas, non diffiteor, adici liceret certiora, quibus efficeremus quidnam de dis suis sibi speraverit, qualem in vita hominum sapientiorum religioni ipsi locum dederit, num tandem hac vita peracta debitam pietati beatudinem promiserit. Tacent plerumque de his omnibus hymni quippe qui unice in deorum splendore celebrando versati ad vitam humanam raro descendant, neque fragmenta de hac re quidquam nisi incerta indicant. Et possis sane, cum exeunte hymno primo audis poetam ita docentem

„οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν
οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο,"

suspicari haud plane remotum fuisse poetam a philosophorum disputationibus tum maxime in quaestione de summo bono versantibus; possis contendere tam Cyrenaicorum, Theodorique placitis refragari hoc versu Callimachum, quam Zenonis doctrinae de virtute. Profecto haec numquam ei placebant; immo propius ad Peripateticorum sententiam preces Callimachi *„δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον"* accedunt; satis enim conveniunt cum Aristotelis verbis *Eth.* I. 1101 A *„τί οὖν κωλύει λέγειν εὐδαίμονα τὸν κατ' ἀρετὴν τελείαν ἐνεργοῦντα καὶ τοῖς ἐκτὸς ἀγαθοῖς ἱκανῶς κεχορηγημένον μὴ τὸν τυχόντα χρόνον ἀλλὰ τέλεον βίον"*, et magis placiturus erat poeta aulae Ptolemaeorem talia commendans quam si praecepisset severam Stoicorum disciplinam. Verum parum prudenter agat, qui ex uno versu illo totam Callimachi ethicam eruere velit, cum praesertim non magis ex carminibus poetae opinio de vita beata appareat quam constet de morte quid revera secum censuerit. Etenim rem gra-